BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
22-A
12
ROMA

XXI. 16

DANIELIS HEINSII

ORATIONVM

EDITIO NOVA,

Tertia parte auctior; cæteris sic recensitis,
vt alia videri possit.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ BONAVENTVRÆ & ABRAHAMI
ELZEVIR. Acad. Typogr.

cIↃ IↃC XXVII.



Nobiliſſimo Ampliſſimoque Viro,

CASPARO VOSBERGIO,

Equiti, & in Illuſt. ac Præpotentum Fœderatæ Belgicæ Ordinum conventu, Senatori digniſſimo.

DANIEL HEINSIVS S. D.

Vir Ampliſſime,

EX quo has Orationes noſtras, quæ in omni fere argumenti genere verſantur, tuo nomini inſcripſimus, neque tu de virtute tua, cujus teſtimonium ex noua dignitate nouum habes, neque nos de amore quicquam immutauimus. niſi quod nunc major admiratio acceſſit. In ſupremo hactenus Senatu, inter tot illuſtres viros, qui aut olim in hoc ordine eluxerunt, aut cum dignitate maxima nunc locum obtinent,

juſtitiam ac fidem ; in conuentu Procerum ſupremo , cui ſumma pacis pariter ac belli apud nos commiſſa , patriæ , eccleſiæ , ac libertatis , ſummo cum judicio, induſtria, ac vigilantia, amorem, præſidium, ac patrocinium , probare nuper incepiſti. Et vt ante, quantus hic futurus eſſes, omnibus probares , plurimas legationes , pro Republica ac Principe non ſemel ſuſcepiſti. Adulationem neque conſuetudo noſtra, neq; tua grauitas admittit. quam, vt omnem laudem, tua merita excedunt. Quorum conſcientiam amplexus , qui honeſti cauſa & virtutis ſuaſu omnia geſſiſti, commendationes aliorum, nec affectas, nec vt precium virtutis integerrimæ admittis,ſed vt onus aliis

eodem

eodem animo transcribis, quo a nemine expectas. tanto major, quanto eminere supra alios quam commendari, majus arbitraris. Qua seueritate nos persuasi, quicquid diximus de aliis quos oratoruim more passim commendauimus, silentio & veneratione in te obsignamus. qui nunc denuo editionẽ istam, nouam pene atque ab aliis diuersam, tibi consecramus. Vt sic a virtute tua, tantum dignitatis ac splendoris huic operi accedat, quantum animo concipimus, qui sola admiratione eam commendamus. Cujus sane vt olim magnitudinem ac pondús, ita nunc constantiam in limine testamur. Vale, Vir Amplissime, & nos ama.

LECTORI.

AMice Lector, Orationes noſtras, quas in vrbe hac ſcripſimus, vt diverſas, ita & diſſimiles nonnunquam, neque ſemel typis hactenus deſcriptas, vno hoc volumine cum edituræ eſſent operæ, perlegimus, & emendauimus: quaſdam &, poſtrema hac editione, nondum editas, adjunximus. In quibus, aut pro tempore, aut occaſione, ſæpe & autorum, a quorum lectione ac ſtudio recentes tum eramus, formam aliquam ſecuti ſumus. Quæ vt non eſt vna, ita neq; omnes eadem delectat. Quibuſdam enim copia, & circumductionum gravitas diffuſa, quæ liberrimo verborum ambitu inſtructa, qualis domi naſcitur, ſic fertur, & torrentis inſtar auditorem ſecum rapit, maſcula robuſta, ardens etiam ſi ſit

neceſſe

neceſſe ac concitata, tantum placet. In quo ſolus prope Tullius regnauit : ſcriptor vt diuinus, ita fere ab omnibus antiquis, quos à breuitate laudat, admodum diuerſus. Eſt & alterum dicendi genus, ſtrictum magis & conciſum, quod non tam percellit auditorẽ quam delectat ſapientem. In quo Græci, teſte ipſo, jam ab Alcibiadis ætate & Periclis regnum obtinent ; creberrimum ſententiis, compreſſione rerum breue. Cui cũ Demoſthenes vim maſculam ac grauitatem addidiſſet, ſiccitatem ac obſcuritatem detraxiſſet, ſolus hominem politicum dicendi arte inſtruxit. Quod non pauci Romanorum expreſſerunt. Qui cum ſub Tiberio acumen addidiſſent, breuitatem magis etiam arctaſſent, ſenſim forma quædã obtinere cœpit, quam in Panegyricis ad Gratianum vſque & Theodoſium, non infeliciter præclari

quidam oratores præ se ferunt. Quo in genere, nonnullas quoque nostras hic adjecimus. In vtroque autem quidam longe a naturæ genio recedunt. Quippe alterum qui putide amant, periodos ædificant non scribunt, verba glomerant non fundunt. hoc postremo satis esse putant, si cum idem dicant semper, dictionem mutent, & sermonis faciem inuertant. Marci autem Tullii vestigia sic premunt, vt non imitari eloquentiam ingentis viri, sed dictata reddere cum metu pædagogo videantur. Adde quod quæ sunt diuersi generis, aut vitant ipsi, aut contemnunt: seri nempe studiorum, & qui Græcos ne legerunt quidem. Quasi quia summus oratorum fuit quem existimant se sequi, solus aut orator esset; aut non ipse Brutum vehementer commendarit, qui diuersus, nihil præter breuita-

tem

tem aut amabat ipſe, aut in aliis laudabat: Ciceronem vero etiam vt lentum ac diffuſum arguebat. Iam quis neſcit, aliam in foro, aliam in caſtris, aliam in ſchola eloquentiam requiri? Quis non Romanorum majeſtatem ita celebrandam putet, vt tantundem prope majeſtatis ſit in oratore? Quis non Socratem, vt ipſe olim dicitur locutus, quatenus id quiſque a ſe obtinere poteſt, & aut lingua aut ingenium ſcribentis id permittit, commendandum putet? Quis non Stoicorum cauſa aut Diogenis, mutandum, aut arctandum potius, dicendi genus? Quorum magnanimitatem aſſequi ſi velis, pluſculum a Cicerone abeundum eſt, etiamſi puncta non affectes. Iam in ſacris, quis non Auguſtinum, Cyprianum, Hieronymum, ac cæteros doctores, potius quam Græcos oratores, aut Latinos, ſequi

malit; ſaluo ſuo ſibi cuique genio & vſu? Cujus equidem immemores nonnulli, nihil præter argutiolas ac frigidas ineptias captare ſolent, quarum gratia ingenuæ orationis impetum morantur, corpus frangunt, valetudinem corrumpũt. Si qua cogitatio ſublimis & erecta, ſi qua generoſior ſententia, aut ſenſus, qui cum magno ac indomito, vt ille ait, ſpiritu efferri debet, animum impleuit, præ ignaua ſuperſtione ac metu miſeri

— deducunt cibum.

Tametſi bona eſt natura,
reddunt curatura junceam.

Nam dum neſcio quos imitantur, ſolum Ciceronem, qui ſermonis quidem cauſa, etiam vt aliter cũ laude ſcribas, ſemper eſt legendus, pueris relinquunt. Rurſus alii, dum compoſitionem plane negligunt, aut, quod pleriſq; euenire obſeruauimus, qui ad antiquitatis imitationem

nunquam aſpirarunt, præcipuam orationis voluptatem tollunt. Alii, dum pluſculum in ea artis non tam ponunt quam oſtentant, quia produnt lenocinium non celant; venuſtatem, quod non ſentiunt, amittunt. Fucum quippe nemo amat niſi qui non videt. Iam quis ferat quoſdam, qui ad normam artium ſuarum quas in ſcholis didicerunt, maximorum hominum orationes exigunt aut cenſent? Quaſi vero, ſi Dis placet, iis, qui Demoſthenem aut Lyſiam, aut aliquem ex iis quos præclari iſti viri vix de nomine nouerunt, in dicendo imitetur, aut in arte Ariſtotelem, quo nihil conſummatius aut majus vel natura dedit vel judicium perfecit, admiretur, ad minutos iſtos Ioues, vt judicium eorum vel exquirat, vel demereatur, abeundum ſit. Et vero, quaſi non eorum monitis carere poſſit,

possit, qui naturam tam fauentem habet, vt siue ad artem deflectat, plus tamen tribuat naturæ: siue ab ea abeat nonnihil, ipsam vel emendet, vel ingenio commendet, quia non ostentat. Sane vt nemo tantus nascitur orator, quantus fit paulatim, quia lectione multa, quia eruditione, vsu, atque exercitatione opus est: ita nemo fit orator summus qui non nascitur. Magnus animus ac generosus, excitata vis ingenii ac ardor, tum judicium quod cætera absoluit, non parantur, sed contingunt. quo qui destituitur, corrumpit quicquid legit, quia male concoquit quod didicit. Quales sunt quos vmbra educat & puluis. Qui, quemadmodum pictores primi illi & adhuc ignari artis, si quid pingerent, aut inficete potius delinearent, nomen asscribebant, vt, quod arte non poterant, confessione, quæ quam maxi-

maxime cum arte pugnat, obtinerent; ita, niſi rhetorum præcepta non ſequaris tantum, ſed hoc ipſum prope aſſcribas, præceptorum vel immemorem, vel artis imperitum, arbitrantur. Quare & ſingulas, quas didicerunt, partes, in oratione non intexi tantum volunt, ſed nudari prope. vt quod Græcis olim vſitatum dicitur, ad alia propemodum transferri poſſint. Qui viciſſim hoc a nobis diſcant, fruſtra didiciſſe artem, qui diſſimulare eam nondum didicit. Hæc enim ipſa ars eſt, ſed quam nemo docet: cura autem ſola & judicium abſoluit.

IN ORATIONES

DANIELIS HEINSII, HVGONIS GROTII EPIGRAMMA.

POst dignum Latio pedem cothurno,
Post Rossæ teneras amationes,
Scriptas carmine, quale Naso, quale
Romanus cuperet suum Philetas,
Post Flacci citharam, tubam Maronis,
Post tantæ trimetros seueritatis
Vt rugas superent Catonianas,
Iam Demosthenicæ sititor undæ
Linquis Pegaseos, amice, fontes,
Regnans eloquio solutiore,
Dum nunc ingenii fluentis æstum
Libertas tibi Tulliana laxat,
Nunc facundia Plinium secuta
Constringi studet arctiore gyro,
Nunc docti Senecæ refert acumen
Densis pagina seminata gemmis.
Heinsi, viue diu, diuque de te
Certent Suada potens, nouemque Musæ.
Quicquid nominibus prioris ævi
Æternam potuit parare famam,
Hoc in te liceat stupere solo.
Millenis facibus superba nox est:
Astrum sufficit vnicum diei.

ORATIONVM INDEX.

I. IN Obitum Illustriss. & invicti Principis Mauritii, Dei gratia Principis Auriaci &c. Pag. 1.

II. In Iosephi Scaligeri exequiis habita. 45.

III. De Monumento eidem decreto. 60.

IV. Gratulatio de Fœdere inter Sereniss. Venetorum Rempub. & Illustres ac Præpot. Ordines Fœderatos contracto. 66

V. Ad Sereniss. Venetorum Reipub. Ducem ac Senatum, pro honore dignitatis Equestris decreto, Gratiarum actio. 80.

VI. Ad Illustriss. M. Antonium Moresinum, cum ea donatus esset. 81.

VII. Ad Ampliss. & Nobiliss. Academiæ Curatores pro Bibliothecarii munere Gratiarum actio. 83.

VIII. In Obitum Clariss. celeberrimique viri Philippi Cluuerii. 98.

IX. In Obitum Cl. V. Reineri Bontii &c. 115.

X. In librum De Mundo, qui vulgo Aristoteli inscribitur. 127.

XI. In Obitum Generosi & Nobiliss. iuuenis Ernesti Ludouici a Burck-storf. 132.

XII. De præstantia ac dignitate Historiæ. 145.

XIII. De prima Romanorum ætate, & prima eius populi virtute. 159.

XIV. De secunda & postrema pop. Romani ætate, deque C. Cornelii Taciti vtilitate. 180.

XV. Habita in Auditorio Theologico, cum secundum Taciti Annalium absoluisset. 196.

XVI. Post absolutum primum librum Annalium Taciti habita, in qua de mutatione Reipub. deque Principatus initio agitur. 209.

XVII. De C. Cæsare Dictatore, cum illius Vitam in Tranquillo expositurus esset. 225.

XVIII. De prolapsis Græcarum literarum studiis, &c. 240.

XIX. Ad librum de Magistratibus Romanis. 251.

XX. De

XX. De ciuili sapientia, cum secundum Aristotelis Politicorum interpretari inciperet. 260.
XXI. Socrates, siue, De doctrina & Moribus Socratis. 283.
XXII. De vtilitate quæ e lectione Tragœdiarum percipitur. 317.
XXIII. De Stoica philosophia. 326.
XXIV. In Theophania, siue, Domini Natalem. 365.
XXV. In cruentum Christi Sacrificium, siue, Domini Passionem. 393.
XXVI. De coniungendis Græcorum lingua & disciplinis. 418.
XXVII. Pindari Pythius præmissa, in qua ostenditur, quomodo veteres philosophi Poëtarum scriptis sint vsi.
XXVIII. Panegyricus illustri viro Iosepho Scaligero dictus. 455.
XXIX. Panegyricus, siue, Laudatio Funebris Nob. Clarissimique viri Iani Dousæ &c. 470.
XXX. De Poëtis & eorum interpretibus. 493.
XXXI. Habita cum Horatii Odas adolescens interpretaturus esset. 503.
XXXII. Oratio Scipionis, postquam in Africam venisset, ante primum conflictum. 513.
XXXIII. Declamatio ex persona Euphorionis Callimachi Patris, qui prælio Marathonico stans expirauit. 518.
XXXIV. Laus Pediculi, ad conscriptos Mendicorum Patres. 520.

In Obitvm

Illvstriss. et invicti Principis excels. Memor. Mavricii, Dei gratia Principis Avriaci, Comitis Nassoviæ, &c.

Habita ex publico mandato xix *Septemb.*
cIↃ IↃ c xxv.

Oratio I.

Princeps Celsissime, Illustrissimi Comites, Nobilissimi Patria Proceres, Magnifice Rector, Amplissimi Curatores, Invicta huius Vrbis Consules ac Magistratus, Reverendi ac Clarissimi Collega, Doctores venerandi, Ecclesiastæ Reverendi, Generosa Iuventutis Nobilissima Corona,

Vod omnis cogitet memoria, posteritas loquatur, die hujus mensis decimo & sexto, quem, cum fastis eximi non possit, atrum nobis ac funestum patriæque habendum judico, Mauritium Nassovium, quod nomen dignitates titulosque non admittit quia omnes antecessit, Patriæ Parentes, Magistratus ac Nobilitas, Miles ac Prætoriæ cohortes, omnis populus ac plebes, mœsta, squallida, dejecta, ad Parentis tumulum, seu potius trophæum, vel secuta fuit vel deduxit. Luctum publicum, mœrentis Patriæ imagi-

nem, orbitatis, ſolitudinis ac vaſtitatis notas & indicia, in aulis, curiis, palatiis, in ipſis prope parietibus ac tectis vrbium, in vultu denique omnium ætatum, omnis ſexus, omnis ordinis, eodem die conſpexiſtis. Non enim funus publicum, ſed Patriæ cadaver, libertatis, olim in Parente ejus ſauciæ, relliquias ac conclamata membra, comitari ſibi omnes ac efferre videbantur. Occurrebant aliis triumphi, quibus ſæpe compos, Hagam cæteraſque Batavorum vrbes, prope humeris invectus civium, cum fremitu plauſuque, belli fulmen, murus libertatis, omnium provinciarum vrbiumque vallum atque propugnaculum, intrarat. Multi artes belli, multi pacis, alii privata, focos liberoſque, alii Rempublicam, & quantum omnes amiſiſſent ſecum agitabant. Quidam tot illuſtria quæ paſſim extant ſpolia, exuvias, trophæa, aquilas hoſtiles, frameas atque haſtas, quæ victoriarum olim, nunc doloris monumenta, inter manus prope & ob oculos verſantur, ante exequias, cum admiratione ac lachrymis contemplabantur. Senes, ab initio calamitates noſtras & oppreſſæ libertatis mala, pœnas, fugas, ac proſcriptiones, quæque ſinguli miſerrima vidiſſent, longâ ſerie commemorabant. Erant, qui inani ſtudio videndi, ſicut in parentum funere plerunque liberi quos ætas aut incogitantia excuſat, undique concurre-

rent

rent aut sequerentur, nec de suo aut communi omnium dolore cogitarent: omnium commiseratione digni, quod de se ac cæteris securi, re inani & in tanto casu prorsus puerili, oculorum voluptate, tenerentur. Soli Academiæ Parentes, atque hæc Civitas invicta, quæ ante aliquot jam annos, Dei immortalis ope ac virtute suâ, hostem, mœnibus pomœriisque hærentem, constantissimè, à templis, liberis, conjugibusque, stitit atque avertit, morem Populi Quiritium Romani, qui heroes suos principesque in Publico laudábant, imitandum judicarunt. Igitur, cum corpus, in quo magnus ille libertatis nostræ vindex tot tantasque res gessisset, aliis cessissent; laudem ejus ac memoriam in hac æternâ domo sibi vindicarunt. Nam, vt illi, loco celeberrimo, pro Rostris, in quo conciones habebantur, leges ferebantur, causæ agebantur, in quem victor terræ confluebat populus, ante oculos atque in conspectu tot heroum, quorum ibi statuæ extabant, funus positum ex more aut situm, commendabant: ita nostri, in hoc Palladis delubro, non Bataviæ sed orbis celeberrimo clarissimoque loco, cui spes ac vota sua quisque credit, quem ex omni orbe nobilissima juventus colit aut perlustrat, in quo, non illustres statuæ, sed vivi ac spirantes maximorum hominum conspiciuntur vultus, primum tempestatis nostræ principem,

laudandum censuerunt, decreverunt. Qui sic bellum gessit, vt hic pacem habeamus, ita pacem inter arma conservavit, vt calamitatem belli nemo præter hostem publicum sentiret. Cui vitam, cui liberum hunc aerem, hunc spiritum, hanc vocem, quæ servire aut adulari neque novit neque cogitur, inprimis autem Academiam ejusque regimen debemus. In quâ educatus ipse, tot præclaras æternasque animas, vel præmiis, vel commendationibus, vel magistratibus, evexit. Genus tanti Principis, quod vsitatum est, nec tango, neque veniam hic peto. Quamquam leges Rhetorum nonnulli cum excedunt, Iuliis teneri aut Corneliis se putant. Quæ, si nunquam natæ essent, ad ingenium ac normam magni oratoris, singulis diebus nascerentur. Et, si hactenus invaluerunt, nunc in tanti Principis memoriam, cum signis militaribus ac armis invertantur. Domus illustrissimæ Nassovicæ Saxonicæque, quæ tot Regum Principumque genitrices aut affines hactenus fuerunt, splendor, dignitas, majestas, non ab oratoris fide, sed à sæculorum serie, à conscientiâ mortalium, à rebus toto orbe gestis, ab historiis annalibusque, exigenda sunt. Quæ, vt cæteros omittam, Cæsarem Adolphum, ex Nassoviorum stirpe, & Albertum, proauum maternum, Cæsaris in Belgio vicarium, tot rebus in his terris inclytum clarumque, non

tace-

tacebunt. Ac ne bellicosam quidem Germanorum gentem, populo Romano multis prœliis superiorem, sæpe parem, quæ depositum tam grande nobis dedit, celebrandam reor. ne illius causâ alia dicantur cujus omnia dicturi sumus: qui, si ex se natus esset, tantus esset, quantum ætas nostra alium vix tulit. Sed Naturæ æquum videbatur: partim, vt non nisi tanto Patre nascereturtantus: partim, vt qui tantus esset, sine liberis ac prole Reipublicæ subduceretur. Quæ effœta, vt nonnunquam matres solent, aut, cum nihil majus potest, cessat melius quam deficit. Et ad manum erat, qui eodem natus Patre, vota omnium jam impleviſſet. quem successioni Deus pariter ac virtus destinarant. Puer è Germaniâ reversus, in hanc vrbem à Parente, qui hic Academiam autoritate publicâ fundarat, ablegatus est. In quâ præceptores aliquot, inprimis autem virum Nobilissimum, Hermannum VVittenhorstium, Sonsfeldi Dominum, Præfectum primo, mox & Senatorem, habuit. Quo neque aula, quæ nonnunquam aliis sibique indulget, neque hæc ætas, quicquam vidit sanctius. Ex omnibus scientiis, Historiam ac Mathematicen dilegit. Quarum illa, Principem, hæc, si feliciter cõjungitur, victoriam dat Principi. Atque inprimis ea, quæ vel civitates nostras contra hostem munit, vel hostiles arte ac machinis expugnat. Et in eo, qui ad omnes

natus erat, illud maxime admirandum, paucas, & ex usu suo, attigisse. Nam heroum animi, quemadmodum nonnunquam vehementius quam cautius, scientias ætate primâ amplectuntur, ita, nisi intra sapientiæ ac studiorum limites consistant, majestatis terminos excedunt. cum in disciplinis artibusque satis sit, si admirationem aliis qui his excellunt aut benignitatem præstent, sibi nihil servent præter modum. Et jam alia vocabant. Itaque vt tantum belli ducem aliquando daret quantum tunc promisit, gradu, saltu, folle, exerceri: vires luctâ, aut natando, aut in armis experiri: corpus denique ad res tantas quantas gessit, & militiæ laborem, præparare. Equi, quo impense studio ad summam vsque ætatem tenebatur, notas animo & oculis, interdum manu, explorare. Et, vel asperum nec satis domitum, in gyrum circumflectere ac rotare, vel ferocientem fræno impedire, vel admissum ac præpropere retentum, ad sudorem exercere, vel postremo, sclopo propius explosо, ad securitatem belli temperare. Neque tamen omni studio se abdicare. Ex Historicis, suadente viro maximo, Annales Tacitl audivit, Qui civilis atque militaris rei autor maximus, sententiis rebusque densus, verbis strictus ac compressus, totus denique ignis, tales tantum animas admittit. Huc accedit, quod, vt Belgicæ fuisse procurator fertur, ita liber-

libertatis ſtudium quod tum è nobis hauſit, noſtris hodie præ reliquis infundit. Ex hoc cæteriſque, primum rei militaris & amorem duxit & ſcientiam. Ex his, quomodo cingendæ vrbes, quibus locis, quâ occaſione de inſidiis ſit cogitandum; ex his, quid lorica, (nam ad noſtram ſingula ætatem applicabat) agger, vallum; ex his, regionum ac terrarum ſitus, etiam noſtrarum, & quæ geſta ſunt in iis prœlia ac bella, hauſit: ex his denique & aſſiduâ iſtorum lectione, prima militaris gloriæ ingentem animum intravit æmulatio. Huic maximo ſcriptori ac docenti Lipſio fuiſſe intentum ſæpe audivi, cum de morte Patris nuncium accepit. in quem, vt invictum eſſe omnibus conſtaret, non aperta acies aut bellum, ſed ſicarius, immiſſus eſt. more nunc recepto, quo heroum mortes quidam licitantur, quidam vendunt. Eam ille necem, non infirmo, vt privati ſolent, deſiderio ac lachrymis excepit, ſed, cum bono patriæ, in animum demiſit. Illuſtriſſimo Parente ſic ſublato, terrâ pariter ac mari, anno decimo & ſeptimo à Patribus ſuffectus eſt. Vt qui non ætatis ſpatio aut annis, ſed divinitate ingenii cenſendos eſſe heroes intelligerent. Et vel ſuo vel eorum quos adjunctos ſibi habuit ſic uſus eſt conſilio, vt, quales alii paulatim fiunt, ſtatim à naturâ factus videretur. Adoleſcentiam ac primum ejus regimen diſſenſio excepit, quâ ple-

rique, hostem nostris factionibus intentum, quidam, ne ambitionis novæ præmium libertas fieret, occulte metuebant. Cui, cum Achillem suum, tanquam servitutis obicem, opposuissent Patres, sic ex vsu Reipublicæ secundas egit, vt, qui primas sustineret, nullas brevi apud nos haberet. Quo in patriâ elapso, quanquam aliquid lateret, ipsa tamen flamma, & mox ignis, curâ ac prudentiâ extinctus est. Quanquam autem res ab eo gestas recensere, historici, non oratoris, exornare, nec historici existimo; qui oratione verâ sine ornamentis optime defungi solet (cum orator, ea quæ & numero & magnitudine eloquentiam excedũt, facundissime commendet, si confessione candidâ omittat: quia quæ cum curâ & appositè tacentur, magna pars eorum sunt quæ optime dicuntur;) quædam tamen, quod ab iis solet fieri qui orbem in tabellâ pingunt, non vt æquent, sed vt repræsentent, obiter enumeranda potius quam recensenda reor. Flandriam Hispanus eo tempore ac Brabantiam tenebat. nisi quod in illâ, arcem vnam, quæ nunc vrbem imitari cœpit, (Neusam vocant) cum Ostendâ; in hac Bergam, quæ ad Zomam, nostri adhuc vindicabant. Primum solidæ virrutis testimonium Axellæ dedit: quâ in Flandriâ, Sidneio comite, non magnâ manu, sine vllo sanguine propemodum ac cæde (nam & hosti parcere, cum posset, maluit)

luit) potitus est. Bergam, oppidum invictum, in quo res ad omnium stuporem admirandas, tori illi Martis ac lacerti, duo Baxii gesserunt, maximo exercitu Parmensis post obsedit. Quo profectus subito, cum vultu Principis adversus belli casus militem attolli non nesciret, ita & sermone & conspectu, militem cum cive accendit, vt ex spe conceptâ, nihil præter desperationem imperator summus, & qui vincere non tantum jam didicerat, sed & plurimis successibus consuerat, domum & ad suos reportaret. Cæterum fatale erat, vt ex illâ belli areâ ac campo, tot illustria virtutis documenta eques noster daret. E quâ vrbe, eodem anno, centum pedites, equites sex admodum, Thienam, oppidum Brabantiæ, spectante Hispano, expugnarunt. quibus, cum non minus quadringenti, post direptionem obvios se darent, ne de prædâ quicquam aut virtute hosti cederet, vtriusque compotes ac sui, manu per hostile agmen reditum ad suos reperêre. Breda, quæ nunc annum prope obsidionem toleravit, sine exercitu ac sumptu, arti ac ingenio nostrorum cessit. cum pauciſſimus ac terrâ suâ tectus miles, satis esse ad laudem duceret, quod vrbem expugnasset. Cujus magnitudinem victoriæ, ab hoste postea, tot copiis tantoque tempore ac sumptibus edocti sumus. Cui nova hæc obsidionis ratio placere cœpit, quâ de fame ac egestate

militis, non de virtute, triumphatur: qui nihil gravius indigniusque tulit, quam quod prœliis ab hoste intercluſus, ad ignaviam redigeretur; expugnatus antequam oppugnaretur. Erant eo tempore, & non ita validæ res noſtræ, & anguſti limites ac fines, quos vbique aut tenebat hoſtis aut claudebat. In Geldriâ, Zutphania ac Neomagia; in Tranſiſulaniâ, Daventria; in Friſiâ recentes aliquot, ſed validæ firmæque arces, Immetilla cum Opſlago ac Delfſilla; alia ex parte, alio propemodum in orbe; Hulſta munitiſſimum Flandrorum oppidum, terrore ſui omnes, damnis ac excurſionibus, vicinos profligabat. Dicam, quod ſtuporem omnem, omnem longe excedit admirationem: (nemo enim tam velociter inceſſit vt hic vicit) vno omnes eodemque anno, non ignarus famam ab initiis pendere, &, vt prima cedunt, cætera à vulgo æſtimari, non luſtrauit aut acceſſit, ſed prouinciis adjecit. obnitente fruſtra Principe Farneſio, Parmenſi duce. qui cum arcem Cnotzeburgum aliquamdiu fruſtra obſediſſet, & ad artes ac inſidias virtutem cõvertiſſet, arte noſtrâ vinci ſe ſpectavit prius quam audivit. cum è turri editâ, ſuorum fugam, neque prædam modo, ſed & aquilam, viventi ſibi ac ſuperſtiti auferri vidit. Quo ſpectaculo percuſſus, cum ſucceſſu, ſpe, autoritate ac fiduciâ, exutum ſe videret, ne fortunæ ſuæ ſupereſſet, Belgium reliquit.

liquit. Annus alter (nam victoriis distinxit singulos) Steenwycum, vrbem prope invictam, cum Otmarsâ ac Covordâ, nobis dedit. Paulo post Groeningam, cum Gertrudis monte (at quas vrbes!) alteram prouinciam, non urbem, alteram provinciarum omnium veleo nomine præsidium ac munimentum, quod Batauiæ totius munimentum & in eâ esset, sine strepitu ac motu expugnauit. Quæ nos obiter, vt ante dixi, non commemoramus, sed subducimus. Ne quis singula, quæ justi molem operis requirunt, in transcursu & sic obiter miretur dici. Nam & ita vicit: & præcipuum victoriarum omnium momentum ac miraculum, in festinatione ac modestiâ habemus. quæ jactantiam ac leuitatem, cum pauore ac fugâ hostibus relinquit. Quanquam metuo ne magis etiam sit festinandum. Vno eodemque anno Rhenobercum, Meursam, Grollam, Goram, Enscedam, Brevordam, Oldenzeliam, Otmarsam, Lingam, expugnauit. &, quod singula excedit, maximâ gravissimâque obsidione, in Geldriâ Bomeliam exsoluit. Toto enim, Venit, Vidit, Vicit. vt cum ipsis prope mensibus victorias æquaret. Cæteras, vt Gravam, VVachtendoncum, Dorecomum, Bateburgum, VVoudam, Andreanam arcem, ac Cracoviam, omitto. Quarum quasdam paucis horis, quasdam, uno alteroque die, validissimas plerunque ac maxi-

me

me munitas, totidem euertit mensibus aut cepit. Quod cum imitari aut vlcisci statuisset hostis, vires omnes copiasque in Flandriam convertit. Est in eo littore oppidulũ, aut moles potius exigua, piscatu olim, tandem militum excursionibus ac prædæ destinata: vt vix hosti, nisi ex agricolarum querimoniis, vix nobis, nisi ex impensis, nota esset. donec propriâ calamitate ac virtute nostrâ, supra cæteras Europæ celebrari cœpit. In quâ cum non secus atque in caueâ conclusus miles noster esset, annos tres, adversus hostem, mare ac luem, igni, ferro, sulphure ac animis, sic stetit, ut amissis mœnibus, amisso pro quo dimicabant loco, cum in vrbe obsessâ, neque vrbi; cujus partẽ occuparat mare, nec victoriæ jam locus esset, nihil hosti, præter tumulos cum cadaueribus relinqueretur. quibus ipsis, cum & aggeres & tellus defeciisset, aliquamdiu propulsatus est. Nemo tantâ clade vicit, nemo tantâ laude ac virtute victus est. Adde quod invictus ille noster, dum de puluere ac arenâ in hostili agro, hujus causâ decertatur, totam in eodem insulam, cum Slusâ, Ardenburgo, Isendicâ, vrbibus invictis plane aut locis, hostibus extorsit. Bergam (nam de eâ sæpius dicendum fuit) oppidum, quod neque per se firmum est, & ita collibus munitum vt munitioni non sit locus, arte ac molibus quas procul hostibus objecit, cum diu absens defendisset,

disset, tandem sine armis & adventu solo vindicauit. cum pro armis (novum prœliandi genus) famâ & existimatione suiu tere tur. qui totius vitæ non vnius aut alterius victoriæ & præmium & finis est. Quo successu, vrbs incomparabilis & supra plurimas Europæ clara, quater magno impetu ab hostibus tentata, toties à nobis vindicata est. Nec felicior in vrbium obsessionibus quam prœliis aut Marte aperto fuit. Quod cum sæpe, tum Turnouti clade nobili testatum. quam describat aut descriptam legat, qui hoc agit. nobis omnia incumbunt. Nam quod rarius conflixerit, prudentia, non metus fuit. Per hostilem agrum bis, cum metu ac pauore omnium, exercitum deduxit. Per Brabantiam, successu non invtili, quod Gravam occuparet. Stragem vero quam ad Neoportum dedit, nulla vis ingenii ex merito describat. Quo cum eques omnis, omnis pedes, omnes vtriusque partis conveniissent vires, & vterque dux ante agmen, vultu, verbis, manu atque exemplo inflammaret suos, fugientibus obsisteret, cessantibus instaret, neque minus acriter vrgeret miles, horas tres ambigue certatum est. Vt nec fortius pugnari neque melius disponi aciem vtrinq; potuisse satis constet. nisi quod initio victoriam præcepimus. Nam cum locum aciei ante pugnam occupasset noster, Sol, arena, ventus, maximum in littore momentum,

tum, protinus in partibus fuêre. Huc acceſſit, quod ut primo velitationibus recentes aut detinuit, aut callide, dum noſtri adventarent, explorauit; ita feſſis nouum ac recentem, quem ſervarat ſibi, equitem immiſit. Quo turbatus eques, & jam diſſipatus pedes, fugæ, prædæ, ac victoriæ, initium fecêre. cui finem interemptus hoſtis & nox dedit. Cladis magnitudinem victoriæque, ſex ſeptemve millia in loco cæſa ac captorum prope innumerabiles teſtantur. Inter quos provinciarum terror & diu Rheni incubus Mendoza fuit. qui victori faſtum pariter & animos ſummiſit. Ita dies idem, alterum exercitum, in terrâ ſuâ fugientem, alterum longiſſime à ſuis & ab hoſte cinctum, in hoſtili agro triumphantem vidit. Vt vterque metu cuncta ac terrore, alter fugiendo, alter quia vicerat, impleret. Nam quid ea dicam, quæ aut principe eo, aut, conſilio ac ductu ejus, mari tot jam annos geſſimus? qui terrarum metas & extremos limites egreſſi ſumus. Thule enim ſummus navigantium conatus, in pomœriis fœderibuſque noſtris hæret. Gades hominum, ut loquitur poeta, fines expugnauimus, deuicimus. Calpen metu ac terrore proterruimus. Canarias, quas Fortunatas dicunt veteres, invaſimus. Quarum principem ac caput, Nobiliſſimus vir Petrus Douſa, domo Lugdunenſis, expugnavit. ac ne vinci potuiſſe dubitemus, incolas in latebras

fera-

ferarum & ſpeluncas montium, adegit. Vt venationibus, non bello, ſupereſſe viderentur. idem qui Mexinam, ſive Divi Thomæ inſulam, ſic occupavit. Vt omittam, quoties illuſtris vir Iohannes Duuenvordius, ſupremus ſub hoc principe Oceani Præfectus, parvâ manu nauibuſque, multas atque immanes alibi ceciderit, accenderit, everterit. Cui, Gadibus devictis, Sereniſſima Britanniæ Amazon, grates litéris, quas legimus, ac præmia perſolvit. quoties invicti Argonautæ noſtri, veri hoſtium ac piratarum ſcopuli, non numero, non armis, ſed virtute ac animo ſuperiores, res præclaras, inauditas atque inuſitatas, toto mari geſſerint, ediderint. Ne de Novâ Zemblâ dicam. Vbi cum & homines, & Sol, & dies defeciſſent, cum frigoribus ac feris diu commiſſi ſumus. Ne jam dicam, quâ virtute India ad Orientem, ac mox altera ad Occidentem, penetrata aut tentata ſit. Ex quibus, præter opulentiam immanem, omnia plantarum, animalium, aromatum ac ſtirpium portenta, hactenus & nobis & veteribus ignota, prompſimus, eruimus, transveximus. Sed quo te Heemskercki prætermittimus piaculo? qui, cum Regiam, communicato prius cum heroe noſtro hoc conſilio, ſub ipſam Calpen, ſulphure ac ferro, neque minus animis tuorum, deleuiſſes claſſem, primus vniuerſam trepidare Hiſpaniam ac deſperare docuiſti. Vidit ea dies, Auditores, duas

ac

ac viginti, moles dicam neſcio an naves, turribus pleraſque ac propugnaculis eductas, ita vaſtas quaſdam ac immanes, ut non ſine horrore maris ac labore venti moverentur, ſingulas tormentis plurimis ac militum exercitu inſtructas, in conſpectu ac ſuorum quaſi ſinu, ita diripi, vaſtari, diſijci, corrumpi, ut non minus prope ſanguinis quam aquæ mare concitatum volueret. tantâ vi ac impetu noſtrorum, ut, cum neq; fugiendi illis neque inſtandi nobis ſupereſſet locus, alteri in mare deſilirent, alteri eodem animo quo vicerant ſubſequerentur. Eſt hic genus quoddam hominum cui plurimum libertas noſtra debet, qui in terrâ nati, ſimul eam corpore preſſerunt, more animalium ac ritu, quibus duo elementa incolendi anceps contigit natura, aquam petunt. in quâ vitam agunt, neque minus natant, ubi opus eſt, quam navigant: de cætero ſecuri, cum ubique domi & ubique peregre ſe eſſe credant; quicquid autem nondum occupat Hiſpanus, patriam exiſtiment: quem vt hoſtem ſic materiam virtutis putant. tantâ corporis atque artuum velocitate, ut per funes nauticos enixi, ſimul prope in imo nauis ac ſupremó mali ſpatio verſentur. tanto animo pro patriâ ac fide, vt plerunque poſt victoriam & ante ſervitutem, rebus omnibus humanis mortem anteponant: à quâ cum vrgentur, libertatis tamen jus extorquent. Quippe, navibus,

vibus accensis, pulvere icti & cum hoste in aërem elisi, quia non vincuntur, ex opinione suâ vincunt. Sic in mare redeunt, in quo perpetuo vixerunt. Ex his vnum sæpe audivi, cum in mari ipso militem Hispanum ferro aliquamdiu persecutus esset, rictu tandem morsibusque, irritatæ instar belluæ sic inhæsisse morienti, vt non hostem ante in fluctibus quam animam demitteret, & quem aliquamdiu toto corpore pressisset, in cadavere ejus expirasse. Quendam, cum adhuc prætoria restaret nauis, è supremâ mali parte, prius quam à suis abiisse crederetur, belli transtulisse signum. quod ereptum, cum victoriâ confessionem ejus hostibus extorsit. Ita classis tota, in exitium nostrorum comparata, cum in speculis interea ac littore armata pariter ac trepida cõsisteret Hispania, deleta igni, suis metum; nobis, præmium virtutis atque audaciæ, victoriam reliquit. Ex hoc tempore, cum bello ac penuriâ non parum vrgeretur, ac jam sibi, inter nos grassari suetus, serio timeret hostis, de induciis vt cogitaret suâ interesse credidit. Adversus quas luctatus aliquamdiu noster, cum & ea quæ secuta sunt prudenter præsagiret, & perire sibi patriæque tot annorum tempus, maximum mortalis ævi spatium, videret, fatis tandem ac necessitati cessit; non ignarus temporum à quibus vinceretur. Et, vt ante bellum foris, pacem domi, ita pacem foris,

bellum domi, tum habuimus. quod honeſtos quoque non amore patriæ aut odio, ſed partium aut ſingulorum, ſæpius tranſverſos egit. magno cum mœrore ejus, qui nec civem hactenus in armis, neque militem in caſtris niſi pro Republicâ armatum viderat. Quæ tum contra euenêre. nam & factionibus ac ſtudiis noſtrorum, & per ea, clam ab hoſte oppugnati ſumus. Qui ſucceſſu maximo tum armis ſupersêdit. neque vnquam, ſi quid judicare poſſum, verius de nobis triumphavit quam cum neuter vicit. Sed & miles in quietem verſus, & ſucceſſus aliquantum ſubſtitiſſe viſus eſt. Nam Iuliaco ac Bredâ, quanquam damno hoſtis maximo & ſumptu, tamen ceſſimus. Ex cujus ſolertiſſimâ defenſione, ita domum & ad ſuos venit, ut & ſuam & inſtantem Patriæ calamitatem, quiſque ex macie, pallore, ac vultu, præſentiret. Hoc plerique in eo admirantur, quod, cum maximi plerunque duces, rei militaris partem aliquam præ cæteris vel colant vel intelligant, eodem & ſucceſſu & judicio in omnibus ſit uſus. Eodem quippe eventu, & aperto Marte, & dolabrâ, & cuniculis ac machinis rem geſſit. Vt non raro, cum ad portas ſtationem tueretur miles, noſter machinâ invectus, deſuper veniret vrbi: aut ſub terrâ, hoſte ignaro, graſſaretur. qui, cum arma expediret, jam ab hoſte victus erat quem ſub pedibus habebat. Vrbem oppugnauit nullam,

vt

vt non prius daret operam, ne expugnari posset. Quod celeritate incredibili, & arte partim, partim militis exercitati operâ, præstabat. Vt priusquam peti se sentiret, jam obsessi essent: aut deditionem, ac nonnunquam sero, cogitarent. cum ruinas, quas tormenta dederant, extemplo sine veniæ spe miles sequeretur. Quem in potestate interdum imperator amplius non habet. Non enim fundâ, aut ballistâ, aut imbelli Græculoque ferro, sed immanibus tormentis, quæ, cum ignem conceperunt, partes vrbium immensas rumpunt atque elidunt, turres atque mœnia pulsabat. Arma nova, novas sæpe machinas excogitavit: quæ cum ad Hispanum etiam adversis pervenerê rebus, plus terroris quã successus aliorum intulerunt. Bellica tormenta, quæ & onerari & moueri loco sine magnis sumptibus non possunt, sic contraxit, vt & quovis facile vehantur, & triente solo pulveris, nec vi nec impetu minore, displodantur. Nemo loca quæ muniri possent, nemo muniendi rationes, nemo terræ situs, nemo maris consuetudines ac vices, nemo portuum ac fluminum profunditates, ita habuit perspectas: quo nec tutum neque clausum quicquam relinquebat hosti. Si quod mare obstaret, classe; si quod flumen, ponte; aut si nihil præter aërem pateret, illuc quoque machinis ac arte perreptabat. Nihil mari sine eo, nihil terrâ, nihil bello gestum est

aut pace. Præsens multa, nec minora absens, cum vbique præsens esset, exsecutus est. Et ut aliquid sine eo, nihil tamen nõ ab eo gestum est: cum ubique aut militem exercitatum, aut tribunos mentis suæ conscios haberet. Pedes, eques, semper dux, nonnunquam miles, omnia disposuit, obivit. Sæpe destinato, aliquando ex occasione, prœlium commisit. Sæpe in acie cecîdit hostem, sæpius prævênit. Sæpe festinando, aliquoties trahendo bellum, aliquoties & non pugnando, vicit. Artes, quæ adversus hostem tantum sunt honestæ, raro & plerunque cum successu maximo adhibuit. Arcana, nemo sic tegebat: nemo hostium, cum animis consiliisque Principum, sic explorabat. Quâ in re, & ratione occultâ & invsitatâ vtebatur. de quâ nihil referam aut dicam: quia melius prudentiusque præteriri puto quæ non prosunt nisi ignorantur. Quicquid vsum vel in bello vel in prœliis habere potest, in campestri meditatione militem docebat. Nam tractare arma, etiam posteritatẽ docuit: quod nonnulli tabulis ac scriptis expressêre. In castris, nihil unquam vel mechanico vel militi præscripsit, cujus non exacte rationem iniisset. Nam & munimenta prius animo delineabat, & officia quæ præscripturus esset, expendebat prius quam exigeret. Vt non modo decipi ab aliis non posset, sed & calculum cum opibus nervisque Reipublicæ ex usu ejus ac secu-

securitate suâ poneret. Quo effecit, ut, nec fraudes aliorum neque sumptus nimios in publicum inferret, & autoritatem vtrobique tueretur. Disciplinam militarem, quæ in castris robur ac virtutem confert, stricte contenteq; & instituit & conservavit. Nam & ordinis, quod munimentum est militiæ, & exercitiorum, rationem semper habuit. Abstinentiam, modestiam, ac continentiam, a milite sic exigebat, vt labore ac manu, non lasciuiâ aut petulantiâ, à ciuibus differret; hosti tantum gravis, non grassator inter suos. nemo libertatis causam in licentiam vortebat. In exemplis ac suppliciis, inexorabilem ac plane immotum se præbebat. nam prudentiâ, quod paucis contigit, id consecutus erat, ut volentes emendaret. Immodestos temere ac delinquentes, voce sæpius & oculis quam pœnâ continebat. Iram sæpe in promptu, sed non ultra speciem, habere. In congressu ac colloquiis cum iis quibus imperabat, ab humanitate non plus petere præsidii quam quantum ad autoritatem, quæ nonnullâ sui parte hac constat, satis esset. Et severitatis aliquid natura addidisse videbatur. quâ sic vtebatur, ut, qui militem amaret, disciplinam pro virtute singulorum & cum opus esset inhiberet, non laxaret. Quo effecit, vt quod vtilissimum in castris semper fuit, hostem minus milites metuerent quam ducem. In conflictu, nemo sic parcebat militi,

sic vtebatur: à quo mortis patientiam, non vitam, exigebat. cum non temere absumendus sit in prælio, qui bello reservatur. Quod non horâ aut momento, ut conflictus, definitur, sed & sæpe refici & ad posteritatis curam cum Republicâ transmitti solet, ideoque ad patriæ securitatem caute est dispensandum. Ægros saucios que in bello, nemo diligentius respexit: quos fomentis aliquando, aliquando voce ac alloquiis leuabat. quæ quo minus ad blanditias composita ac ratiora erant, eo animos apertos simpliceſque, quale est militare vulgus, magis altiusque penetrabant. nam blanditiarum assiduitate ut autoritas amittitur, ita comitatis vsus obsolescit. Nemo unquam de annonâ, nemo de stipendio in tempore exsolvendo, magis vel sollicite vel diligenter cogitauit. quo effecit, vt, cum sæpe aut fretus numero aut aliquâ difficultate oppressus, cogere quam supplicare malit miles, nunquam aut obsequium fidemque duci, aut cum hostibus certamen detrectarit. & nonnunquam subito conspectus ita aciem accendit, ut quem quisque in pugnâ legerat, pene vltra mortem & ad inferos persequeretur. Tribunatus aquilasque, non obsequio fortunæ semper, sed virtutis merito ac vltro sæpe conterebat; nec stipendiorũ tempus, sed aut gesta aut aduersa vulnera ac cicatrices numerabat. Itaque & non raro sordidos ac cæteror um

rum rudes, sed exercitos ac manu strenuos, ad summos ordines traduxit, &, quos nihil præter ambitum ac prehensationes commendaret, pari animo rejecit. Adulationem ac jactantiam diversitate morum, & plerunque vel silentio vel vultu castigabat. nam quæ leuitatem præ se aut futilitatem ferrent, non tam oderat naturâ quam detestabatur. A temeritate ita alienus, ut sæpissime, cum cædere hostem posset, satis esse existimaret si non cæderetur, nec aperto Marte, quod tyronibus placere solet, provocaret, nisi cum prospectum esset ne noceret. Nam occasionem laudis sibi quidem sæpe dari, patriæ periculo nec semel delinquendum esse existimabat. in Republicâ præsertim, in quâ sapientes regunt, plebs judicium adversus omnes sibi servat. Si quid moliretur, lentus atque ad omnia intentus, prospera cum ratione magis quam ex casu approbabat; tantus ac tam rigidus exactor sui, vt suffragium fortunæ nunquam post virtutem expectaret. In hac libertate nostrâ, illud quoque adjungam (neque enim expectatis, credo, ut, quod pædagogi solent, homo animi non plane abjecti, verbis hosti aut dicteriis detractum eam) quod cum vniuersis Hispanorum opibus, ingenio, ac viribus, cum summis hujus tempestatis ducibus, commissus est. Alexandrum quidem illustrissimum Farnesiorum Principem ac Parmæ Ducem, Pe-

trum Ernestum vt & Carolum Mansfeldium, bellandi veteres ac gnaros, Sereniſſimum Archiducem Albertum, ex initiis vbique formidatum, ferociſſimum Mendozam, & Ambroſium ex antiquiſſimâ ac noſtris cladibus nobilitatâ Spinolarum gente, noſtri quoque celebrant. Nec Achillem commendare potuit Homerus, niſi Hectorem extolleret, neque Æneam Maro, niſi Turnum commendaret; & Lucanus, quia Cæſarem depreſſit, plus Pompeio, ſi quid judico, detraxit. imperator quoque noſter, vincere hoſtem quam contemnere malebat. In Republicâ, vt mente celer & ingenio ad omnium ſtuporem promptus, ſic in ſingulis cunctator ſæpe, ſæpe ita velox, ut cum ſimulandi artes maximo naturæ beneficio vel ignoraret vel odiſſet, aliorum ſimul intelligeret ac præveniret. Dubitandum autem non eſt, quin quam plurimum ad laudem in Republicâ interſit, alios decipias an non decipiaris. quia alterum verſuti callidique, alterum prudentis & vbique circumſpecti eſt. Exempla ſingulorum, vel quod melius hæc norint qui arcanis hactenus interfuerunt, vel quod melius diſſimulatur quicquid noſtro tempore prudenter ſed occulte geritur, non tãgo: & antiquitas, ſub cujus velo optime hæc docentur, cuiuis patet. In dicendo ita brevis ac ſuccinctus, ut neceſſitatem raro, nunquam dignitatem Principis excederet. plurima acu-

te,

te, nihil vnquam fruſtra dixit. Apparatum eloquentiæ nec adhibebat, nec in alio laudabat. Nemo Principum conſilium ſic petiit, ſic dedit. ita quidem, ut cum peteret, plerunque daret, & velocitatem cum judicio ſuſpicerent à quibus petebatur. non enim hoſtem tantum ſed & ſuos prævertebat. Corpus ſuccolentum, vegetum, toroſum, Deus & natura dederant; cujus ſpeciem ac modum magnitudo animi ac mentis excedebat. Vultus, ſerius, compoſitus, ac gravis: geſtus, vere militaris: nihil blandum vſquam aut fucatum, nihil à quo aliud timeres: &, in voce magis quam in verbis inerat ſeueritas; quæ caſtrenſem negligentiam & imperandi conſuetudinem præ ſe ferebat. Ex ore, ſuperciliis, inceſſu, corporis totius motu habituque, Martem, non plorantem illum, quem poeta turpiter inducit, ſauciumque, ſed Gradiuum aut Vltorem, deſcripſiſſes. qui poſt perpetratum Delphis Batavorum ab Hiſpano facinus, in animo ac vultu ejus ſedem poſuiſſe videbatur. Non delicias, non odium ab eo expectares. quod nonnulli condunt, vt in vſum ac vindictam promant. Quorum diritatem, neque verbis quiſquam ſatis execrari, neque cogitatione aut ſenſu penetrare poteſt. iraſci quàm nocere honeſtius putabat. Cultus, non luxurie aut ſumptu, ſed mundicie inſignis. Quam & famuli præ ſe ferebant: vt è diligenti patris

domo, non ex aulâ, ſingulos prodire exiſtimares. Haſtas, galeas, loricas, phaleras, ephippia conſpiceres: quæ nunquam niſi ſanguine ac vulneribus fœdari paſſus eſt. Ne in peregrinum quidem habitum, quod nobis vſitatum eſt, deflexit; qui Germanos modo, modo Gallos publice repræſentamus. etiam, quod fœdum dictu eſt, Hiſpanum odimus & imitamur. Quæ haud parvi in Principibus momenti ſunt. Siquidem, cum habitu, Græcorum mores quoq;, Magnus Alexander exuit, ſimulque gratiâ ſuorum & ſucceſſu deſtitutus eſt. Et Romani, Regum liberos quos expugnare ſenſim aut inviſos ſuis eſſe vellent, cultu moribuſque ſæpius quam armis ad ſe traduxerunt. Nemo ſibi & naturæ plura, nemo pauciora inſtitutioni debuit. Militarem rem, exercitatione & vſu, artes pacis, inter tubas didicit & arma. Ducis maximi virtutes, fortitudinem, ſcientiam pugnandi, providentiam, felicitatem, vim imperii atque autoritatis, ad exemplum non tam aſſecutus erat quam abſolvit. Fide, juſtitiâ, clementiâ, judicio, modeſtiâ, benignitate, ac nonnullâ, vbi res requireret, ſeveritate, quæ ſi in eodem pariter concurrant, Principem abſolvunt, nemini conceſſit. Inter arma ita vixit, vt contentione ac induſtriâ, non luxu aut licentiâ, à cæteris differret: in Republicâ, vt qui prudentiâ ac vſu primus eſſe poſſet, ſalvâ majeſtate ejus mallet

eſſe

esse maximus. Rarum autem ac invsitatum, vt qui pluribus excellit, nihilominus æqualis esse velit cæteris, & ex omnibus quæ pro imperio ac potestate alienâ gerit, curam sibi tantum ac molestiam reservet. Quam vel moderationem vel æqualitatis curam, omnibus trophæis laureisque anteponunt, quibus ne pro libertate quidem bellum cum suspicione servitutis in Republicâ probatur; quam felicitas suorum ac successus pluribus quam hostis publicus invexit. In quo genere præcipui fuerunt quos præcipue nunc admiramur. In Romanâ C. Cæsar, cujus bellicas virtutes atque ingentem cum successu animi vigorem, nemo satis vnquam commendarit, primus libertatem expugnauit: cæteri pro servitute, quod imperium tum dicebatur, omnia gesserunt. Qui divinos maximosque viros, Brutos, Cassios, Helvidios ac Pætos, quorum instituta & extremæ quasi morientium pro libertate vires, factionibus distractæ erant, tanquam scopis euerrerunt. Etiam Pompejus, quo præ reliquis libertas steterit, magis dedit operam, vt solus quam vt primus esset. Cato autem, omnium scholarum post eversam libertatem argumentum, vt amore Reipublicæ non pauca, ita quædam, & fortasse eadem, ad famam & ad ostentationem gessit. ne in summo quidem vltimoque vitæ actu, ab hac alienus: in quo operam dedisse dicas, non vt extra servitutem,

sed

sed vt in theatro moreretur. Ac ne Pyrrhos quidem, Mithridatas, Alexandros alioſq; idgenus Reges veterum, duceſque, hic opponi nobis feram. quippe qui ex vſu cuncta aut pro nutu dirigebant. Igitur aut ducere hoſtem aut ferire, vrbem cingere, aut extemplo, cum res ferret, expugnare; occaſiones denique omnes, quæ momento ſæpe conſtant, vbi viſum eſſet, pro ſe occupabant. Noſter, ex arbitrio virorum quidem, quales nunquam deſunt nobis, maximorum, ſed, vt ratio conſtaret omnibus, ex alieno omnia gerebat. Illis opes, etiam ad luxum, nobis aliquando vix ad vſum aut in loco ſuperant. Simul autem vincere ac parare quibus vincas, in Republicâ præſertim, difficillimum. in quâ, cum omnia vt in privatâ diſponantur domo, ſimul de ærario victoriâque cogitandum eſt. Pietatem ac Religionem, non ad dominationis vſum & ex arte, vt nonnulli, ſed ex animo colebat. Quam tueri majus eſt quam profiteri. Non vt quenquam aliud ſentire cogas, ſed vt ad præſcriptum ſuum, non alterius, colatur Deus. In quam libertatem qui jus ſumit, etiam ſi cætera concedit, vniuerſam tollit. ſiue quia id quod primum eſt in libertate tollit, ſiue quia tota ſæpe ſervitus ſub hoc prætextu latet: quod tot annos Belgæ jam experti ſumus. Nam tributa, vectigalia, atque alia, vtcunque tolerantur: nemo jus in pietatem animoſque impune ſumit

mit niſi qui præſcripſit. Ac plerunque de ſucceſſu ac victoriâ non dubitat qui Deo cauſam approbari credit: neque quiſquam pugnat fortius aut vincit ſæpius. Vt hoc ipſo quidam callidiſſime vtantur. quia ſuam cuique optimam videri, & affectu, non judicio de eâ judicari, maxime ij credunt quibus nulla niſi ſimulata placet. Ad virtutes iſtas, maxima naturæ beneficia ac dotes accedebant. Memoria tam rara inter cæteras ac vaſta, ut quæcunque ab actuariis concepta eſſent, per ſe meminiſſet, & amiſſas, quas legiſſet vnquam, aulæ tabulas chartaſque, à ſe peti poſſe, nihil minus quam jactator, aliquoties pronuntiarit. Accedebat rerum prope omnium ſcientia, ac ſolidum de ſingulis judicium: quo & mentes ſingulorum & ingenia prudenter callideque pertentabat. Memini legatos quoſdam, etiam quos magni pridem approbarant Reges, duces, nautas, medicos, politicos, cum metu ad officia ac ſalutationes acceſſiſſe. Adeo nil temere à quoquã cujus reddi ratio non poſſet, admittebat; ipſe rerum omnium vorago ac abyſſus. Vt eorum quoque gnarus videretur quæ non audiuiſſet, & timeret quiſque ne jam ſciret de quo reſpõdendum ſibi eſſet. Nemo enim plura ſciuit quæ non didiciſſet: nemo plura vſu perdidicerat de quibus recte judicaret: nemo tanto cum judicio quæ perdidicerat in vſum publicum convertit. Inter quæ Matheſin merito repona

ponas; ut subtile studium, sic vastum. Cujus singulas sic perlustrauit partes, ut egisse hoc unum peritissimi vel fide suâ deierarent. cum & multa primus observarit, neque pauca prope amissa ex antiquitate revocauerit. Nam & Numerorum ac Geometriæ adyta, totamque Graphicen excusserat atque Opticen. Vt Potentiarum Ponderumque Isorropicas omittam rationes. In quibus magnum imitatus Archimeden, plurima ad belli vsum ac commoditatem patriæ reduxit. In Cosmographiâ eos fecerat progressus, vt Geographiam cum Hydrographiâ totam percalleret: in Astronomiâ, non quæ popularia sunt modo, sed & ea quæ heroicas exercent mentes, penitus teneret. Hinc opificum ac sedentariorum stupor: quorum artes cum non didicisset, singulos, si quid delinquerent, ex arte castigabat: respondentes, circino aut rationibus vincebat. Vt plerique, qui candidiores essent, instrui se paterentur; cæteri, vtcunque nollent, veritatis vi expugnarentur. Exercitiis, aucupiis, venationibus, ac cæteris id genus, sic addictus fuit, vt non raro inter ipsas ad Rempublicam rediret: plerunque, aliud aut ageret aut cogitaret: nonnunquam & dictaret aliquid vel scriberet. Vt non admodum teneri iis aut astringi posse videretur. non quod principe indignas, sed quod ociosi esse judicaret; neque studia, sed voluptates. Nullum enim rerum præsidi cum feris,

feris, sed cum hostibus imperii, certamen esse ac bellum voluit natura. Quos in fugam dare ac sequi, magis pro imperio existimabat. Et huc totam flectere venationem videbatur. Itaque hostem, vel latentem, callide vestigiis persequebatur, vel indagine inclusum, tanquam in cubilibus cingebat, vel in fugam concitato, terrâ veteranum, mari nautam, vt Laconem aut Molossum immittebat. Ita cum & seria ac sua tantum ageret, ne voluptates quidem ab vtilitate Reipublicæ ac vsu separabat. In quâ cogitationes omnes, omnem animum defixum semper atque astrictum pertinaciter habebat. Quem si quando relaxaret, machinam recentem aut tormentum grande explorabat. Sæpe equorum greges, quos ex omni orbe ad se missos, non in vsum belli modo, sed & admissarios in spem propaginis alebat, maximâ cum curâ ac diebus prope singulis lustrabat. Et eximium quo vteretur semper habuit. Quorum vnus (nam minuta quoque veteres in laudibus heroum maximâ cum auditorum voluptate sectabantur) cum in pompâ funebri lugentis habitu conspectus, (& in talibus amissi desiderio nonnulli argutantur,) hæsitare interdum ac præ cæteris mœrere videretur, lachrymas domestico excussit. In delectu quoque canum modicus, & qualem ante dixi, vnum quem à fide non à formâ æstimabat, exquisite semper coluit. qui cum expugnatâ vrbe

ad

ad victorem tanquam dedititius fugisset, domino, cum indignatione si quis accessisset, ad extremum hæsit. cujus, etiam post obitum, benignitate, quod tantopere in antiquis Græcis Romanisque Chæronensis sapiens commendat, sustentatur. Interdum clavâ Gallicâ aut nostrâ, modice exerceri. Interdum, quamvis raro, curru suo Sceuerinæ vehi. quem antennis, gubernaculis ac velis, sic aptarat, vt, cum vellet, etiam in terrâ navigaret. Scenæ quoque interdum temporis nonnihil dabat: sed vt animo plerunque absens & intentus meditationibus sederet. Nam amœnitate hortorum atque ædificandi curâ, sero admodum teneri cœpit. Equitem cum pedite vniverso, fusili formatos opere, pro scaccià habebat. Quos & variare, & pro loco aut aggressione hostium disponere ac mutare, pueros, quos vulgo honoratos vocant, remittendo animo docebat. ut ex tempore consulti, primos sæpe equitum præfectos ac tribunos in ruborem dederint. Ex quibus, castra ac metandi rationem, cum tentorio, principiis, viisque, ac totâ aciei formâ, accurate efformatam ac descriptam vidimus. De cæteris vix cogitare videbatur. vt ne quidem musicâ impense duceretur. Nam Achilli, quem vt accuratam belli normã victor orbis Macedo colebat, citharam quâ belli tædia dispungeret in manum poëtarum princeps dedit. Noster, præter illam quæ pro patriæ salute

lute auditur, nullam in deliciis habebat. Tympanorum ac tubarum horror & fatale tormentorum carmen, bellatorem vindicabant. In mensâ epulisque, semper sobrius suique similis; cibum ad necessitatem, aut pro exercitio quo famem aliquando invitabat, modicum sumebat. Vinum, quo plerique valetudinem corrumpunt, ejus tantum causâ, ac vix, admittebat. Quod à medicis nonnunquam ægre persuaderi sibi passus est. multum ab eorum consuetudine alienus, qui immensis poculorum certaminibus, & quasi bello, nihil præter vinum pro salute patriæ effundunt. Somni, vt in castris, ita domi, semper parcus: quem plerunque, hic Respublica ejusque cura, ibi, cum nonnunquam sub tentorio, nonnunquam humi & sub dio recubaret, stationum atque excubiarum monitus aut hostis abrumpebat. Domum, in exemplum aliorum, quod in hac Republicâ conducit, sic disposuit, vt, quod nonnulli Principes secure negligunt, in ære nunquam alieno esset: suo autem ita vteretur, vt & citra vires patrimonii & fortunæ magnitudinem impensæ essent. Partim, ne in liberâ Republicâ judiciis exponeretur quem vt vitæ normam omnes sequebantur: partim, ne obstrictus cuiquam esset cui omnes debebamus. Quæ sequuntur autem, quibus verbis, Auditores, exprimam aut commode describam? nam & vox, & sermo,

& oratio, dicenti pene elabitur ac fugit. Cum defensioni Bredæ aliquamdiu intentissimus fuisset, vt, dum Patriæ consultum vellet, sui quo hæc ipsa nitebatur, rationem non haberet, lentum ac difficilem contraxit morbum. Cujus causâ vt de repetendâ domo cogitaret, vix à Patribus adduci potuit. Quo sic tandem rediit, aut potius, delatus est, vt funeri simillimus aut vmbræ videretur. Vt in vultu ejus, Patriæ exequias ac vltimam necessitatem, boni omnes legerent cum lachrymis ac præsentirent. Vt, ex venæ pulsu ac momentis, mortem nostram ac defectum, medici denuntiarent. Cujus haud ignarus ipse, Patres Patriæ, cum Fratre illustrissimo ad se vocauit. Quorum, illis quidem, curam Reipublicæ ac onus, huic, suum ac Parentis maximi exemplum cõmendauit. Apud quos, consuetâ mentis generositate, studium, non beneficia, in Patriam testatus est. Majus est quod addam. Cum supremum imminere sibi tempus didicisset, vt, quod superesset, totum Deo daret, mentem cæteris subduxit. Quæ quo magis vitæ anteactæ recordatione se demittit, eo altius ascendit. eo enim propius ad fundum ac medullam gratiæ accedit. In quo quasi centro conquiescit. Quod postremum tempus, primum vitæ ejus ac præcipuum fuisse judico. Quo terrenâ omni cogitatione, omnibus humanis exsolutus curis, non de uno alteroque loco, sed

de

de orbe triumphauit. quem non vincit vniuersum nisi qui contemnit. Huic vni studio intentus, è Theologis, Antonium V. Valæum, quem hoc anno Academici Senatus Præsidem renuntiarat, virum, cujus eruditionem, pietatem, fidem, Patriæ sibique adverso tempore perspexerat, cum Iohanne Bogermanno, reverendo viro, qui & mortis ordinem descripsit, aliisque, sæpius ad se vocavit. quorum pia monita, solatia ac preces, non tam auribus quam animo prosequebatur. Quos, cum nihil præter Deum, præter Servatorem suum, præter pœnitentiam ac vitæ sordes, sed ex animo ac sine fuco, loqueretur, aliquoties cum lachrymis à se dimisit. Nam, ne leviora dicam, (plura enim concurrebant) callo vitiatum jecur, vitæ commeatus ac commercia, paulatim, tanquam in obsessâ civitate, supprimebat. Vnde primo, alimonii egestas, mox debilitas, postremo mors & quasi necessaria deditio, secuta est. Et jam poplites, jam nervi, jam vox ipsa, ipsi quoque oculi defecerant, neq; quicquam præter halitum exiguum de libertatis nostræ vindice restabat. quem clementiæ diuinæ totum jam transcripserat ac consecrarat. Heu lux Patriæ ac Pater! heu exemplum omnis ævi, nostri admiratio ac stupor! heu bellator, victor, triumphator, spes tuorum, terror hostium ac tremor! heu invictum Rheni nostri tonitru ac Martia tempestas! in quem Re-

ges Principesque, oculos ac cogitationes, tanquam scopum, collimabant, ad quem flos nobilitatis, ad quem voluntarius ex orbe toto miles, Gallus, Teuto, Italus, Britannus, Scotus, cæteræque gentes, agminatim concursabant, quem vidisse, pars felicitatis ac victoriæ momentum habebatur, sub quo artem militarem & armorum rationem nisi qui hausisset, totam ignorare credebatur! Heu Belgarum Hercules ac Telamo,

modo quem gloria ad cœlum extulit,
Quem aspectabant, cujus ob os

non, vt ille ait, *Graij*, sed Europa, Europa, inquam, vniuersa,

ora obuertebat sua;

eam nobis obiici calamitatem, vt, cum aras, focos, liberos, ac vitam, ipsam quoque quæ hac vitâ carior jucundiorque est, libertatem, vni debeamus, vnum omnes vidui ac orbi deseramus! Et jam ipse à te desertus eras. Nam quo jam nobiscum vel confugeres vel provocares? Ad invictos milites ac legiones tuas? Nemo mortem expugnauit. Ad heroicas virtutes & autoritatem tuam? *Ego dixi*, inquit Veritas, *Dij estis. Filij excelsi omnes vos. Tamen moriemini, vt homines. Vt vnus de Principibus cadetis.* Ad victorias tot illas, quas terrarum orbis celebrat, extollit, admiratur: quas, quamdiu in terris nomen libertatis erit, omne ævum omnis admirabitur posteritas? Nihil, præter nomen,

quod

quod hic relinquendum erat, ex his omnibus reſtabat. Ad tot machinas, quas primus ſollertiſſime pro Patriâ excogitaras? Nullum hic habebant vſum. Duæ tantum jam ſupererant, vt neceſſariæ, ſic minime fallaces, quas in ipſo vitæ exitu adhibuiſti. Nam, cum cæteræ deeſſent, Pœnitentiâ ac Fide, non, ut ante, vrbem aliquam ſed cælum perrupiſti. Hanc victoriam poſtremam, hunc triumphum Imperator noſter geſſit. poſt quem, victor omnium ac ſui, vitæ immortalis Capitolium aſcendit. Ita, vnâ eâdemque horâ, Auditores, columen prudentiæ ac caput ſuum Patres, Martem milites, vitam, ſpem, ſalutem ciues, fulcrum ac tibicinem imperii ac gloriæ Batavia, patronum ac tutorem Academiâ, amiſit. qui vigeſimo & tertio Aprilis, (ô miſeriam!) cum Sole nobis occidit. Annos quinquaginta fere & octo vixit: quadraginta ex autoritate Patrum, rebus præfuit: duodecim induciarum ſpecie militiæ exempti ſunt. Victoriis rebuſque geſtis vitæ ſpatium exceſſit: quod velocitate animi ac non ceſſando vltra ſæculum produxit. Præter vniuerſum vitæ tempus, quod ſaluti Patriæ indulſit, Patrem patruoſque tres, Adolphum, Ludovicum ac Henricum, libertati Belgicæ impendit. Teſtimonia virtutis nemo plura tulit, nemo Regum Principumque animos in admirationem ſui ſic pertraxit. Ab Henrico quidem Magno (at quo Rege!) primum tem-

pestatis suæ ducem, sæpe nuncupatum constat. Pro Iacobo autem Sereniſſimo Britanniarum Rege, cui sapientia ac pacis artes debent, tum judicium quod extat, tum collata dignitas testatur. Nam Gustavus ejus nominis Secundus, absens quoque præsentissimum hoc tempore eruditionis numen (patietur enim tantæ Majestatis fulgor, in quo virtus & natura vel congessit quicquid potest vel exhausit, obiter hic nomen vsurpari suum) quid de eo sentiat, existimet, quotidie loquatur, à Legatis prædicari malo. Idem de invictâ Venetorum gente, quæ jam mille annos ac ducentos, non consulibus sed libertate signat, dico ac pronuntio. Quanquam autem tota tellus, & extremus quoque orbis, laudum ejus luculenta exhibere possunt monumenta, proprium habere Delphis Batauorum, voluit, optauit. Vt qui Patrem, quamdiu vixit, vel vlciſci statuit vel imitari; ne in morte quidem aliud quam pietatis sibi poneret. In quâ vrbe, habebunt posthac quod cum curâ lustrent, admirentur, domi maximâ cum admiratione prædicent, commemorent, extollant, peregrini. Nam cum alias illustrium virorum ornamenta sint sepulchra, hic sepulchri ornamenta duo sunt heroes, quos Europa, Asia, ac Africa, communi voce extollit celebratque: quos infecti pice & Sole peregrino milites ac nautæ nostri, etiam fortasse pedibus obuersi, liber-

tatis

tatis publicæ autores canunt. Quorum alter, furiis Albani, ignibus ac crucibus, virtutem ac Oceanũ oppoſuit: vt Hiſpania timeret quamdiu timeretur, & ad opulentiam quamcunque pervius terrarum orbis eſſet. Alter, tantus, vt in curiâ conventibuſque pro Senatu, in militiâ caſtriſque, ſolus eſſet pro exercitu; terrâ, mari, bello, pace, libertatis limites ac jura, ampliavit ac produxit. cui addam, quod, vt ſolent, frigide laudabunt, quibus nulla niſi ex ambitione virtus in Principibus probatur, integram à ſe non minus quam ab hoſte conſervavit. rebus geſtis, meritis, virtutibus, Rempublicam obſtrinxit, non oppreſſit. Quo erepto, nihil, præter animum invictum atque intrepida conſilia, ad curam noſtri ac tulelam Patriæ ſuperſunt. Nam ſi expectatis, vt, quod in privato funere oratores ſolent, verbis tantum ad commiſerationem aut inanem planctum, præficarum more, præeam, aut luctum ejulationibus accendam; fugit vos & ratio & inſtitutum noſtrum, Auditores. Non enim fœminæ ſed viri conveniſtis. Et invictum Principem lugemus. qui nec lachrymam emiſit vnquam, & à liberis conjugibuſque noſtris cum pallore eas, trepidatione ac fugâ, hactenus auertit. Cujus tergum nunquam vidit hoſtis: vultum, nemo vnquam inimicus Patriæ ſuſtinuit. Patres è Republicâ ejuſque moderatione, Populus ac plebes ex

memoriâ ac recordatione tanti Principis ſolatia doloris ac calamitatis ſuæ petant. Vitam, ſarciendæ huic cladi, animos ac opes pro ſe quiſque conferat ac Patriæ impendat: quiſque tanti Principis virtutes factis exprimat ac colat. Et tu, generoſæ maſculæque indolis juuentus noſtra, belli ſeminarium ac pacis, quam fundata tanto ſanguine ac virtutibus libertas, tanquam importuna ſed honeſta flagitatrix, jam obſtrictam tenet, ex memoriâ virtutis, non cum gemitu & planctu, juſta tantis Manibus perſolve. Tibi, Miles, ſi quis forte huc conueniſti, dico, Sanguine non lachrimis litandum eſt. Stantem militem, non ejulantem mori decet. Quoties in acie aut hoſtem feries ac ſiſtes, aut cruentam patriæ ac libertati commodabis manum, toties litabis ei quem amittis. Tibi hoc Hiſpane dico: Poſt ereptum fraude ac latrocinio parentem, poſt ſublatum in tranquillitatis portum, maximi parentis ac ſimillimum parenti filium, quem publice lugemus, NONDVM VICTI SVMVS. Manet cauſa eadem ac virtus, manet idem animus ac ſanguis, manent Magiſtratus, manet Princeps; ſi non idem, cum eodē animo ac poteſtate. Manet idem libertatis amor, &, vt maneat perpetuo, tu ſumme, tu æterne, tu invicte Deus, deſiderium lubidinemq; ejus, mentibus infunde. Bello, mox induciis ac pace oppugnati, neutro ceſſimus. Vrbes plurimas, ac

prope

prope innumeras, tenemus. Vnam forte aut alteram, non armis victi sed necessitate, amisimus. Incolumem atque integram Rempubl. fortasse & ordinatam post tot tempestates ac compositam, habemus. Quod si tempus nondum præstitit, periculum commune ac bellum jam præstabit. Mare totũ, sinus omnes, portus, insulas ac littora, vel classibus securi pervagamur, vel formidine ac virtutis nostræ metu, continemus. Quicquid alibi terrarum, extra Solem quoq; & Lunam extat, aut emensi sumus, aut coloniis jam occupamus. Deest Græcis Romanisque, ac postremo nobis quoque, qui jam totum circumvecti sumus, exploratus orbis: nondum deest studium sciendi, sit ne extra eum qui mortales capiat atque alat, habitandi locus. In Oceano, in glacie, in nubibus, in nocte denique ipsâ, extra siderum conspectus, extra limitès naturæ, viximus. Quicquid nix aut hyems, quicquid Solis inclementia atque ardor, quicquid ipsa vastitas ac solitudo, vel servavit sibi vel sepositi, accessimus, invasimus, perrupimus. Ne quis aut adversis nos terreri putet, aut metuere Fortunam, qui naturæ fines jam excessimus. Et inferre mortem & contemnere didicimus. Servire, nec didicimus nec possumus. Parvâ sæpe manu hostem fudimus, cecidimus, auertimus. Semilaceri ac semiuiui sæpius; Ostendæ, etiam post obitum pugnauimus. Nam

cum vrbi terra ac aggeribus deeſſet, truncos mortuorum ac cadavera objecimus. Vt poſt vitam libertatis ſtudium reſtare in nobis crederent à quibus irritati ſumus. Qui, ereptâ quoque patriâ, erepto habitandi ac viuendi loco, vel in mari medio, in claſſibus ac navibus, quod ſæpius experti ſumus, vel, ſi nihil reſtat, in viſceribus Hiſpaniæ, virtutis ſtudio ac deſperatione armati, locum vel inveniemus, vel invito hoſti ac ſpectanti extorquebimus. Denique, vt feræ quædam capite obtrito, in autorem vulneris neceſſitate aguntur, quia præter mortem nihil ac vindictam reſtat: ita nos exuti (quod avertat Deus) opibus ac ſolo, tecum & in tuo, non inviti & interriti cademus. Et jam pedum viam vidimus. Gades diripuimus: Calpen metu expugnauimus: Fortunatas inſulas acceſſimus, devicimus. Vt, excepto cælo, nihil jam ſuperſit, quod virtuti noſtræ reſervetur. A tyrannide ad neceſſitatem, à neceſſitate ad virtutem & quæcunque geſſimus, compulſi ſumus. Ita in Batavià, cum laude ac dignitate vivunt, quos Brabantia ac Flandria ejecit: in vtrâque Indiâ, coacti, vitam, opes, ac fortunas repererunt, quos triremibus ac vinculis Hiſpania addixit. Demens, & ignave, & rerum omnium ignare, caſtris exui ac cædi, patrimoniis mulctari ac fortunis, cogi ad virtutem, ad victorias, ad laudem poſſumus. Vinci animo non poſſumus. Qui

quam-

quamdiu invictus in posteritate nostrâ ad exemplum nostrum erit, nunquam hosti deerit quod agat, semper aliquid restabit de quo nunquam triumphabit. nisi quod facilius vrgere desinet, quod nunquam consequetur, quam vt nos de libertate amplius non cogitemus. Atque vt metuamus absit, Patres. Et in nobis & in aliis præsidia habemus. Regum maximorum, Rerumpublicarum florentissimarum socii ac fratres sumus, publicæ salutis mœnia ac muri, libertatis propugnacula ac nerui sumus. Quibus, cum amicis sociisque expugnatis, nihil præter seruitutem orbis & imperium vnius restat. Cæterum, cum Magistratus omnis, omnis Princeps, sæpe brevis vitæ ac caducæ, semper fluxæ ac mortalis, status ipse ac Respublica æterna sit, immortalitati autem nostræ illustrissima Nassoviorum stirps divinitus jam destinata videatur, tempus est, vt ad solatia, & quidem certa ac præsentia, eamus. quæ in Fratre tanti Principis tantoque Principe habemus. Cui, Deo præeunte ac jubente, Illustrissimorum Ordinum consensu, destinatione Fratris, votis omnium ac publico applausu, rerum salus, Patriæ tutela, terræ pariter ac maris regimen ac cura, nunc incumbit. Et quandoquidem adesse vbique Princeps creditur, & absenti quoque fausta omnia precari, mos majorum tenet,

Frede-

Frederice, Henrice, Illustrissima Nassoviorum soboles ac germen, titulis, successione ac meritis Arausiorum Princeps, Deus immortalis, vnicus imperii hujus publicæque rei custos, stator, atque vindex, sub auspiciis Parentum Patriæ, res fortunasque tuas foveat ac tueatur. Quas, cum dignitate tuâ, cum imperio ac potestate, fixas in hac terrâ ac fundatas habes. In eâdem vitæ sociam jam delegisti: in eâdem successorem tuum ac dulcissimos nepotes, quos jam debes, expectamus. Tu cum lacte atque inter vbera nutricis, in paterno sanguine cum Patriâ natasti. Tu eodem loco, in eâdem vrbe, in quâ Patrem plane invictum, Matrem vnice suavissimam ac prudentissimam, Fratrem hunc incomparabilem ac penitus divinum, omnium bellorum ejus particeps ac triumphorum, condidisti, primum hujus libertatis spiritum hausisti. Quorum Manes, ab injuriâ ac sacrilegio abominando, ab incursione hostium, ab Hispanorum furiis, defendere non potes, nisi te, te, inquam, Magne Heros, Patriam communem, conjuges ac liberos, ab iis pariter immunes habeas ac præstes. Quæ aut (quod auerat idem immortalis ille Deus) deferenda, aut nos tecum ac cum tuis defendendi sumus.

DIXI.

IN

IN

IOSEPHI SCALIGERI

FVNERE,

Habita in auditorio Theologico, statim ab exequijs,
XXV Ianuarij, cIↃ IↃ cIX.

ORATIO II.

OMnia nata interire, neque quicquam immortale esse in terris, præter vim mentis & ingenii opera, hodiernus maxime dies docuit. Mandauimus, mandauimus terræ, miserum illud & exhaustum Iosephi Scaligeri corpusculum, in quo magnus ille literarum princeps animus, annos sexaginta fere & octo, tanquam hospes, in angusto domicilio ac lare commoratus est: in quo tot præclara opera, tot diuina monumenta, tot cum omni posteritate victura semper scripta edidit. Qua profecto morte, quanquam ita fractum ac debilitatum esse me sentiam, vt si lachrimis lingua, mens dolore oppressa conticescat, veniam ab omnibus deberi existimem: metuo tamen, ne ampliſſimi clariſſimique quidam viri, qui vbique nomen Scaligeri famamque, non vt eruditi hominis, sed vt eruditionis vsurpare solent, meram in me vel temeritatem vel audaciam accusent. Aquibus ego tantum abest vt dissentiam hoc tempore aut abeam, vt nihil præter pietatem mihi quod opponere iis queam, esse videam relictum.

ctum. Nam sive aliquid dicendum de hoc viro erat, multos in hoc ordine præstantes viros, neque ex iis quenquam non me erudititiorem video: siue aliquid pro dignitate illius, vereor ne omnibus tacendum fuerit. Cum vero etiam de rebus cœlestibus plerique ita agant, non vt laudem iis, quod aut superuacuum est aut ineptum, addere conentur, sed vt liberam earum admirationem omnibus relinquant; nobis sola virtutum ejus viri sufficiet commemoratio: commendationem vero singularum, iis qui aut prodigi existimationis suæ sunt, aut suarum imbecillitatem virium cum magnitudine illius nondum, vt oportet, contenderunt, relinquendam putamus. Si nobilitatem tanti feciſſet, Regibus Principibusque ortus fuit: si majorum res gestas, nemo plura in eadem gente trophæa, nemo plures numerare victorias potuit: si postremo animi præstantia, quæ in Scaligerorum stirpe eluxit, censeri voluisset, omnes historias, omnes annales, testes habebat: neque quoquam oculos conuertere potuit, vbi non domesticam laudem inueniret. Verum enimuero, supra fortunam animus, immortalitatis studiosa mens, omnium scientiarum capax ingenium, noctes atque dies inquies, amore æternitatis angebatur. quæ è caducarum occupatione rerum, ex humano puluere & sordibus, ingeniorum vim, fatali quadam & occulta lege ad se tra-

se trahit. Ad quam non à pædagogo, mercenario, vt sæpe solet, homine, ac abiecto, sed ab eo, cujus nomen sine horrore & religione nemo vel commemorare potest, ab heroe summo, Iulio Scaligero deductus est: vt eundem & nobilitatis, & vitæ, & existimationis autorem haberet. Nam cum magnus ille senex, paupertate & inuidia suorum oppressus, nihil, præter generis splendorem, reliquum jam sibi liberisque videret; durum onus sane ac graue; paria cum fatorum acerbitate facere statuit, & quam amplius tueri nobilitatem non posset, eius sine strepitu vitæ, solam conscienriam seruare. Quippe cum plurima stipendia feciſſet, & ingenitam illam à natura heroibus ferocitatem, prima ætate concoquere ocioſe domi ſine aſſiduis facinoribus non potuiſſet, tandem iis artibus totum se dedit, quibus filium se digne inſtruxit. Cujus operæ hunc fructum tulit, vt cum puerum aut ejus indolem intueretur, nunquam lachrymas tenere posset. Cujus admiratione atque aspectu de ruina gentis nobilissimæ admonebatur. cui cum totis viribus incubuiſſet fortuna, cœleſtis ingenij ſublimitatem, non minus ad dolorem, quam ad conſolationem, reliquiſſet. Nam vt ignis transferendo non extinguitur, plerumque vero acrius erumpit: ita generoſitatem in duobus illis viris, dignitas erepta, opulentia majo-

majorum cum imperio amissa magis inflammabant. Vt jam tum Iosephus noster principatum nouum agitare videretur: quem profecto (quouis Principe audiente dicam) tandem consecutus est. Anno decimo ætatis & nono, Lutetiam profectus est: in qua vrbe voto sese audacissimo obstrinxit. Nam cum terminos scientiarum esse certos ac limites videret, vni autem immorari, animi angusti judicaret, omnes primus post memoriam mortalium, cum linguis, animo ingenti expugnare aggressus est. Cum vero omnium scientiarum matrem esse & quasi fontem, Græciam videret; prætermissa omni voluptatis cura, tanta vel contentione vel celeritate, linguam hanc arripuit, vt Grammaticorum tricis, nisi quas è lectione poëtarum sibi ipse regulas formaret, prætermissis, vno & viginti diebus Homerum, reliquos intra quartum mensem poëtas, cæteros intra biennium scriptores, perdisceret. Hac molestia solutus, linguam Sacram aggressus est. Memini frequenter audiuisse ex illo, se, cum in Parisiorum vrbe eo versaretur tempore, quo notissima illa & infanda sæuiret laniena, adeo Hebræis litteris sedisse intentum, vt nec fremitum armorum, neque puerorum gemitus, neque mulierum lamentationes, neque hominum clamorem aliquamdiu audiret. Harum mira suauitate illectus, cum paulatim, tanquam ignis quidam,

feruor

feruor creſceret diſcendi, Chaldæam, Arabicam, Punicam, Æthiopicam, Perſicam, & præcipue Syriacam, conjunxit. Ita ad philoſophiam magno animo ac mathematicen contendit. Erat hac ætate maximum ac celeberrimum Cuiacij nomen, cui principatum juris omnes deferebant: cum hoc ita annos quinque vixit, vt jucunditatem literarum penitus ex animo deleret, & cum præceptore ſuo, quo & poſtea uſus eſt amico, totus in collatione legum hæreret. Ac ne quicquam penitus deeſſet, cum Theologorum, ſed præſertim antiquorum, ſcripta diligenter pertractaſſet, ne recentioribus quidem nihil dandum temporis putavit. Nam de magno Hippocrate quid dicam, cujus aliquot libellos, olim Lutetiæ excuſos, notis illuſtravit: cujus Aphoriſmos, imitatus Celſum, in Latinum conuertit ſermonem? Tanta ergo eruditione, tam inaudita in eodem homine ſcientia inſtructus, ſimul explicare vela ingenij, & omniſciam memoriam, ac ſecundo vento famam experiri cæpit, ſtupere omnes, neque vt de homine amplius, ſed vt de nouo aliquo portento, loquebantur. Theologi, juriſconſulti, medici, ſed præſertim optimarum litterarum gnari, exclamare, hærere, nulla aut ſibi laude aut illi ſatisfacere videri. Alij abyſſum eruditionis, alij ſcientiarum mare; alij doctorum ſolem, alij patris diuini ſobolem diuinam, alij genus Deorum, alij perpetuum

petuum literarum dictatorem, alij maximum naturæ opus & miraculum, alij extremum naturæ conatum, alij aliter vocare: quorum testimonia selecta, breui, vt consensum omnium doctorum æmuli intelligant, pariter à nobis edentur. Donec nimia virtute, & vt ipse judicabat, immodestis aliorum laudibus, improborum virus ac malevolentiam mereri cœpit. Verum enim vero, fremant, indignentur, cœlum misceant ac terram, vel indocti qui de eruditione tanta judicare nesciunt, vel maleuoli qui ferre non possunt, nullum certius virtutis suæ signum quam inuidiam reliquit. Nam si Principes Scaligeros majores ejus videamus, quorum annos mille & ducentos familiam stetisse omnes testantur; qui potentia, victoriis, militari laude, animi ac corporis præstantia, etiam æqualibus antecelluerunt: nemo tantam istis omnibus inuidiam, quantam noster ille literator (ita enim homines festiui vocant) ac infelix antiquarius sustinuit. Nemo vsquam improborum fuit, qui virtutem eius, nemo imperitus qui perferre scientiam posset. quos, vt iterum hoc dicam, vel quod in se concitauit, vel quod fortiter contempsit, diuinæ vtrumque ac inusitatæ argumentum est præstantiæ. Sicut enim gloria è virtute, ita æmulatio ex ista atque inuidia est expectanda. Eam vero si quis ita metuit, vt ne cuiquam improborum displiceat, regiam virtutis viam deserendam arbitretur,

tretur, proditor signorum ac desertor est. Et profecto dignus omnium contemptu esse incipit, qui bonorum laudem fortiter tueri non audet. Cui aut renunciandum semel, aut invicto animo cum liuore & improbitate dimicandum est. Id qui facere non potest, ita sese paret, vt in locum solum aliquem concedat, vbi ne vultum quidem magni hominis conspicere cogatur, & quod relliquum est vitæ, in solius voluptatis studio consumat. Ibi cogitationes, ibi animum, ibi spem omnem vitæ habeat. In scortorum sinu & amplexibus, inter temulentos ipse temulentior, omne æuum, aut ebrietate grauis aut onustus crapula, traducat. liuorem vero ac inuidiam, ne exspectet quidem; quæ non sine ratione Deus ac natura inter se disiunxit. Etenim, vt in prœlio clypeum qui abijcit & virtuti nuncium remittit, non ab hominibus modo, sed & à iumentis paulo post calcatur & sub pedibus plerunq; perit: ita qui ferre inuidiam non potest, ferre contemptum cogitur, qui in virtutis continuo succedit locum. Mihi vero, pastus atque obsonium magnarum animarum, & quasi cibus quidam, æmulatio ac liuor videtur. Neque raro Poëtas nostros, primos sapientiæ autores, admiratus sum. Quoties enim Herculem eorum video, qui vt absolutum virtutis exemplum ab ijs proponitur, quoties illud tergum quod tribuere illi solent, illos neruos, illud pectus,

illos toros mecum ipse contemplor, vere homines diuinos fuisse iudico, qui vt talis euaderet, inuidiam illi nutricem apposuerunt: cuius, tanquam in palæstra, ictu crebro induresceret: à qua lacessitus quamdiu viueret, cœlum tandem immortalitate compos ascendit. Quippe sicut ventus, si in aere aperto erret, libertate illa perit ac diffunditur; sin in terræ penetralibus cohibeatur, ipsam movet ac cum vi euadit: ita quibus generosus ille sanguis in præcordijs concaluit, perrumpere ad æternitatem, ipsa inuidia spectante, quam ire malunt. neque melius heroes quam per nebulonum humeros in cœlum assurgere videntur. Quod si cuiquam vnquam, nostro certe contigit: cuius è purissimo igne compositum ac delibatum à Deo artifice ingenium, sine his calumniarum flabellis, redire eo non poterat vnde profectum fuerat. Multa prius terris debebat: quæ vt concitato ita maiore animo conscripsit. quoties nimirum cum improbitate pedem conferret, & iustissimo dolori habenas laxaret. Sæpe calumnijs, sæpe mendacijs admonendus erat, quis esset: vt ex odij acerbitate magnitudinem suam intelligeret, & de gente sua cogitaret: à qua, cætera cum amisisset, nihil præter inuidiam priuato majorem retinuit. Illud pignus nobilissimæ stirpis, hanc hæreditatem à principibus ac regibus accepit: hanc inuicto animo ad supremum vs-

que

que ſpiritum ſeruauit: hoc poſtremo nominis celebritate, hoc integritate vitæ, ab improbitate ipſa extorſit. Nam vt nihil hic de moribus dicam, vt præclaram continentiam, temperantiam, ac ſobrietatem omittam, ſingularem & cœleſtem in heroe noſtro animi conſtantiam, quis non admiretur? Qui vt ſemel partes has amplexus eſt, nullis aduerſariorum precibus, nullis promiſſis, nullis dignitatibus, permoueri eo vſque potuit, vt vel cuiquam ſpem præbere ſui vellet: ne vel minima ſuſpicione viri pij aut honeſti ciuis defuiſſe officio videri poſſet. Credite, Auditores Ornatiſſimi, nihil eſſe ambitione potentius, quoties præſertim animum ſublimem & erectum inuaſit: omnia labefactat, omnia peruertit, omni machina & tormento fortius mentis mœnia expugnat: neque quicquam penſi præter ſemetipſa habere ſolet. Quin vt ſanguine hircino adamantem emolliri aiunt, ita robuſtiſſima conſilia attactu illius collabaſcunt. Hujus vero ille vi & arbitrio mentem penitus emancipatam géſſit. Iam de opum contemptu quid dicam? Nouimus plerique qui hic ſumus, quidam etiam viderunt, cum illuſtris nobiliſſimuſque vir Petrus Ianninus, Diuionenſis Senatus princeps, regi Gallorum à conſilijs & ad Belgas hodie legatus, verum togæ decus & Muſarum patronus, magnam illi vim pecuniarum fruſtra bis offerri iuſſiſſet, tandem in

hanc vrbem aliquot ante eius mortem diebus veniſſe, & auctoritatem ſuam muneri addidiſſe ac preces: neque tamen impetraſſe, vt, quod alij optare ſolent, ſenex noſter vel rogatus admitteret. Quo mihi facto tam excelſo, ipſam Fortunam pugno percuſſiſſe videtur, & leuiſſimam illam meretriculam, quæ tam male de maioribus ejus merita eſſet, domo & foribus ſuis exegiſſe, ac vt res ſuas ſibi haberet iuſſiſſe. Videtur ante mortem, quæ iam imminebat, aliquod illuſtre documentum virtutis ſuæ relinquere amicis voluiſſe, quod calumniati aduerſarij faciliùs quam imitari poſſent: quorum nemo tam perfecte eſt ſapiens, qui non gloriam Scaligeri lubentius contemnat, quam virtutes imitetur. Adderem de reliquis nonnulla, niſi quoſdam eſſe ſcirem, qui ne hæc quidē ſatis æquo animo audire poſſunt. Nunc de meritis in Academiam, aliquid dicendum eſt. Anni ſex propemodum & decem ſunt, cum illuſtres Patriæ Patres, Curatores, ac Conſules, inter arma quibus tum oppugnabantur, inter maxima pro libertate & aſſidua certamina, Galliæ Palladium eripuerunt, & præcipuum Europæ nomen (ita enim vere judicabant) liberali ſtipendio in hanc vrbem vocarunt. Qui mihi dies, vt a Curatore olim noſtro Iano Douſa ſapienter dictum eſt, alter Academiæ natalis videtur. Nam cum liberales diſciplinæ, & earum candidati, ducem ſuum

Iuſtum

Iustum Lipsium, suauissimæ in illo quidem, sed inimitabilis, & vt ipse judicabat, ne tentandæ quidem alijs eloquentiæ, virum, amisissent, pleraque juuentus autem æmulatione viri clarissimi abrepta, & jam præceptore suo, cujus scripta adumbrare quam monenti recte credere malebat, destituta, quæ feliciter exprimere non poterat, stulte tamen sequi optaret, magnum in discrimen literaria res venerat Si quis scribere Latine vellet, à Pacuuio & Ennio demortua accersebantur verba, saltitabant periodi, macra, jejuna ac famelica oratio, succo omni, neruis destituta omnibus & copia, punctulis quibusdam & allusiunculis, aut membris interim præcisis & interrogatiunculis abrupta, nauseam fastidiumq; sui pariebat. Histriones scenicos dixisses, aut adinstar Telephi Euripidæi, non mendicos modo, sed & claudos, qui chorago intus rem gerente, spectatores cum tibicine oblectarent, & dum maximo conatu aliquando exilire conarentur, cum majore spectatorum voluptate quam applausu, caderent, non irent. Si quis locum vnum Nonii emendasset aut Festi, literulam aut syllabam restituisset alibi autem ejecisset, & hunc ludum sine solida cognitione rerum strenue, sed sic ut nihil ageret, lusisset, Troiam expugnasse videbatur. Et hos tamen, si Dis placet, Criticos vocabant. Quam contagionem atque pestem, aduentu

ſolo magnus ille Apollo ſtitit. Qui inaffectato ſplendore, maſcula oratione & robuſta, ſtyli majeſtate propria & quaſi gentili, hiſtrionibus pudorem incuſſit. tot vero artes, linguas, diſciplinas, ac ſcientias conjunxit: vt ſi illa ſcire literatorem omnia oporteat, vere vobis affirmare poſſim, neminem poſt illum, literatorem extiturum: reliquos vero, quotquot literas contemnunt, multo pauciora ſcire. Dedit in hac ipſa vrbe, vt minora omnia omittam, librum quem de tempore emendando ſcripſit (nihil enim ad ſecundam cura prior.) De quo opere, nemo vnquam ſolus judicare potuit. Edidit immenſum illud & Herculeum, ſenex ac ætate affecta: in quo Chronicon Euſebii recenſet: omnium hiſtoricorum ac chronographorum errores notat: totam ſacram ac profanam antiquitatem illuſtrat. In quo quidem opere ita illuſtriſſimum ac venerandum ſenem vidimus intentum, vt qui mane ad eum acceſſiſſet, veſperi eodem loco deprehenderet: neque cibus pene aut potus, ac ne ipſe quidem ſomnus, reuocare ab inſtituto animi intentionem vllo modo poſſet. Si nil præter gloriam ſpectaſſet, notarum plauſtra in autores omnes dare potuiſſet: quas diſiectas temere & ſparſas, ne componere quidem ipſe dignabatur, ac ſine vlla exceptione cum amicis communicabat. Et inueniuntur nonnulli, qui quod nunquam publice docuerit, ac-

cuſare

cusare eum audent. Quasi vero non & quidam inter nos sint, qui nihil scribant. cum ab auditoribus excipiatur sermo & mox pereat: scripta ab orbe perlegantur. & si genius accedat, nunquam intermoriantur. Domum vero illius, quasi oraculum fuisse quoddam & delubrum, ad quod omnes ventitarent, qui de rebus dubitarent aut verbis, nemo ignorare potest. Veniebant omnium ordinum, omnium ætatum viri, nisi qui contemnere virtutem quam admirari mallent. Quem autem improbi aut ignaui accusare possunt, si quæ discere ex eo noluerunt, docere eos non potuit? aut cur negligentiæ suæ pœnas à clarissimi innocentia viri deposcunt? Quid molestiam epistolarum & scribendi negotium recenseam, quo propemodum solo perire sibi diem sæpe querebatur? Quotidie aut Galli, aut Germani, aut Itali, aut Angli aliquid ex eo quærebant, cui respondendum esset. Nemo enim dubitabat, quin quæ cuncti vbique ignorarent, vnus in hac vrbe esset, qui sine vlla explicare molestia posset. Fuit fuit illud tempus, cum in vna hujus ciuitatis domo, vnus homo plures linguas quam Europæorum quisquam teneret. Fuit fuit illud tempus, cum vnius in hac vrbe viri domus, orbis vniuersi museum esset. Cum remoti Maronitæ & Arabes, Syri & Æthiopes, Persæ & ex Indis nonnulli, eum in hac vrbe

hominem haberent, cui mentem animi, lingua interprete explicare posſent. Hæc extincta, euersa, deleta, præter nomen ejus, nunc sunt omnia: neque vllum nisi ex ejusdem liberalitate regia solatium relictum est. Nam cum amplius prodesse præsens Academiæ non posset, totam huic ipsi peregrinæ eruditionis suppellectilem reliquit. Qua jam omnes hac in parte bibliothecas prouocamus. Verum quo præclarius hoc munus tuum, magne heros, esse omnes fatemur, eo magis imbecillitatem nostram agnoscimus. Nam quemadmodum Achillis arma eo interfecto ne mouere quidem quisquam poterat: ita tuum illud sapientiæ instrumentum, omnes videbunt, nemo vniuerso forte vnquam vtetur. Sed & illud quoque magnitudinis tuæ futurum est indicium. Quotquot enim ibi volumina relicta erunt, totidem de ignorantia humana & liuore spolia videbimus: toties occulta magni tui nominis mentem animumque nostrum inflammabit memoria: toties, qui laudes tuas prædicare nolunt, eruditionem tamen tuam admirari cogentur. Tu vero, ô excelsa anima, quæ soluta parte imbecilliore tui, de liuore, de fortuna, & postremo morte ipsa jam triumphas, quam insigni vultus constantia, magna mentis præsentia, sine vllo gemitu aut mœrore, diu venientem fortiter vidisti, tandem etiam sustinuisti, qui

ingrato

ingrato orbi & qui majeſtatem gentis tuæ in conditione tua ferre non poſſet, maxima cum voluptate illum tuum Regum Principumque traducem ſpiritum ſurripuiſti, jam in dignitatem vindicata tuam, ſpatia immenſa aëris peruagaris: jam quam viuo inuidere gloriam homines malebant, ſaltem ſepulto concedent. Quicquid tui aliquis odiſſe poterat, partem ejus morbi vis paulatim conſumpſit: quod è morbo reſtabat, tellus jam tenet. Tu in ore, in animo etis omnium, nominiſque magnitudine orbem vniuerſum; diuturnitate autem famæ, vaſtam temporum profunditatem æquabis. Salve vera & poſtrema ſoboles Scaligerorum, ſalue heroum ſanguis, ſalue literarum princeps, ſalue inuidiæ victor, ſalue domitor monſtrorum: ſalue, aue, & æternum vale. Quod ſi quicquam cogitationum humanarum in te eſt relictum, ſi tuorum curam adhuc geris, ſi, qui te parentis, præceptoris loco ſemper coluit, quem tu filiorum primogenitum vocare ſoles, ad quem ex ſanctiſſima hæreditate tua, quam majorem tibi eſſe non ſinebat probitas, partem peruenire aliquam voluiſti, cui ſcripta tua, hoc eſt, ingenii tui pupillos, commiſiſti, ſi illius in hac luce conſtitutus, in hac gratulatione tuorum, inter Iulii tui amplexus, in quos totus jam effunderis, ſi mei, mei, inquam, meminiſſe adhuc potes, ô Pater, accipe poſtremum hoc munus, quod

cum

cum vitæ meæ acerbitate, cum lachrimis, cum sordibus, cum gemitu à me tibi offertur. Ego orbus optimo parente, præceptore destitutus, jucundissimo omnium studiorum teste ac patrono priuatus, inter hostes literarum & humani generis propudia, in calumniarum & maleuolentiæ cœno volutari porro pergam: donec tecum & cum ipsa æternitate conjungar. Vos autem, Nobilissimi, Amplissimi, Clarissimi viri, vosque præstantissima ac lectissima juuentus, nunquam in hoc auditorio augustum Scaligeri vultum videbitis: cujus corpore cum vacuum hunc locum videtis, omnibus scientiis ejus ac virtutibus, vacuam Academiam esse cogitate.

Ad Amplissimos Academia Curatores, & vrbis Lugdunensis Consules, de Monumento eidem ab iis decreto.

ORATIO III.

CVm Iosephum Scaligerum, optimarum artium Principem, in hanc vrbem euocastis, nemini dubium esse potuit, quin quæ vbique sapientiæ studia jacerent, ea copijs vestris atque industria in hac vrbe viuere ac spirare inciperent. Cum eidem autem in hac ipsa ciuitate feliciter defuncto, monumentum publice erigendum decreuistis, videmini mihi gloriam & existimationem vestram hoc eodem in marmore, in quo nomen ejus, insculpsisse.

pſiſſe. Videmini cum immortalitate illius viri contendere,& ijſdem quibus ille alis ad æternitatem eniti. Nam ſi quiſquam poſt memoriam hominum,cui,cum eadem nobiſcum lege natus eſſet,mori neceſſe eſſet,omnem mortis vim ac poteſtatem euaſit; ſi quis altius ſepulchro ſuo iacet, & cum corpus naturæ conceſſerit, gloriam cum univerſitate rerum æquauit; is profecto ille eſt, cui cum nullos viuo amplius poſſetis, mortuo honorem hunc exhibuiſtis. Is Ioſephus Scaliger eſt, inquam. qui non admirationem ſui, ſed ſtuporem poſteris reliquit. Cuius incredibile ingenium, tanquam flamma quædam aut fax publica, è cœlo delapſa & in terras demiſſa,artes omnes, omnes diſciplinas illuſtravit:cuius inexhauſta memoria, omnium rerum ac linguarum receptaculum & profunda quædam vorago fuit. In quo ipſa experiri vóluit Natura, vtrum plura obtrectare improbi,an mirari eruditi ac honeſti viri poſſent. Qui imperio maiorum exutus, dignitate ſpoliatus, ſæuientis impetum Fortunæ primus retardavit.quæ cum tanquam temulenta quædam ac inſana fœmina, in familia illuſtriſſima, omnia raptaret, laceraret, frangeret, immortalitate eam literarum exarmauit : ſuis autem, quia cætera non poterat, ereptam ab hac dignitatem atq; exiſtimationem reddidit. Neque dubium eſt, quin quod veſtrum de hoc homine fuerit iudicium,orbis

vniuer-

vniuersus iam exspectet, quin opinionem de hoc viro tam cœlesti suam, omnes quæ vbique viuunt gentes, confirmari à vobis desiderent: quin suffragium vestrum vltima propemodum Barbaria, de tam inaudita hactenus virtute poscat & efflagitet. Sed inprimis illa terrarum Regina, parens illa optima ingeniorum & nutrix Gallia, quæ ciuilibus vexata discordiis, sanguine suorum inuoluta ac cædibus, virum hunc tantum inuita vobis tradidit, & vt mater quædam animi impos & de potestate mentis tot calamitatibus deiecta, ab vberibus suis pignus hoc auelli passa est, nunc paulatim pace recreata, & amore litterarum flagrans, solum hunc loquitur, miratur, obstupescit, in illius laudibus defixa hæret, & cum adhuc viuum & spirantem fouere & amplecti non potuerit, saltem vltimum defuncto honorem persoluere desideravit, animo nunc toto fieri id a vobis postulat, & postremum hoc decretum, tanquam voluntatis vestræ testem, implorat. Etenim si, vt prudenter à Solone dictum fuit, finis expectandus est vt recte iudicetur, & post actum fabulæ supremum plausus excitatur: Iacet ille eruditi orbis splendor, illa fama literarum ac anima. quæ supremum à vobis debitumque virtuti suæ suffragium requirit. Non quo magis innotescat, qui celebritatem suam iam vbique diffudit: non vt eruditis commendetur, qui iam

princeps

princeps literarum ore omnium & Apollo Musarum judicatus est: sed vt nerui inuidiæ ac poplites, tanquam gladio quodam & acutissimo mucrone, testimonio hoc vestro succidantur: vt calumniæ jugulus petatur: quæ vt bellua immanis ac cruenta, adhuc cineres extincti & ossa inuadit: adhuc rebus humanis exemptum, vltra mortem persequitur; neque odij sui finem ibi ponit, vbi vitæ finem ipsa Natura posuit. Nam cum relliquis hominibus, conditionis suæ patrocinetur imbecillitas, cujus proprium errare est & labi; huic soli nihil ignoscendum putant, qui tantopere oderunt. Sed quemadmodum in Siculo mari, Scyllam esse quandam fabulantur, formosissimam puellam, cujus inguina perpetuo allatrant canes: ita omnes magni illius viri errores, ventilant & excutiunt portenta quædam & abortus literarum: ingenii autem vim ac majestatem, neque imitari velint si possint, neque possint si velint. Qui vt magis recordatione tam præclaræ virtutis vulnerentur, & vt magis odisse ea incipiant quæ, nisi tales essent, admirari satis non possent, non in chartis tantum sicut antea & libris, verum etiam in saxis ac lapidibus, laudes Scaligeri videbunt. Quæ cum calamo pro dignitate scribi non possent, ferro admodum profunde in marmore incidendæ fuerunt. neque in priuatis hominum museis aut triclinijs, sed in templis, hoc est,

proprio

proprio diuinitatis loco erant dedicandæ. Satis jam priuata laude commendatus erat, qui terrarum orbem nominis celebritate occuparat: publica requirebatur, qua jam totum vobis virum vindicastis. Et profecto, quamuis magnus Cæsaris animus, rerum omnium capax, nunc in ipso æternitatis sinu conquiescat, & inanes infra sese curas hominum contemnat; tamen esse indignos hoc deposito Nitiobrigas existimo. quibus quoties accedit peregrinus, digito sepulchrum viri tanti demonstrandum est. quem ibi situm esse nemo sciret, nisi quidam supersessent, qui meminisse possent. Nemo hic Scaligerum quæret, quin continuo inueniat: neque oculi tantum, sed & animi omnium, in his ductibus, his literis, hoc præclaro monumento vestro, in hoc testimonio elogioq; habitabunt. Exultabunt eruditi ac præstantes viri, contabescent improbi & furiosi: peregrini vero, nusquam liberalius virtutem ac scientias haberi fatebuntur. cujus certissimum indicium esse solet, quicquid jam defuncto exhibetur. Et cum omnium testimonio aut post mortem liuor euanescat, aut paulatim magnis virtutibus concedat, vestra quoque gloria cum ætate ipsa accrescet, & quo major omnibus videbitur, cui postremum hunc honorem habuistis, eo melius de vobis quoque omnis judicabit posteritas. Efflorescet indies illius viri nomen, quo maiorem

rem nulla ætas vidit, nulla forsitan videbit. Vastum illud & prodigiosum ingenium, admiranda illa & stupenda posteris industria, illa tot linguarum scientia, quot sine admiratione numerare nemo potest, accuratũ ac diuinum illud judicium, non latere magis quam deleri aut extingui potest; sed cum immortali vestra laude, supra vim annorum & inanes improborum impetus, supra factiones æmulorum, semper eminebit: ac, vt ignis quidam, semper & per vniuersum orbem, latius emerget ac erumpet. Vos supremus eruditionis magistratus, & Senatus quasi quidam literarum, quibus nostræ cura Academiæ incumbit, cum Parentibus patriæ, Iosephum Scaligerum in hanc vrbem euocastis, viuentem omnibus honoribus ornastis, mortuo ad æternam exstincti recordationem ac memoriam, publico sumptu monumentum decreuistis: inuidiæ ac improbitati obuiam eundum putastis: in delubro publico, virtutes ejus omnibus legendas dedistis: nihil quod à vobis exspectari poterat humanitatis, aut superstiti negastis, aut defuncto jam à vobis prætermissum est. Tu pro summa magnanimitate tua ac amore literarum, Myli Nobilissime, vnicum humanitatis Belgicæ exemplum, in cuius anima, ipsa studia hæc nostra crescere & florere videntur, primus in hanc curam incubuisti, & amico, qualem posthac neminem

videbis, pro amore solo ac beneuolentia, grauissimum autoritatis tuæ pondus reddidisti. Quicquid restat, nobis id committite. Nos ingenii humeris & quasi ceruicibus, supra ipsa Mausolea, quæ expressa hic videtis, ipsa inuidia spectante ac ringente frustra, Regem nostrum extollemus ac locabimus. & quam ipsi per nos forte adferre non possemus, à memoria diuini viri, ab idea illa plusquam humana, fauente Deo immortali, vim dicendi ac scribendi mutuabimur.

GRATVLATIO, DE *Fœdere inter Sereniss. Venetorum Rempubl. & Illustres ac Prapotentes Ordines Fœderatos contracto.*

ORATIO IV.

QVod vtrisque nostrûm, liberis nepotibusque vestris pariter ac nostris, faustum sit ac felix, Princeps Sereniſſime, & Vos Patres, gratulamur celebertimæ vtrique genti, fœdus, quod, cum bono Deo, æquis inter nos conditionibus nuperrime firmatum esse, orbis vniuersus nouit. Cujus dignitatem nemo magis æstimat, vtilitatem magis sperat, quam qui literis exculti, magnanimitatem, majestatem ac splendorem vestrum, ex annalibus hauserunt. Quæ vt potestatem suam ac imperium longissime in terris, multo autem longius,

gius, hoc est, vbique, nomen suum atque existimationem ante multa sæcula diffudit, chartas denique omnes ac memorias impleuit; ita fieri non potest, quin vbique & semper omnibus occurrat, qui aut ortus Rerumpublicarum & progressus, aut earum constitutiones ac præstantiam, considerant. Ac quemadmodum qui partes hujus vniuersi varias perlustrant, & in singulis diuersa admirantur, velint nolint, Solis radios vbique inueniunt: ita qui historiarum ac ciuilis disciplinæ studio tenentur, licet aliorum quoque populorum res attente ac cum cura perlegant; vbique tamen aliqua virtutis vestræ monumenta ac vestigia obseruant. quæ per omnes sparsa terras, magnis viris admirationem, æmulis calumnias ac maledicta, exprimunt ac pene extorquent. Qui in nomen vestrum, aut libellis putidissimis incurrunt, aut, quod solum possunt, more eorum qui in cœlum spuunt, virulente apud similes traducunt. Nam quemadmodum is ipse Solis calor, cujus beneficio Natura omnia producit, non diuersa tantum, sed contraria subinde agit, cum nonnulla soluat, alia induret: ita virtus vestra, Princeps Sereniſſime, & Vos Patres, magna illa atque inusitata, quæ vbique legitur, vbique prædicatur; alios ad imitationem, alios ad obtrectationem vestri rapit. Quod cum nemo melius quam vos expendat, fieri non potest, quin

& nobis idem eueniſſe judicetis. qui ad fœdus veſtrum, non calumnias eaſdem tantum, ſed eaſdem quoque earum cauſas, attuliſſe nos exiſtimamus. ſeruitutis odium, nimirum, & amorem libertatis. Quas quo diligentius in nobis expendetis, eo melius de nobis judicabitis. qui non alios habemus hoſtes, quam quos dominos habere dedignati ſumus. Quare, vt oratores alij, eorum quos commendant laudes, longius, vt plurimum, accerſunt, ne dixiſſe pauca videantur, ita ſatis eſſe nobis debet, eam cauſam quam in nobis premunt qui vos maxime accuſant, vobis approbari: quorum commendationi hoc a nobis eſt ſuſceptum. Qui ſi aliquid virtuti noſtræ, cujus annos aliquot illuſtria jam documenta damus, tribuendum creditis, multo magis vos mouere debet, quod ad eam ipſam, hoſtis violentia compulſi ſumus. Quod res ipſa perſuadere vobis poteſt. Populus Belgarum quippe, cum ſub Ducibus jam olim aut Comitibus, aduerſus quos muniti legibus & jure ſuo agitabant, aliquamdiu placide vixiſſet, ita vt nec genti generoſæ ſui præſides, nec præſidibus gens ipſa eſſet grauis; tandem dominationem regiam, vel ideo quod talis eſſet, metuendam, tulit, donec potuit. hoc eſt, donec ſpecioſa videretur ſeruitus, aut nondum ſentiretur ipſa. vt plerunque populo qui ſui juris fuit, nihil præter nomen regis & initia

proban-

probantur. Quid hic dicam consultores pessimos? qui vt potentissimis principibus adesse in rem plerunque suam aut suorum solent, ita animos eorum à Republica ad æmulationes suas & priuata odia conuertunt? quid erepta priuilegia ac jura, libertatem multis modis imminutam, missos ex Hispania, qui ferro miseris ius dicerent, qui infelices Belgas, sine armis, internecione extinguerent? Si quis esset generosus sanguis, & qui ferre dominum non posset, qualis Belgica nobilitas & optimates esse solent, ii, regiæ securitati, & firmandæ seruituti, primo, aut proscripti aut sublati sunt. Cæteri, aut duræ inquisitionis nodo, aut excogitato, quod in manu dominantis esse solet, maiestatis crimine, non aliter quam ferro, capti, inuoluti, trucidati, ad carnifices damnati; posterorum animis, ardentiorem libertatis curam, suo sanguine, ex supremæ quasi voluntatis iure, inscripserunt. Quibus nihil amplius restabat, quam vt fœdam mortem, vitam fœdiorem, a se posterisque propulsarent. Eo tempore præsertim, cum ab opibus ad corpora cuiusque, a corporibus ad animos, infausta seruitus transiret. Alii ergo, patria relicta, nouas sedes & exilia libenter inuenerunt: nusquam sese tutos fore arbitrati, nisi inter ipsos & Hispanum, mare intercesset. Alii, domo eos & hospitiis lubentius dignati. qui non modo ciuitates, contra vim

armorum, quam ſimpliciter ac bona fide, telis totidem ac manibus auerti poſſe intelligebant, ſed & contra animorum vincula, conſtanter obſerarunt. indignantibus, qui libertatis curam, cultum nouum, aut deſertionem priſci moris, appellabant. Nihil vero interim obſtabat, quin qui cæteris prudentiores eſſent, ſimul aliud ſpectarent. Nulla enim munimenta, portæ nullæ ſatis clauſæ videbantur, in quas animarum claues, & qui iis abutuntur, jus diuerſum ſibi vindicant. Quæ vt facile domeſticos excedunt fines, ita vbi ad ambitionem transferuntur, ne amorem quidem patriæ ac libertatis, in obnoxiorum animis relinquunt. adeo, vt, quæcunque ſcelus aut proditio vocari ſolent, pietatis nomine velentur. Oppido dementes, Princeps Sereniſſime, & Vos Patres, Chriſtiani ſumus, ſi rem noſtri ſæculi aut ſectæ arbitramur, ad ambitionem, vim religionis & ſubſidium transferre. Ludus iſte vetus & cum incunabulis regnorum natus eſt. Ipſe Deus & majeſtas cœli pridem inter dominationis inſtrumenta ſunt. Numa ſuperſtitione populum deuinxit, quem habere dicto audientem Romulus vix potuit. Qui, vt cætera, ſupremum quoque ſacerdotium, inuexit. Cujus reuerentiam, oppreſſa libertate, ad terrorem ſeruientium, qui penitus extinctam eam vellent, conuerterunt. Iſta majeſtate fultus Cæſar, dictaturam; eius ex adoptio-

adoptione filius, mutato nomine aut magis populari vsus, principatum callide inuasit. Cum quo, ne a domo Cæsarum abiret, aut ad Deos prouocatio in terris esset, ad Tiberios, Caligulas, Nerones, & portenta cætera, transiuit. Atque hac ratione, in æterna atque invicta ciuitate, quæ nec flecti, neque cogi ope humana posse videbatur, & quæ orbi vniuerso leges tum dicebat, jus imperii, non armis, sed occulto artificio & sacro, non ad hostem quidem, sed ad dominum, concessit. Vniuersus orbis antequam in potestatem Macedoniæ veniret, Græci prius expugnandi erant. Qui occasione belli Sacri, sine vllo expugnati sunt. Omnes enim suæ majestatis & imperiorum jura, in Philippum, tanquam sidere aut dementia contacti, iam transtulerant ignari: quem pro Diis ipsis, atque eorum maiestate, arma circumferre, captis superstitione animis, rebantur. Vti hic domesticis exemplis, vanum atque ineptum duco: cum, quod primum esse in amicitia consueuit, hostem quoque eundem habeamus. Qui non ferro, sed his artibus quas dixi, rem vbique gerit. Vt cum alibi ad vallum aut ad muros expectetur, alibi jam animos & fidem expugnarit. Quibus occupatis, nihil ista valent, quæ aduersus vim apertam comparata sunt. Aduersus quam, si vllum hodie imperium in terris, pulchre & ad hominum stuporem, vndique

instructi Vos estis. Siue enim opes vestras ac thesauros, seu nauale illud opulentum, illud toto orbe celeberrimum, spectamus. Verum enim vero, alia sunt tela, quibus semper vsi sunt qui regna aut Respublicas inuadunt: alia quæ gerunt: alia quæ meditantur. Vbi arma non pertingunt, factiones abditas habere. quæ, carenæ instar, cum ignaros clam inuoluant & disiungant, omnes inter se cohærent. Auro, animas venales; ostentatione honorum, leues atque ambitiosos emercari. Bella parum læta sibi ac secunda, cauponari: inducias ac paces emere, aut exitio totius Reipublicæ, incautis vendere, aut cum lucri spe offerre. Pietatis velo ac religionis apud credulos grassari: laruam eius pauidis, vim ferocibus obiicere. & cum manu expediri res non potest, iurisdictionem cœli & autoritatem, pro se commouere. Aduersus quæ, si animos, vt hactenus, inuictos, si in vsum patriæ erectos, conseruare, Patres patriæ, potestis, vim imperii ac majestatem, sartam atque tectam conseruatis. cujus vt potentiæ accedere iam nihil possit, tempus & diuturnitas accedent. Vt, quod magnum vobis, aut immensum potius, maiores vestri reliquerunt, firmum & æternum ad posteritatem transmittatis. Quicquid enim hactenus aut possidetis, aut in posterum paratis, non erecto tantum animo, qui vobis hactenus superfuit profecto, sed

& cir-

& circumspecto, qui non defuit, tuendum est. Nemo enim fortis admonendus est, vt liber esse velit, sed videndum est, vt possit. Fera est imbellis, quæ cum sui iuris esse cœpit, aliquid in seruitute amare potest. Et, potestne aliquis amare vitam, qui non amat libertatem: cum post libertatem nihil præter dedecus supersit, morte nihil amittatur, præter spiritum? Qui cum incidit in seruitutem, omnia viuendi iura, & cum vsu, fructum eius quoque amittit. Sæpe ego ita mecum cogitaui, Princeps Serenissime, & Vos Patres inuictissimi, id quod est in corpore anima, in ciuitate amorem libertatis esse. Nam vt anima amissa, nullum membrum manet id quod fuit, quia singulorum opera intereunt: ita muros, ita mœnia, ac munimenta, & quæcunque in vrbe commendantur aut commendant vrbem, funus merum & cadauer, post amorem libertatis, esse. Quo extincto, nihil est quod munus suum fungitur aut gerit: arma vero & opes, & quæ maxime sunt singulorum, dominum sequuntur: neque vlterius in nostra potestate esse possunt quam in ea sumus ipsi. Dicam libere hic quod sentio. Nunquam mihi persuadere potui, aut vixisse populum Romanum, nisi quamdiu vixit sicut debuit. hoc est, quamdiu vixit sicut voluit; à Natura matre, non ad servitutem sed ad libertatem genitus: quod res gestæ eius & victoriæ testantur: aut vixisse,

cum, amissa libertate, Senatores cum equitibus, quia domino sic videbatur, in arenam trahebantur, vel stigmatibus inusti, quod est proprium seruorum, turpe ac pudendum hostibus spectaculum, obambulabant. Nam vt corpus nostrum, sine forma sua, quæ est anima illius, ita fœdum visu fit continuo, vt nares quoque atque oculos offendat: ita nihil fœdius in terris quam Respublicæ quæ forma sua carent, & in seruitutem, hoc est, ad interitum, labuntur. Nihil enim medium libertas habet. quæ aut tota est quod debet, aut amissa parte sui, tota fuit, & extinguitur. Quam idcirco, non ignauis, neque brutis & ad seruiendum natis, sed erectis animabus, Deus immortalis conseruandam tradit. Nulli tamen melius post orbem conditum, quam vobis, Princeps Sereniſſime, & Vos Patres. qui hoc pignus, à maioribus acceptum, cum stupore populorum omnium, fauente Deo immortali, sæcula duodecim in manu iam tenetis: non exemplum libertatis generi humano; sed idea. Nam, si diuturnitatis causæ, in visceribus ipsius Reipublicæ ac constitutione latent, quod ex omnium confessione indubitatum est; quid Spartani aut Romani quod ad vos accedat habuerunt vnquam? quorum, annos illi octingentos, hi, quingentos forte, vera solidaque libertate, nec vlterius, potiti sunt. Sed videtur, mater omnium Natura, vbicunque magnum

magnum hoc depositum constituit, ac collocauit, partim de prudentia mortalium ac fortitudine, qui libertatis nerui sunt ac vita, partim de commoditate loci ad defensionem ejus, cogitasse. Quæ pro vobis, elementa duo, contra hostium insultus & discrimen libertatis vestræ, convertisse haud parum prouide videtur. Nam, cum ciuitatem vestram, ad exemplum vniuersi hujus, mari vndique cinxisset, vt nec equiti nec pediti, ad eam aditus pateret; ejus quoque maris, quo, inusitato eam cinxit modo, sicut vsum alijs plerunque, ita potestatem vobis ac imperium concessit. E cujus gremio, non aliter quam Tellus mater, quam poëtæ Cybelen dixerunt, omnium quas videt Sol pulcherrima, turritum illud caput tollit: nomine autem & celebritate, orbem sibi vniuersum vindicauit. Huc accedit ipse status; ita olim ab initio formatus, vt ad immortalitatem constitutus videatur. In quo cum imperium sit penes optimos, præcipuum primumque ejus fulcrum est, quod cæteris volentibus id fiat. quibus esse melius non potest quam vt viuant liberi cum optimis. Sicut ad diuturnitatem nihil magis facit, quam vt optimum id sibi esse intelligant. Cujus admiratione capti, simul ac immunes esse bello cœpimus atque hoste, libertatis nostræ testimonium, ab illo partum, ad vos primo omnium detulimus: sine quo

nec

nec arma deponenda, nec vobiſcum dextras, memores virtutis veſtræ, ſociandas judicauimus. Non quod ſeruitutis nobis conſcij eſſemus: ſed ne exitus virtutis noſtræ vos lateret. Nam ſi illud omnium politicorum principis, ab omnibus eſt comprobatum, Seruum eſſe eum qui ſeruire poteſt, quia tali eſt ingenio, vt imperare nequeat, atque idcirco, vt illius verbis vtar, alteri ſe dedit, quia intereſſe ſua ſentit, ne ſit ſuus; Deum pariter atque homines teſtamur, Patres, neque quenquam noſtrûm ſeruiiſſe, quia nec ſeruire potuit, neque potuiſſe, quia geniti ad libertatem ſumus. Nemo enim poteſt eſſe ſeruus, qui pro libertate poteſt mori, aut qui poteſt non timere. Eſt enim animus qui ſeruit. quem inuictum atque impatientem dominationis, cum prærogatiua in qua nati ſumus, à natura protinus accepimus. Cujus ope ac fiducia innixi, cum vicinis Regibus, Principibus, ac Rebuſpublicis, pacta ac ſocietates mutuas iniuimus; ſæpe terra, ſæpe mari, paucis nauibus aut manu, cum potenti hoſte decertauimus: vrbes infinitas paucis annis cinximus, cepimus, occupauimus, euertimus. Vnam ille in agro ſuo, ſed quam totos quatuor, aduerſus famem, peſtem, mare, & hoſtem, eo ipſo teſte, atque amicis noſtris omnibus, defendimus. tanto militum ardore, vt cum attollendis munimentis terra defeciſſet, cadaueribus commilitonum,

tonum, maris simul & Hispani furias arcerent; ipsi semilaceri ac semiuiui, & similiores ijs quos premebant. Ita vi coacti, ad necessitatem, à necessitate ad virtutem, à virtute ad præsidia & neruos hostium deuenimus. Denique, vt absoluam paucis quod incœpi: ex quo scire cœpimus, quid vires nostræ possent, quo à dominatione immani virtus peruenire solet; bello, tanquam pace, domi delitemus. ille contra ferox ac crudelis, semper præbuit aut terram in qua vinceretur, aut ad opes nos deduxit quibus superatus est. Ita Indias ingressi sumus. Vbi bella rursus cum eodem hoste; & quotidiana quidem. donec post illustria virtutis maximæ exempla, cum jam nemo, ac ne ibi quidem, ignoraret qui essemus, alijs fœderibus innexi sumus. Vna jam Hispania restabat. quam terrore solo nostri atque aduentu, paulo ante proterruimus. cujus fauces, cum, virtute nostra freti, paulo ante inducias inuaderemus, non in mari ejus tantum & ad muros oberrauimus impune, sed & classem quam rebatur nemo vinci posse, in conspectu vrbis fudimus, accendimus, deleuimus. Ita digni visi sumus, qui cum specioso libertatis nomine, ad pacem & induciarum pacta poscaremur. Verum heu, vt nihil certum in humanis rebus esse solet ac diuturnum; dum securitate nostra fruimur ac pace, terror ille nominis Iberi, amor generis humani ac deliciæ, Henricus

ricus ille Magnus, cujus in amplexibus libertas noſtra tot per annos educata fuerat, ac enutrita nihil tale cogitantibus, immani ſcelere mactatur. Quem nos, ſicut merito ac vere, ita cæteri ambitioſe lugent. Hi ſunt, Princeps Sereniſſime, & Vos Patres, qui Reſpublicas cum Regibus committere conantur: qui quotidie libellos in nos edunt: maledicta, nunquam læſi, eudunt, euomunt, ac ſpargunt: maxime infenſi iis quos commendant. Reges enim celebrant, & tollunt: ciuitates & Reſpublicas oderunt tantum. credo, quia non vt corpus vnum, vnicam ceruicem habent. Ita ergo, liberi, vt ante dixi, ita libertate digni, ad Vos venimus. Quod, vt felix ſit ac fauſtum, iterum precamur. Precamur Vobis, quicquid nobis liberiſque noſtris hactenus precati ſumus. Et, quod omnium eſt primum, vt in poſterum florentes, vt beati ſimus, vt incolumes, Vobis fauſta omnia precamur, Patres Antenoridæ: ſalua tecta, ſaluos focos, ſalua jura atque auſpicia omnia. Incolumem Rempublicam, incolumem Senatum, incolumem auguſtam illam majeſtatem, cui nihil ſimile aut ſecundum ipſa iam libertas habet, & quæ lege æqualitatis temperata, aliis horrorem ſacrum incutit, à vobis dominum auertit. Incolumem inprimis libertatem, &, quæ anima illius eſt, amorem eius verum & immenſum. Quo ſuperſtite, vt deſint qui ſeruire vobis velint,

nunquam

nunquam deerunt qui ſervient. Nam vt mater libertatis vera virtus eſt: ita qui amore veræ libertatis ardet, ſeruitutem neſcit niſi quam imponit. Optamus vobis læta omnia ac fauſta, terram pariter ac mare liberum vbique ac Vobis peruium, adverſis inuium atque inacceſſum. magis tamen illum ſpiritum, illamque mentem, quam jam annos mille & ducentos, hoſtes veſtri nominis ſenſerunt, cæteri vbique celebrant atque admirantur. Inprimis autem Belgæ fœderati; quorum neque bello neq; pace dextras quiſquam hactenus accuſat. qui pro veſtra libertate ac ſua, iſtas Vobis pariter & animos conjungunt; certi aut cum iſta, aut pro iſta mori. Ita Deus Optimus ac Maximus, cujus ſummam in humanis rebus majeſtatem colimus, agnoſcimus, profitemur, vtrumque populum, recenti fœdere conjunctum, libertatis ſuæ compotem, terra pariter ac mari, bonis auctibus vbique auxit, vbique incolumem ac ſaluum, profligatis perduellibus, victorem, præda onuſtum, decoratum ſpoliis, lætum ac lubentem, domum reducem dimittat: hoſtes autem ſui nominis ac noſtri, peſſimis exemplis imminutos, fractos, atque obtritos, à fortunis noſtris ac ceruicibus auertat.

Ad Sereniſsimum Venetorum Reipub. Ducem ac Senatum, cum ab vniuerſo Eques D. Marci deſignatus eſſet.

ORATIO V.

Sereniſſime Princeps, Patres Auguſtiſſimi,

LIberalitatem Veſtram, & honores quos in alios confertis, nemo digne ſatis æſtimare poteſt, niſi qui ſplendorem Veſtri nominis ac dignitatem intelligit. Nam quo major eſt Maieſtas Veſtra, eo maior liberalitas quam in humillimos confertis. Ideoque, vt bene intelligatur, non abjectam & e plebe animam, ſed nobile atque auguſtum pectus requirit. Qualia eorum ſunt plerunque, qui in ipſo libertatis ſinu nobiliſſimi naſcuntur. Hanc prærogatiuam cum natura vobis dederit, non poteſt niſi magnum eſſe beneficium ac ſummum, cum in alios transfertur. Ideoque ſoli, quos feciſtis tales, ſentiunt quid Vobis debeant. Affirmare tamen poſſum, maximum ac dignum Vobis eſſe id quod ſuſcepiſtis: Vindicare a contemptu eruditionem. Quæ cum ſæculi calamitate, non ex merito, prematur, tempus eſt vt liberali cauſa vindicetur manu. Idque ab iis, quorum maxime intereſt, vt rebus geſtis nulli gentium ſecundi, laude literarum ab obliuione eas tueantur. Quæ vt immortalitatem nulli debent, ita armis quoque ac virtuti bellicæ conferre eam ſolent. Ego, Princeps Sereniſſime, & Vos Patres,

Patres, ſicut generi familiæque meæ ad poſteritatem omnem honorificum exiſtimo, quod qui hactenus honores magno animo contempſi, tantum autem nec ſperare debui, ſine vllo ambitu aut artibus quas vſurpari in his talibus nonnunquam audio, communibus tot Procerum ſuffragiis; ad eos ſum euectus, qui illuſtres aut inueniunt aut reddunt, ita mihi glorioſum duco, iſti Reipublicæ obſtringi, quæ, vt dominum non habet, ita, quod ad diuturnitatem pariter ac majeſtatem, ſimilē in terris hactenus non habuit. Et præſertim, ſalua mea Patriæq; libertate. cujus cauſa, ſicut bellum hactenus cum aliis geſſiſtis, ita cum hac noſtra fœdere ſanctiſſimo conjuncti eſtis.

Ad Illuſtriſs. M. Antonium Moreſinum, Sereniſs. Reip. Legatum, cum ab eo Haga Comitis, Ordine, torque, ac inſignibus Equeſtribus donatus eſſet.

ORATIO VI.

QVi res veſtras, Legatorum ſplendor, Marce Antoni, ab ætate omni florentiſſimas legerunt, ſciunt neque majus apud vos deferri cuiquam poſſe quam quod nobis hodie delatum eſt, neque poſſe fieri, quin qui de nobis cogitet, heroas ſimul tot ac tantos animo percurrat: qui, priuſquam ad honorem hunc admiſſi ſunt, ad ſummum prius dignitatis aut virtutis fuerant evecti. quidam totas acies totaſque claſſes manu ac virtute pro-

fligarunt. Porro, cum virtutis magnitudo omnis, omnis splendor sit ab animo cujusque, quo, si vere generosus ac erectus sit, ne illi quidem qui nascuntur illustrissimi, cum omni laude sua ac splendore, majus quicquam sibi vindicant, quemadmodum fortasse nihil dignum beneficio hoc vestro polliceri de me ausim, ita animum hunc exhibere vobis possum, qui honorum omnium obliuione, supra omnes eo se recepit loco, vltra quem ambitio, ne quidem honestissima, procedit. Eum exhibere vobis possum, qui honorem nullum eo nomine dignatur, nisi qui ambitionem anteuertit, nisi qui a magnis illustrissimisque viris sponte offertur. quem ab ostentatione & inani histrionia, quam vulgus in his talibus exercet, ad modestiam ac moderationem reuocare, illius est profecto, non qui hostem bellica virtute profligauit, sed qui totum vitæ apparatum, intra sapientiæ præscriptum ac virtutis contineri intellexit. Cum hoc animo, si dignum eo judicatis, quem in Principes non raro contulistis, enitendum nobis erit, ne, si sponte oblatum declinemus, illos ipsos quibus ornamento semper fuit, aut Rempublicam, qua nihil sapientius in terris extat, contemnamus. Si quid supereſt post illa, Ducum sanguis Marce Antoni, Principi ac Reipublicæ renuntiabis, nullos melius honores collocari quam qui eruditis impenduntur. Nam

& ani-

& animum capacem veræ laudis huic generi mortalium adesse: neque præter illos esse, qui diuturnitatem beneficio conferre possunt. Quod in iis perit, apud quos obliteratur.

Ad Amplissimos & Nobilissimos Academiæ Curatores, & eorum Collegas Vrbis Consules, pro Bibliothecarii munere Gratiarum Actio.

ORATIO VII.

QVoties Mineruam illam, Viri Amplissimi, aspicio, quæ in omnibus Bibliothecæ nostræ voluminibus, casside armata & hasta, literarum, quæ in vrbe hac felicissime coluntur, imago & insigne habetur, toties de Academia hac vestra cogito. Nam vt illam cum terribili armorum fremitu & clamore ingenti, emersisse è Iovis cerebro, Poëtæ ferunt: ita vestra illa Pallas, cujus nomen hodie splendore suo vltimos Europæ limites excessit, inter tubas, galeas & enses, inter impetus hostiles & conflictus cruentissimos, inter ipsa libertatis vestræ discrimina, nata primum & prudenter educata est. Ac profecto mihi sæpe in Remp. hanc intuenti, cum & plurima grauissimaque bella, terra pariter marique, duce inuictissimo, illustrissimorum Patriæ patrum auspicijs, gesta feliciter occurrunt, & tot prope victorias quot prœlia, maxima animi & corporis contentione partas contemplor, nihil tamen magis mirum videri solet, quam quæ undique imminente bello, tanquam in pace, gessistis.

sistis. Nam dum in hostili agro fossas alij aperiunt, ac vallos ferunt, alij ipsas civitates operibus concludunt; dum in vestro, urbes muniunt nonnulli, aut defendunt; artes undiq ac disciplinas, quasi oberrantes, in hanc civitatem compulistis: viros literatos toto orbe convocastis: Regibus principibusq;, lumina vbiq sua, & quasi oculos, eripuistis. quodque seme hic dicendum est, dum vi summa maximisqu opibus foris oppugnati estis, tanquam rebu omnibus compositis, domi trophæum erexistis. non è truncis arborum aut saxis, no ex ære aut victorum populorum spolijs, se ex ipsa literarum perennitate, & magnorum hominum ingenijs: qui præclaris monumentis ac laboribus, sibi gloriam & decus, vobi nominis æternitatem pepererunt. Et de Academiâ nunc tantum loquor. In qua siue partes videamus singulas, fieri non potest, quin totius constitutionem admiremur: sive totam simul videamus, quin præcipue eas admiremur, quæ ad totam constitutionem plurimum conferre videntur. Nam cum alia alijs disciplinis ac artibus sint propria, unum omnium commune est. Bibliotheca nimirum. quam totius quasi sapientiæ armamentarium, cura diligentiæque nostræ incumbere voluistis. Quod quidem vestrum in me beneficium, ex hominum ambitiosorum judicio metiendum sit, vereor ne vix commemorandum videatur

deatur: sin è nostro & paucorum, qui præ ocio honesto, æterna mentis agitatione, diligenti veritatis studio, plurimarum inuestigatione rerum, omnia esse contemnenda putamus, optime & expensi vobis & accepti nobis rationem se habere existimo. Nam cum ab ætate prima, in præclaris sapientiæ autoribus, studium ac diligentiam libenter posuissem, ita fere ab omnibus accepi: Esse quandam hominis felicitatem, quæ ad mentem illam immortalem & diuinitatem ipsam proxime accedit, & in vera solidaque voluptate versatur. Eam vero nec virtute ipsa neque solis actionibus honestis posse comparari. Quippe sicut Deum ipsum, nemo justum, nemo fortem, nemo liberalem, nisi parum proprie vocavit (quia actionum talium respectu, &, ut de objectis, hæc dicuntur, justus enim in contractu, fortis in bello, liberalis in pecunia censetur: quæ hanc sortem nostram & contagionem non excedunt) ita solis istis præditus qui fuerit, eum, virum quidem bonum esse, Deum vero nondum imitari, arbitramur. Illam ergo non in corpore, quod quasi inuolucrum aliquod est hominum, non ipse homo, neque in opibus, quæ caducæ fragilesque possidentur, sed in parte quadam hominis peculiari, & qua homo esse dicitur, quærendam esse. Hujus vero partis, proprium ac suum quoddam esse opus, quod & bonum

ejus dicimus. Nam ut oculus cum videt, lingua cum guſtat, auris cum audit, manus cum tangit, opus ſuum agere putatur, & hæc ipſa quoque in ſingulis dicuntur bona: ita regia illa & auguſta pars noſtri, mentem quam vocant, cum, ſecura rerum cæterarum, ſibimet intenta ſoli, contemplatur & intelligit, id humanum ſapientes bonum, & diuinam merito felicitatem appellant. quæ ſi perpetua & abſoluta eſſe poſſet, nihil à diuina differret: nunc ut operis perfectione ſuperamur, ita re & opere ipſo cum Deo conjungimur. In quo vt voluptas omnium bonorum eſt, ita omnium quæ bona nuncupantur, maximus contemptus. Quippe vt artifex qui mente utitur, cum in diſponendo opere ipſe ſecum verſatur, cæteris neglectis hoc agit: ita illa rerum humanarum gubernatrix, cum incumbere ipſa ſibi cœpit, cætera aut non videt, aut neglecta tranſit. Equidem, quoties hanc eruditionis ſedem, hoc ſapientiæ domicilium, hoc literarum ſecuriſſimum ſacrarium, hoc denique magnarum animarum Prytaneum, &, quaſi Capitolium æternitatis, aſcendo, quod præclara veſtra liberalitate nobis eſt commiſſum, toties de ambitione, quæ plerumque magnas mentes comitatur, triumphare ſoleo: non imperatorio habitu, cum armillis & lauro, nec ſequente militum manu, ſed aſtante tot illuſtrium ingeniorum exercitu, quorum nomi-

nomina immortalitati consecrata sunt, astante omnis ævi, omnium sæculorum populo, qui aut Græce aut Latine, aut quocunq; literarum genere, aliquam sapientiæ partem coluerunt. Horum solo propemodum conspectu, magnus immortalitatis & honesti aliquid tentandi ardor mentem nostram inflammatam tenet, quæ ne cogitare quidem aliud permittit. Ego enim, Deus bone, aurum ut cujusquam aut honores avide respiciam, qui, quocunque me convertam, nihil præter animorum monumenta magnis viris superesse, corporis notas ne extare quidem, cæterorum autem vix memoriam aut nomen ad posteritatem peruenire videam? Me profecto ne mouere quidem illa possunt, qui cum in tranquillitatis hoc asylum me subduxi, quicquid reliqui sperare possunt, avide obliuiscor. Postquam enim semel omne ævum quod elapsum est, postquam semel longam & immensam illam sæculorum vastitatem animus ingressus est, postquam Rerumpublicarum status ac mutationes, bella populorum atque clades, intueri cœpi, vehementer eos admirari lubet, qui aut consulatus suos aut præturas fore æternas arbitrantur, mentem vero, quæ corrumpi aut extingui non potest, sine ullo cultu obsolere patiuntur. Quod si ocium ignaviamque matrem esse vitiorum, recte a prudentibus viris proditum memoriæ est; nihil

occupatione illa fructuosius excogitari potest. Nam quemadmodum in sylua, semper aut putandum, aut cædendum, aut plantandum denique est aliquid; ita in hoc publico scientiarum penu, semper inuenire potest animus quod agat. Siue enim ad Theologos accedo, video delicias hic meas, Basilium Magnum & Gregorium: quorum in altero, facilitatem cum cura, in altero, singulare cum pietate vim admirari satis non possum. Video Theodoreti lenitatem in dicendo, in interpretando sine ambitione ulla maximum candorem, in errorum confutatione planam & nervosam argumentorum copiam; maxima antiquitatis cognitione instructam. Nam quid vim Tertulliani & lacertos, quid vastissimam Clementis eruditionē, aut Hilarii cothurnum, aut Chrysostomi digressiones melle dulciores, aut acumen Augustini, aut incomparabilem D. Hieronymi industriam, aut diffusam & cum solo Cicerone conferendam Firmiani eloquentiam commemorem? Sive ad peritos iuris: præter legum majestatem, quæ à Principe splendorem suum mutuantur, & priuata omni laude vberiores sunt, linguæ elegantiam ac puritatem in diuinis Pandectarum libris, limitatam quasi & concluſam video. Siue ad scripta Medicorum: quid cum solo conferendum Hippocrate ulla ætas vidit? Nam ut nihil de doctrina viri & judicio cœlesti, nihil de

expe-

experientia plus quam humana, putide arrogare mihi videar, mira perſpicuitas ſcribendi, accurata breuitas, ſumma Ioniſmi ſuauitas, etiam dicendi magiſtris pudorem incuſſit. Eruditionis latifundium, Oceanus diſciplinarum, omnium ingenuarum artium commune quaſi receptaculum, Galenus eſt. E quo Medici cum omnia hauſerunt, nihilo tamen minus Criticorum induſtriæ relinquunt. cujus cauſa vix minores, Ægineta, Oribaſius, Trallianus, Aëtius & Aretæus, cenſendi videntur; quamvis ut dicendi, ita ſua quoque illis ſit docendi proprietas. Iam ſi ad philoſophorum libros animum & oculos conuertam, Ariſtotelem inueniam, qui diuerſitate rerum ſolus humanam occupare ætatem poteſt: ordine vero ac tradendi ratione, omnium conatum exceſſit. Video interpretum ingentem manum: non ineptos illos barbaroſque, & qui duo aſſecuti ſunt, ut & male loquerentur, & autori tenebras offunderent, ſed præſtantes illos, Alexandrum, Ioannem, Ammonium, Themiſtium, Simplicium: qui cum omnes vera laude, nemo tamen eſt ex illis, qui non aliqua peculiariter excellat. Perſpicuitate Alexander, libertate Ioannes, diligentia Ammonius, facilitate Themiſtius, eruditione vaga quadam & diffuſa Simplicius: quem profecto virum, fecialem, & patratum quaſi patrem, Ariſtotelis

ſtotelis vocare ac Platonis potes. Ita ſtudioſe hoc agit. Huc accedat Andronîcus noſter, omnium ætate forſan primus: quem felicitate noſtra ante menſes aliquot inuentum, maximo labore emendatum ac Latine jam loquentem, veſtra autem liberalitate ab imperitorum poteſtate emancipatum ac dominio, hac manu, non Feretrio, ſi Diis placet, aut Statori, ſed in arce hac Apollinis, cum bono Deo, Muſis & Memoriæ ſacraui. Qui, non libros de Natura, non De refellendi arte aut diſputandi, quibus vita hæc carere poteſt, ſed qui veram ſolidamque vitæ ſapientiam ac rationem docent, Sole ipſo, ipſo die clarius interpretatur. Neque de Plutarcho quicquam adhuc dixi: qui compendium ſcientiæ, prudentiæ theſaurus, mare antiquitatum utriuſque gentis & diuinus quidam promicondus eſt. neque ſimplicem, venuſtam, ac facundam, ultra quam fortaſſe dici poteſt, ſed inaffectatam tamen, Xenophontis ſuauitatem attigi. Quantum, Dii Deæque, ignorant, quanta voluptate ac oblectatione carent, qui hæc nunquam deguſtarunt! aut, quod ſatis admirari non poſſum, lingua aliena potius quam ſua, loqui audiuerunt? Nam quod nectar, quæ ambroſia excogitari poteſt, quæ Socratica diſſimulatione illa & lepore ſit jucundior? Iam de Caio Plinio quid dicam? qui naturam uniuerſam & utrumque mundum,

plane

plane inusitata ante cæteris audacia, præclaris illis sex & triginta voluminibus inclusit? qui imperio Romano, cui terra habitabilis cessisset, cœlum quoque adjecit. Quod non armis aut vi bellica, non ariete aut balista, sed sublimi animo industriaque, expugnandum fuit. Quod si laudem illi merebantur summam, qui ignotum Populo Romano animal, elephantum puta aut marinum passerem, spectandum primi exhibebant, si Pompejus ille Magnus, tertio triumpho, quem superbus victor de piratis, Asiâ, Pontoque egit, Lunam pondo circiter triginta auream monstrasse dicitur; quanto majus fuit, Solem pariter ac Lunam, cum errantibus ac fixis, nondum satis Italis perspectam, omnium aspectu subjecisse? quibus animalibus, vt Plato loqui solet, nihil Deus & natura magis admirandum fecit. Atque hunc quidem ipsum quo piaculo omitto? cujus magnitudine animus assurgit, & commemoratione sola, quasi ad diuinitatis occursum, commouetur. Inprimis tamen, quoties ambitiosos istos video, qui cum votis singulis luctantur, qui optando sæpe pereunt miselli, neq; optare tamen desinunt, Alcibiadem posteriorem evoluo. Videre enim quasi è specula, vniuersum genus hominum videor: quorum vix est quisquam, qui non aut sperando aut optando consenescat (alij quippe opes, alij honores, alij longæuita-

gæuitatem, alij liberos, alij agros, alij alia precantur.) supra autem in excelsa quadam rupe, senem quendam, facie agresti, barbo stupidoque aspectu, simum, ac gibbosum, palliastro sciffili indutum (talem enim Socratem depingunt) qui nihil præter animi tranquillitatem optat, vni autē Deo cætera committit. Sedebat inter libros suos hic senecio ac chartas, cum nil præter Alcibiadem Athenienses loquerentur, & ardentem animum adolescentis adulatione nimia sors inflammaret, cum de Hellesponto ac Byzantio, magnaque parte Asiæ, jam triumpharet: idem, cum fortuna de hoc ipso triumpharet, in eodem loco tutus ac securus sedebat. Sedebat, inquam, pauper ac deformis senex, quem ne inter muliones quidem suos quidam æstimassent, qui ætatē omnem animo complexus, totam vitæ ac fortunæ rationem subducebat. quæ pleroſque, quos in ære suo habet, petulanter admodum exercet. Opes, quas plerique petunt, rex Lydorum impetrarat, sed vt caperetur: dignitates, quas plerique ambiunt, Miltiades tenebat, sed, ut in vincula conjectus expiraret. Priamus longæuitatē, sed vt tot suorum funera propemodum quot annos videret. Cyrus Persiæ rex filium, verum vt ab eo proderetur. Agros plurimos Themistocles, qui vix apud Barbaros sepulchrum invenit. Quæ cum diligenter obseruasset, solus neque optauit quicquam, & quæ cæteri timerent,

rent, fortiter contempſit. Omnes paupertatem timent: Socrates contempſit. omnes mortem horrent: ille vero etiam optauit. Quippe cum jam manu poculum teneret, neque amplius quam hauſtu unico a morte abeſſet, nondum deſijt jocari. Nam cum amiciſſimum adoleſcentem, nomine Phædonem, triſtem admodum videret & perculſum, Phædo noſter, inquit, ſalui ſumus, jam de gallo cogitandum eſt. Alii mortem hominis interitum, ille incolumitatem ſui vocabat. Semper enim mori didicerat dum viueret, & cum mori juberetur, ſemper ſe victurum putabat. Etenim vt miles ſine exercitatione ad prœlium admitti non ſolet, ita ſine longa contemplatione mortem animus contemnere non poteſt. Hæc exercitatio quietem amat, ſolitudinem deſiderat, &, ut Sacra antiquorum, longum pertinaxque ſilentium requirit. Si quis enim ultimum humanitatis bonum ſemel aſſecutus eſt, is profecto nec timere amplius cum omnibus, & ſperare aliquid cum Socrate audebit. Nam cum corpori animus, animo mens ipſa, menti vero imperet Deus: ſi quis ita viuat, ut à populo corpus, mentem ab animo, quantum poteſt fieri, ſejungat, ſecum vero & cum Deo conjungat, ſolidæ felicitatis viam eſt ingreſſus. Etenim, ut alia cum aliis conueniunt, ita unicum felicitatis inſtrumentum, mens eſt. Quam ſi quiſquam ita colat, ut ab

omni

omni pulchritudine oculos, aures longe ab omni strepitu auertat, sensus vero ita cæteros cohibeat, ne vel hac vel illac quicquam peruenire ad eam possit, quo turbetur, (quasi enim clauo quodam sensibus affixa mens hæret, & in quamuis partem facile impellitur) toti autem illi sine cura ulla sit intentus, & in contemplationem veritatis incumbat, omnem regiam conditionem longissime excessit, & in ultimo felicitatis nostræ termino versatur; qui est veri intellectus & Dei. Quæ adiri nullo sensu, nulla ratione externa peruideri possunt. Sicut enim vehementer erret, qui ut pulchram imaginem intueatur, aures admoueat, aut ut harmoniam quandam audiat, oculos intendat; ita qui ad contemplationem veritatis aliter quam sola mente peruenirì posse putat, frustra laborat. Hanc vero ipsam, mors non interrumpit, sed absolvit. vt qui semper corpore invito umbram veritatis assecutus est, exuto ejus onere, ipsam intueatur. Hoc a Melito beneficium Socrates accepit, hanc felicitatem Anyto debebat. Stabant a carcere non procul, in quo homini sanctissimo e vita abeundum erat, fœda scelerum mancipia, ac fortassis vltimum illius gemitum haurire exoptabant. Ille vero aliud agendo lepide egressus est: toti autem populo Athenienſi triste & acerbum sui desiderium reliquit. Si quis quærat, cur tam pauci ita se

exer-

exerceant; breuiter id dicam: Paucis vacat. Alij in aulis, alij in Republica corrupta, alij in foro viuunt. vbi sensus animum, animus inuoluit mentem, ne intenta esse bono suo possit. Quod si rhetorem in castris, dialecticum in foro, mathematicum in via meditari posse existimamus; credam eos quoque intentos esse posse, qui sic viuunt. Illa vero pars diuina, cum a corpore abire non possit, quantum potest ab hominibus recedit. & cum sola secum ipsa viuit, nulli quicquam invidere potest. Cum placere sibi cœpit, omnes voluptates præ se spernit, veram enim solidamque inuenit. Equidem, ut de me rursum dicam aliquid: Ego, quoties Rempublicam hanc meam video, cui me præesse voluistis, cum illustres illos ciues hic contemplor, quorum corpora naturæ concesserunt, animarum autem in hoc ipso loco imagines seruantur, fieri non potest, quin hilaritate maxima perfundar, quin tranquillitatem meam regnis aliorum & potentiæ opponam. Nam si nemo civitates suas ita unquam potuit munire, ut, cum hostes exclusisset, curas quoque arcere posset; longe me feliciorem, qui apertis regni mei foribus, & tutus & securus vivam. Sin habenda subditorum aliqua est ratio, hi sunt illi viri, quos in tam angusto loco mecum conjunxistis, quibus Magnus Alexander, quod jam vivat, C. Cæsar, quod adhuc triumphet, omnes

omnes denique & ubiq; Reges, immortalitatem debent ſuam. Hi ſunt ſapientiæ magiſtri, præceptores veritatis, rerum ac ſcientiarum omnium conſulti; delibuti & diſcerpti ex æternitate animi. Quorum alij ſexcentos, alij nongentos, alij bis mille annos ſunt locuti, & humanæ vitæ breuitatem claritate mentis extenderunt. Cum his maximis de rebus ſuauiter conferre, quanta eſt voluptas! cum his jocos pariter ac ſeria miſcere, quantum oblectationis habet! Quod ſi inſtitutum noſtrum & hanc vitam, quidam ſemiliterati, ſiue in foro, ſiue alibi, contemnunt, qui aut prehenſando, aut curſando, aut facundiam locando, diem conſumunt, jam profecto pares ſumus. Quippe niſi hos viciſſim contempſiſſem, nunquam ab eorum inſtituto recedendum putaſſem. Animus verò, incredibili amore literarum flagrans, liberum a vobis, cogitandi, commentandi, contemplandi locum, & pulcherrimum hoſpitium accepit. Gratias ergo vobis, Nobiliſſimi Ampliſſimique Viri, habeo. Quod ſi vlla referendi ratio excogitari poterit, ne de illa quidem cogitare deſinemus. Quicquid enim in diuina hac Muſarum æde & Apollinis oraculo, veſtris, quod hic neceſſario fatendum eſt, auſpicijs, labore autem noſtro atque induſtria, feliciter excogitari, obſervari diligenter, accurate annotari poterit, id omne laudi veſtræ atque exiſtimationi

cedet.

cedet. Et quandoquidem jam magnitudine animi reges imitari cæpistis; quorum instituta hactenus probastis, eos voluntate quoque in hac diligentia æquate. Septuaginta millia librorum Ptolomæum instruxisse aiunt, & hanc curam Phalereo commisit. Cæsar dictator, domi omnium foriſque compos, mox armatæ togæ victima futurus, magnam vim librorum vndique collegit: neque populum victorem sine hoc sapientiæ instrumento, recte posse viuere existimauit. Cæsar Augustus, cum hæreditate curam hanc suscepit, &, quod inchoatum a parente erat, animose absolvit. Quod si illam Martis vrbem, bellicæ furoris sedem, & quæ semper arma vel inferret sua, vel timeret aliena, publico librorum armario carere non posse principes terrarum judicarunt; quonam illa modo, quæ deuota, dedicata, consecrata est Mineruæ a vobis, quam tot aliæ respiciunt ac intuentur prouinciæ, quam Germani, Galli, Angli, Poloni adeunt quotidie, vt ab ea vitæ cultum, disciplinarum ornamenta, omnem elegantem doctrinam petant, istis sapientiæ magistris carebit? Atque ita est profecto, Viri præstantissimi, sicut opulenti domum civis, quæ in ruris excurrit laxitatem, cujus pauimenta opere musivo, transmarino marmore parietes, auro & argento distinguuntur laquearia, in qua omnia eximia, sumptuosa,

admiranda sunt, sine tamen supellectile nemo habitare potest: ita Academiam hanc vestram, quam mirantur omnes, sine necessaria hac eruditionis supellectile, absolutam esse non posse, omnes fatentur.

In obitum Clarissimi celeberrimique Viri Philippi Cluveri Geographi.

ORATIO VIII.

SI, quam vsitatum est efferri homines in terris, tam vulgatum esset, viros magnos & quos orbis admiratur, mori; nemo sibi aliquid in publico dicendum de virtutibus existimaret. Nunc, cum, hoc præsertim tempore, magnorum tanta sit penuria ac paucitas virorum, vt cum singulis qui moriuntur, ipsa prope eruditio ac literæ efferri videantur; cavendum nobis vel inprimis reor, ne, quos ad exempla laudum atque æternitatem nominis natura genuit, sine vlla commendatione, tanquam fugitiui, elabantur. Romanos quidem sæpe legimus ac Græcos, quorum literis ac sapientia ad vitæ consuetudinem imbuti sumus; ne in castris quidem, in conspectu hostium ac bellico tumultu, commisisse, vt non, quoties præclara virtus aliqua e terris emigraret, parentes quoque, patriam, ac genus vniuersum, ejus, qui defunctus esset, commendarent. Publice enim interesse ad exempla morum, qualis quisque in vita exstitis-

ſtitiſſet: ad cujuſque autem mortem, qualis quiſque animo excederet e vita. Nam vt vitam pulchræ actiones, ita eas illuſtrari a conſtanti morte. quæ cum exitus ſit hujus ſcenæ, & ſupremus quaſi actus, fit, vt eo magis omnium in ſeſe oculos & animum conuertat. Atque hanc cauſam ſæpe exiſtimavi, cur, qui alia Platonis, quæ in manibus verſantur, ne viderunt quidem unquam, in Phædone aliquid libenter, vel ex ſordida interpretatione, legant: cur, quæ facundiſſime a M. Tullio, de Craſſi, de Hortenſij, Sulpiciique obitu ac laudibus dicuntur, ita nobis cætera commendent, vt eorum cauſa libros ſæpe integros legamus: cur, qui majeſtate ac ſeveritate Taciti, ad quam non niſi animæ illuſtres ac eximiæ aſſurgunt, non impenſe capiuntur, magno tamen ſtudio ac cura, Senecæ ac Pæti exitum è terris legant. vt hæc ſola ſæpe aut euoluant, aut perlecta ſemel, iterum atque iterum percurrant. De me, equidem fatebor, cum Gregorium Theologum, ſcriptorem, in quo, cum relligione ac pietate, eloquentia ac eruditio contendit, libentiſſime euoluam, nunquam tamen magis animo ac mente aſſurgo, quam cum Baſilij laudes, vitam, ſtudia, inprimis vero obitum, ab eo graphice deſcriptum, lego. Ita omnes, neſcio quo deſiderio ac cura, ad ſuprema horum qui virtute aliqua excelluerunt, trahimur, aut properamus. Credo, quod,

quemadmodum Sol ille, quem quotidie videmus, nunquam nobis pulchrior videtur quam cum cadit, sic in ijs, quorum fama atque existimatio terrarum orbem Solis instar pervagatur, nihil magis quam extremum, quanquam mœstos, voluptate solida perfundit. Cluuerus vero noster, de quo verba hodie facturi venimus, quemadmodum in eo totus fuit quamdiu vixit, vt ad nominis æternitatem via regia contenderet atque eo perueniret, ita commendationem suam aliis reliquit. Quæ cum nobis, ex autoritate Ordinis clarissimi, commissa sit hoc die, vt attentionem, Auditores, vestram mereatur, non tam ab oratione nostra, in qua nihil præter brevitatem pollicemur, quam a nomine ejus ac celebritate, expectamus. Quæ dicenti sua sponte id præstabit, quod a magnis oratoribus facundia ac lenocinio verborum obtineri solet. Natus est Cluuerus noster apud Gedanum (Dantiscum vulgo vocant) celeberrimum Borussiæ emporium: ciuitatem, quæ cum præstantissimis Europæ, opulentia ac positu contendit. Patre, monetario Præfecto; viro nobili, & olim opulento. Familiæ originem, qui accuratius hæc tractant, Brema deducendam arbitrantur. in qua vrbe, aliquot ejusdem nominis Canonici nunc degunt; nobilissimi, vt series, quam vidimus, originis ac generis majorum indicat, atque excellentes viri.

viri. quorum nomini ac obseruantiæ, initium profectus sui, Tabulam Italiæ, quam adolescens edidit, in vrbe hac nuncupauit. Iis artibus imbutus quarum capax prima ætas esse solet, in Poloniam a patre missus est. vbi inter aulicos, cum mores gentis celeberrimæ, tum linguam, accurate addiscceret. Existimabat enim fore homo generosus, vt vtrique nationi, quæ arctissime inter sese junctæ essent, magno aliquando & subsidio & ornamento esset. E Polonia reuersus, in Germaniam parentis monitu profectus est. cum assidue instaret, vt, cæteris omissis, Legum studiis se daret. Quorum causa, aliquanto post Lugdunum Batavorum venit. In qua vrbe, quanquam exercitijs nonnihil corporis subinde daret, curam tamen ac ardorem studiorum nunquam intermisit. Quamuis enim & amicis aliquid interdum, qui non sine causa fures temporis dicuntur, & castissimarum virginum colloquijs ac comitatu, aliquam diei partem daret, noctem (quod cum admiratione sæpius audiui) solidam, non raro, lectione aut meditatione seria ducebat. cum assiduo labore agitatum corpus, fatigatum pariter cum eo animum, plerunque ad quietem trahat. Ad illecebras ætatis accedebat forma, accedebat delicatus ille, quem amici meminerunt, vultus: cujus gratum ac ingenuum candorem, purpura virtutis commendabat. accedebat

sermo elegans ac promptus, corpus agile, affabilitas ac comitas insignis. accedebant exercitia præclara, quæ nobilitatem sibi maxime conciliant. Quibus omnibus, nec a virtute, quod meminerim, deflexit vnquam, nec ad comessationes ac vivendi intemperiem abductus est. Quæ cum sine sumptu non gerantur, &, quod Legum studio non satis caperetur, vt qui operas forenses, quibus primo destinatus erat, subterfugeret, vt ipse ajebat, gratia parentis ac benignitate excidit. Viuebant eo tempore in hac vrbe, magna illa & æterna eruditionis lumina, Franciscus Iunius, Iohannes Heurnius, non pauci alii. Inter primos tamen Clusius, & magnus Scaliger. Fuit illud in hoc viro, quod in Socrate non semel miris eloquentiæ coloribus depinxit Plato, vt si quis e juuentute nostra ei se dedisset; ejus animũ, inexpugnabili illecebra ac suada captum prius ac possessum, ad præclarum & inusitatum aliquid transferret. Qui cum Tabulam Italiæ vidisset, a stupore, vt solebat, operis ac commendatione auspicatus, serio monere cœpit, vt cum omne studiorum genus, vel exhaustum nostro tempore vel consummatum esset, solum Geographicum adhuc restaret, operi accingeret, ac in possessionem ejus, tanquam vacui, veniret. Omnibus præreptis, vniuersum adhuc orbẽ supersse. eum occupantis, si quis serio hoc ageret, futurum. Iret quo natu-

naturæ impetus vocaret. ducem ſuum ſibi genium ad immortalitatem ſequeretur. Multos eſſe qui in cæteris excellant: neminem hic magnum fore, qui non primus pariter futurus eſſet. Quo judicio, non aliter quam manuum applauſu generoſi ſolent equi, inflammatus adoleſcens, & jam hujus inſtituti certus, in Brabantiam concedit: vbi Iuſtus Lipſius docebat. Credo, vt de hujus quoque in re maxima judicio ſecurus eſſet. Quem Louanij cum fruſtra quæſiuiſſet, (quippe qui Antuerpiam profectus eſſet) fruſtra, neſcio quo fato, etiam Antuerpiæ quæſiuit, qui Louanium Antuerpia jam redijſſet. Hic vix dici, Auditores, vix deſcribi verbis poteſt, quæ ac quanta præter expectationem, virum ad miſeriam ab ineunte ætate factum, derepente inuaſerit calamitas. In hoſtili quippe oberrantem agro, Martis aliquot alumni, veſte omni ac viatico exutum, pene, vt matre natus erat, nudum ac famelicum relinquunt. Vt non alio quam aquæ potu & radicibus, quas terra dabat, ſitim ac jejunia leuaret. Ita Achæmenides hic noſter, vere miſer ac poëtico ſimillimus, ad triduum vagatus, monachorum primo aliquot in via, mox præfecti, vbi eo appuliſſet, Lilloiani, comitate ſubleuatus, ad amicos veteres, in primis autem libros ſuos, in Bataviam reverſus eſt. Vbi, cum de gratia paterna ac fauore nihil ſibi relliquum videret, niſi animum jam alijs di-

catum, disciplinæ legum, cujus causa domum & ad suos vocabatur, totum daret, atque id impetrare a se non posset, in Bohemiam, ac mox Hungariam, se contulit. In qua ad biennium cum militasset, cum Præfecto suo, cuius animum dexteritate ingenii ac comitate morum pridem expugnarat, in Bohemiam reversus est. Vbi ea tempestate Baro nobilissimus de Popel, jussu Cæsaris in vinculis diu habitus, coram Majestate ejus causam dicere atque audiri frustra postulabat. Verso igitur ad bilem magno, vt plerunque tales solent, animo, Apologiam pro se scripsit. Quam Cluuero nostro, vt in Latium transferret, partim suis partim amicorum precibus persuasit. Eam huc reuersus cum Typographo dedisset, iterum Fortunam, quam nouercam semper habuit, in se conuertit. Iussu quippe Cæsaris, qui per legatum hoc jam impetrauerat, in carcerem conjectus, vix, ac tandem, adnitentibus pro libertate sua ac amici, studiosis, malum hoc euasit. Est hoc fœminis innatum, vt affectu illo quem parentum animis natura indidit, haud paulo vehementius ducantur. Pia ergo mater, cum ignaro prorsus patre, alia quam vellet, magna tamen agitantem, clam viatico non ita magno instruxisset: ibi vero noster, suum illum, quem jam pridem animo complexus erat, orbem, contemplari ac metiri diligentius instituit. Qua occasione ac in-

stitu-

ſtituto, Scotiam, Britanniam, Italiam, ac Galliam, non ſemel peragrauit. Frequentius haud paulo tamen cæteris Britanniã. quod, ni fallor, libros aliquot, inprimis ſibi vtiles, in ea reperiſſet. Tantus hominem diſcendi ardor, tanta (vt in re inuſitata tali voce vtar) intemperies tenebat. Quam nõ amicorum monita, non indignatio paterna, non propoſiti honores, non adverſa omnibus conatibus fortuna, ſiſtere adeo atque inhibere poterant, quin, ardore illo laudis, quem accenſum imo pectore gerebat, in materiem æternitatis verteret quæcunq; objicerentur. In Britannia de tribus Rheni alueis libellum; vniuerſi autem Orbis, ſed quod nondum prodijt, Compendium, in Gallia compoſuit. Scriptum breue ac eruditum. quod nuperrime auctum locis plurimis ac emendatum, (peſſime enim hactenus deſcriptum fuit) juueni lectiſſimo Ioſepho Vorſtio, illius, cui plurima debebat, filio, edendum tradidit. Quod monendum hic putamus. ne temeritas Typographorum, aut ambitio cujuſquam, cum autoris pariter ac teſtatoris fraude, fructum hunc decerpat: aut lectoribus, quod vulgo fieri nunc ſolet, manus lucri cauſa adeatur. Ab hoc tyrocinio, ac prima quaſi cura, cum ad partes orbis ſingulas paulatim ſe conferret, atque ad vniuerſum accurate illuſtrandum jam paratus eſſet; ante omnia, de Patria vir pius cogitare cœpit. Quæ liuore

partim antiquorum, partim ignorantia ac fraude, priſtinum vix jam ſplendorem tuebatur. Nullo igitur vel precio adductus vel mercede, illam tot heroum genitricem ac Romanæ æmulam virtutis, exornandam ſibi ſumpſit. In quo ſcripto, erudito admodum ac operoſo, de Germaniæ limitibus ac terminis, de habitu ac cultu, de religione gentis, pietate, armis, jure, oppidis, ac populis, aduerſus ipſam ſæpe antiquitatem, ea vel excogitauit, vel ex diſciplinæ ſuæ fundamentis, maximo ingenio produxit, quæ vt eam, cui ſpiritum ac lucem ſe debere exiſtimabat, in poſſeſſionem veræ laudis ponunt, ſic autori, quantum eruditionis, tantum pietatis aſtruxerunt. Itaque, quemadmodum Poëtæ, Deam quandam extitiſſe volũt, quæ è Iouis cerebro prognata eſſet, ita mihi vir erecti animi ac pulchri, maximis laboribus, vigilijs ac curis, ſuam nobis peperiſſe Patriam videtur. Hanc Sicilia ſecuta eſt cum Italia. Quam cum iterum adiret, totam pedibus, cum nihil niſi oculis exactum orbi ac poſteritati imputare vellet, ante quadriennium emenſus eſt. Nam in altera, quod Scyllam vidit ac Charybdin, quod Phæacum ſedes ac Cyclopum, quod Piorum campos, quod flabellum ſpiritus poetici ardentem Ætnam, quod Læſtrygonas, atque alia id genus, quæ Vlyſſes quia obiter inſpexit, argumentum Odyſſeæ dedit; Poetarum curæ, qui majora

jora quam pro fide amant ac inusitatis delectantur, relinquenda puto. In Italia, ne quis ætatem nostram potius quam monstra quædam, nullo literarum sensu, nulla eruditionis admiratione duci credat, maximos admiratores sui, inter ipsos quoque Cardinales, ac Bononiæ, inuenit. A quibus & magnifice inuitatus, & munifice, si quisquam, habitus, redire ad suos tamen maluit, vbi larem angustissimum, vxorem afflictissimam, sororem bonæ mentis egestatem inueniret acamplecteretur, quam vt inter purpuras de libertate sua quicquam imminutum iret. Vxor (quæ reuersum aduenticia accepit) in grauissimos dolores è contracto corpore è partu ac debilitato, vt putatur, incidit. quæ suspiriis, quæ eiulatibus assiduis ac lachrymis, non mariti modo animum, ad alia intentum, sed vicinos quoque, ad commiserationem ac mœrorem pertrahebat. In hac positus calamitate, hac domestica acerbitate, his angustijs, hoc luctu, aliquid quotidie de penso absoluebat. His auspiciis concepta primum est Italia ac nata: cui valetudinem, mox animam impendit. In hoc opere, scribentem aliquid aut meditantem, (cum adolescentes aliquot interea, quo vitam toleraret, erudire cogeretur) ita tabe, quam ex animi mœrore partim, partim studiis contraxerat, exhaustum prorsus ac emaciatum omnes vidimus; vt diebus ante abitum è vita plu-

pluſculis, cum vmbra hominis aut ſceleto, amici qui acceſſeramus, loqui nobis videremur. Procul illi ſpecies antiqua illa ac venuſtas oris, procul nitor ille ac rubor, procul delicatæ illæ manus, quas articuli ac macies conſumpſerant, procul grata illa vocis elegantia iam erat. Naſus accutiſſimus, tẽpora collapſa, languor aurium, frequentes oculorum lachrymæ, quæ lucem iam faſtidiebant, vultus denique vniuerſus, vt Galenici loquuntur, Hippocraticus, diem vltimum, ante ipſum, vt in lento tabidoque morbo, nunciabant. Memini, præſente me atque aliquot amicis, qui ad ſpondam lectuli conſtiteramus, a clariſſimo ſummoque Medico, & qui parentis illi loco ſemper fuit, Euerardo Vorſtio, ſignificatum illi ac denunciatum eſſe, Nullam ſpem in medicis reſtare: finem vitæ cogitaret, quæ initium æternæ eſſe in iis ſolet qui in Dei Filio fiduciam reponunt. Hoc fatale carmen, ſine vlla animi commotione ſic accepit, vt hunc orbem, quem labore tanto vniuerſum perdidicerat, continuo ex animo deponeret. ſarcinulas non tam colligeret, quam mentem vniverſam Chriſto traderet. aduentantem quoque, ſed (quod feſtinantibus videtur) diutius cunctantem, vt moleſti creditores ſolent, poſceret ac flagitaret. In extrema hac neceſſitate, aſſidentes ſibi aliquot Theologos habebat: qui alloquiis aſſiduis ac monitis, pacem illi, ſi

quid

quid animo hæreret, cum ſupremo numine ac hominibus conciliarent. Ab his cum de immortalitate animi nonnihil ex occaſione ageretur, intentior quam ante, ac cum aliqua, vt in hoc morbo ſæpius ſolebat, indignatione, Ne Strabonem quidem ſuum, hominem in hac militia, quam Chriſtiani militant, paganum, de hoc dubitaſſe dixit. Quanquam enim ſciret, non dimenſionibus locorum, ſed conſtanti fide ad cœleſtem illam terram perveniri: eos tamen, qui de ijs quæ profani homines naturæ beneficio definijſſent, dubitare auderent, ſcarabeos potius quam homines exiſtimabat. qui profecto ipſi, ſi de mente noſtra aliquid hauſiſſent, quamquam inter ſordes ad quas nati ſunt & fæces, facile intelligerent, diuinam illam partem, quæ tot ſpacia locorũ, tanta maria, tot montes, totum denique hunc orbem puncti inſtar capit, ac, quod omnibus his majus eſt, ad rationes vocat, cum hoc corpore non terminari. cui quamdiu hæret, niſi prorſus ſtupet, vim inferri e ſocietate ejus ac caliginem offundi ſibi ſentit. Interceſſerat jam pridem illi, vt mortali ſanguine ac propagine omnes oriundi ſumus, cum Iſacio Pontano, viro excellenti, de re Geographica nonnihil controuerſiæ: quæ ad velitationem ac offenſiunculas erupit. De qua cum prudenter, qui tum aderant amici vtriuſque, monuiſſent, totum hoc ex animo delere ſe profeſ-

ſus

sus est. Sciebat enim vir clarissimus, ac Christo suo, cui semper hæserat, jam consecrandus, quemadmodum informe hoc corpusculum, nisi prius gloriæ restituatur, ad possessionem filiorum Dei non aspirat, ita odio ardentem animum ac studio vindictæ, ad felicitatem suam non admitti. Sanguinem & carnem, ad felicitatem ejus non admitti, qui, e cruce pendens, inter laniatus ac tormenta, sub immani illo onere depressus quod ne cogitando quidem quisquam nostrum hactenus accessit, antequam supremum illud sacrificium parenti consecraret, carnificibus quoque ac tortoribus ignouit. Audiuistis finem ejus viri, cui pares oppido quam paucos ætas nostra tulit; ijs artibus ac disciplinis, quibus animum emanciparat, forte nec superiorem vidit. Cujus quidem varios errores, casus, ac adversa, qui putabit, nihil obstitisse tamen dicet, quin ad voti sui portum, ac columnas, vt Geographi loquuntur, Herculis peruenerit. Linguas tenuit quam plurimas. Præter eas, quæ ab eruditis vindicantur, Belgicam, Germanicam, Bohemicam, Polonicam, Italicam, Vngaricam, Britannicam & Gallicam. vt in orbe suo nusquam peregrinus, & vbique natus. videretur. Liberos reliquit duos: tanto omnium commiseratione magis dignos, quanto orbitatem minus sentiunt. Quibus ex hoc vniuerso, quod ingenio & eruditione totum possidebat

bat parens, nihil præter luctum & penuriam, relictum eſt. Voluntatem qui poſt obitum exequerentur, viros præſtantiſſimos ac celeberrimos dilegit. Petrum, ſcilicet, Cunæum, Academici Senatus Præſidem, Antonium hunc Thyſium, ac Euerardum Vorſtium. Amicos mecum, præter illos, aliquot communes habuit. Inter cæteros, Scaligerum ac Caſaubonum. inter eos qui ſuperſunt hodie, Iohannem Meurſium, Thomam Erpenium, Gerardum Voſſium, clariſſimos ætate noſtra viros. qui officia, quæcunque excogitari poſſunt, ægro, aut poſt mortem, præſtiterunt. Inter primos autem ac præcipuos, Richardum Iohannem Nereum, Theologum doctiſſimũ. cui & libellum ſacrum, ſe autore ſcriptum, ante obitum commiſit. Quibus omnibus, Cluuere optime ac præſtantiſſime, memoriam mœſtiſſimam ac luctum reliquiſti. Reliquiſti Magnæ Græciæ, quæ ſummam a te poſcit manum. Reliquiſti Græciæ, quæ opem aliquando expectabat tuam. reliquiſti tot autoribus, ac, inter reliquos, Straboni, quem tot locis emendaſti. Reliquiſti vniuerſo orbi, de quo illuſtrando, deſcribendo, ac delineando, cogitabas. Reliquiſti vniuerſis literis ac eruditioni, quam vnius cauſa vniuerſam exornabas. Nam ex parte quidem tua, niſi duriores æquo ac immites ſumus, etiam gaudendum reor. Non jam de anguſtia pulmonis ac ſpirandi quereris

difficultate. non vxorem jam cum morte colluctantem, inter meditationes tuas audis. non de liberorum patrimonio ac tuo, quod fortuna jam ſuperſtiti abſtulerat, ſollicitus ac mœſtus ſedes. non vndantem ſanguine Europam, non diſtractos popularium diſſenſione animos, nec fœdiſſimas doctorum inter ſe contentiones, & extremum noſtro tempore venenum, perſonatas amicorum laudes, deteſtaris. Alium in orbem, nauigantibus ignotum ac Geographis, tranſlatus es. Vbi non, vt ante, flumina ac fontes, maria ac ſyluas, oppida & lucos, vt, ſolebas, nonPachynum tuum, Lilybæum ac Pelorum, non Italiam, terrarum dominam, ejuſque principem Romanam vrbem, ſed cœleſtem illam civitatem vides, *quæ eſt ſurſum*. quam tot flumina exhilarant ac cingunt. Ciuitatem ſanctam, ciuitatem Regis magni. In qua nihil cuiquam deeſt: in qua cuiuis exhibetur quantum quiſque optat: in qua denique, vt vir Sanctus loqui ſolet, bonum ſuum quiſque intelligit ac quærit. Ætate quidem prima hinc auulſus es. ſed quam vigilijs ac animi contentione, vltra ſenectutem plurimorum produxiſti. Opes tenues atque arctas reliquiſti. ſed nec beatorum animæ has norunt. Ac ne ſapientes quidem: qui peculium cum fœnore in animis reponunt. Et paupertas antiquiſſimum virtutis patrimonium, ac ſapientiæ vernacula, a viris magnis nuncupatur.

tur. Quæ in Aristide, vt cum veteri scriptore loquar, justa, in Epaminonda, strenua ac prudens, sapiens in Socrate, facunda in Homero, in non paucis erudita fuit. Tecum, optime Cluuere, terras omnes vidit ac emensa est. Liberos desertos ac parente orbos reliquisti. Sed & tales patrem suum habent. Et habemus matrem omnium communem, Prouidentiam diuinam: quæ, cum nihil negligat in terris, tales maxime intuetur. Legislator noster, pullos quoque auium ac nidos, in tutela sua habet. Sed & præstantissimi supersunt viri: quorum tu humanitatem sæpe prædicasti. Supersunt, & hoc loco adsunt Curatores Academiæ, patroni tui, nobilissimi clarissimique viri, quibus ocium & libertatem tuam debuisti: nos Germaniam, Siciliam, Italiam, debemus? qui pro copijs, quas prudentissime impendunt, pro consilio quo valent, ne hic quidem defuturi sunt. Si quis honos supersit defunctis, si quid piæ recordationis alibi relictum est, si contemptum eruditionis, qui hoc tempore grassatur, cum domestica calamitate ac familiari, cum impensa valetudinis atque ipsa morte, deprecari magna atque illustris virtus potest: flebunt peregrinæ quoque gentes, quarum regna, ditiones, atque imperia, illustri loco posuisti, tantis meritis ac eruditione virum, plurimis ad vitam eguisse; cum funambuli ac moriones a principibus alantur: equi

quoque ac canes, ad virtutis gloriam aut voluptatem, ſaginentur. Audiat Fortuna tamen, magnis animis aduerſa, cum qua hactenus luctatus es. Tu, deſertus prope ab ea ac neglectus, totum terræ orbem, illuſtrandum tibi pariter ac contemnendum, elegiſti. In Europa, Aſia, ac Africa, in quibus dignitates quidam atque honores, opes alij atque aurum, omnibus omiſſis, conſectantur, inueniſti dignius quod ageres. Intelligere ipſas ac complecti ratione voluiſti. Principes prouincias, Germaniam, Siciliam, Italiam, ita deuinxiſti tibi, vt non eos modo qui nunc ſpiritum in ijs ducunt, ſed & veteres ſcriptores, quos tam multa docuiſti, laudis tuæ inſtrumenta atque heroicæ virtutis habeas. Habiturus quidem, quamdiu erunt homines in terris, qui aut ſcripta tua legent, aut illarum poſitum ac formam, non ex ipſis, quod immenſæ molis eſt, ſed ab induſtria ac cura tua diſcent. Italiam nos quidem certe, quam, vt alteram pupillam, viris amiciſſimis in terris commendaſti, tanto ſtudio, labore, diligentia, ac eruditione, non in ipſa, quam tantopere demeruiſti, inter Thybridis amœnitates ac delicias, ſed in Batauia, ſuprema libertatis arce, a te deſcriptam ac renatam, inter monumenta ejus ac trophæa ſuſpendemus.

In obitum C. V. Reineri Bontii, Medicinæ Professoris, & Principis Medici ordinarij.

ORATIO IX.

QVod frequentes ad exequias pręclari præstantissimiq; viri conueniſtis, recte ac ordine a vobis factum reor. Non enim corpus, in quo habitauit id quod quisq; sumus, vt Platonici loquuntur, ea lege in terra ponitur ac collocatur, vt cum fæcibus ac sordibus perpetuo putrescat, sed, vt animus hic noster, cum hospitio hoc ruinoso ac deformi, in quo sapientiæ arcana, & arcana creatoris sui, coluit, tractauit, intellexit, maxima cum voluptate aliquando & ad gloriam jungatur. Hunc thesaurũ in hoc vasculo gestamus. e quo, vbi spiritus excessit, quicquid supereſt, contactu fœdum, visu triste, ipsa recordatione sordidum, ac, nescio quo pacto, ominosum videtur. Neque alia de causa Populus Romanus, cum, ad curam animi ac corporis contemptum, leges prope omnes, omnia cõferret instituta, tantas funeri impensas, tantas corpori defuncto ceremonias adhibuit & ritus. vt, videlicet, hoc quicquid est, quod juxta belluę nobiscum habent, vngerent, pollincerent, lauarent; præficas, libitinarios, ac vespillones; vestes, ornamenta, ac coronas, procurarent. Idem vsitato ritu collocarent, idem publice efferrent, idem sepelirent, ac in cinerem, cum fragrantissimis odoribus, vnguentis, ac liquoribus redige-

rent: inferias postremo, epulas, ac luctum, quidam consecrationes quoq;, huius causa celebrarent. Nam cũ veritatis nostræ sacramentum ignorarent, notas tamen quasdam eius ac vestigia seruabant. Quorum nos exemplo, id quod vltimum mortalitati nostræ in hac vita superat ac restat, viro optimo ac præclarissimo persoluimus. Cuius cũ memoriam ex tot annorum consuetudine infixam atque insculptam animis geramus, tempus est, vt cum jam corpori litatum sit, ad animum, eiusque imaginem ac ductus, quisque se conuertat. Qui cum multũ sint ab alteris diuersi, solis animis videri, neque aliter quam verbis & sermone explicari aut depingi possunt. Quem vt diligenter ac cũ cura audiatis, non tam mea quam defuncti causa, flagito a vobis, Auditores, ac contendo. Ante omnia, cũ mores singulorum ac ingenia, pro patria plerunque censeantur, quo piaculo Batauiam dissimulabimus? Quæ vt laude bellica ac literarum, primas inter cæteras hac tempestate tenet; ita nihil elegantius aut bellica virtute illustrius Lugduno habet. quæ, Hispani olim viribus ac armis cincta, hostem, non tam ferro quam constantia, ejecit: eruditionis ac scientiarum mater, literarum nutrix, immortalitatis anima ac vita: quam non tam in patriam, quam orbem vniuersum, tanquam corpus vnum aliquod, diffundit. cujus nominis celebritatem, vrbes vniuer-

sæ,

ſæ, admirantur potius hoc tempore quam æquant. Ex vberibus tam magnæ matris, primas diſciplinas, ſed ante omnia, amorem libertatis incredibilem ac prope ineffabilem, deduxit. quem ne ipſa morte quidem imminutum aut extinctum reor. Patre natus eſt Gerardo Bontio, reconditæ ac ſummæ eruditionis viro. qui cum accurato ac aſſiduo Platonicæ Philoſophiæ ac Græcarum literarum ſtudio, cognitionem Medicinę junxerat: quam cum pari omnium vtilitate atque applauſu, annos aliquot in vrbe hac exercuit aut docuit. Hoc parente natus, quo & præceptore (quæ felicitas illius fuit) vti poſſet, animum ad diſciplinas, Philoſophicas ac Mathematicas inprimis, appulit. Quas cum maximo labore, nec minori voluptate, ſub Rudolpho Snellio, clariſſimo eximioque viro, cujus nunc virtutes filius ſimillimus abſoluit, hauſit ac perdidicit. Sæpius audire ex eo memini, Nihil difficilius fuiſſe ſibi, quam ex amœniſſima hac diſciplina, cum familiaris ratio vrgeret, in præſcriptum a parente Medicinæ portum ſe conferre. Erectum, ſcilicet, ingenium ac pulchrum, veritate demonſtrationum, aſtrologicæ præſertim diſciplinæ, ad principia naturæ trahebatur. quæ impatiens terrenæ fæcis, non per Pelion & Oſſan, vt poëtæ canunt, ſed diuinas animi concluſiones, cælum ſuum affectabat. Mortuo parente, ad profeſſionem

Philosophicam admissus est. Ita tamen, vt eodem tempore & Medicinam exerceret. In qua arte ita se continuo probauit, vt, cum singulorum ratio obscura ac diffusa, ideoque ætatis vltimæ prærogatiua, in adolescentiam vix cadat, noster cum experientia ac vsu natus videretur. &, cum intra juuentutis adhuc spatia consisteret, judicio ac animo maturus esset. Euenit sub initia ac rudimenta tyrociniorum eius, vt grauissima in ciuitate hac contagio ac lues grassaretur. quæ cum multos subito afflaret, ac quibusdam lucro esset, nihil præter incredibilem beneuolentiam ex ea noster lucrifecit. Nam cum neminem negligeret, eos, quos egestas, lues altera, nec minus grauis, affligebat, sponte ac gratis accedebat. qui cum Dei sint clientes, qui acceptum refert quod in hos confertur, tantus medicinam eius numinis diuini consecutus subito est fauor, vt ad eius noti atque ignoti conuolarent opem. tanto studio atque agmine, vt, quod sæpe vidi, consultoribus ac quos accederet, vix par esset. Corpus illi tenerum ac delicatum, &, vt statæ formæ, ita longe infra animi mensuram fuit: quem pulcherrimum ac vere maximum, ne vsquam præter legem se efferret, admirabilis modestia ac pudor deprimebat. vt, cum plurimis præstaret, nulli hominum se anteferret. Simulationes ac dissimulationes, cum Homerico Achille, tanquam in-

inferorum portas, abhorrebat. Nam vt Solem extra nubem, ita pulchrum esse aiebat animum, qui sine larua, qualis esset, omnibus conspiciendum se præberet. Comicos in vita esse ac histriones, quos non color suus sed persona commendaret. Et vt optimum id esset speculum quod optime exhiberet vultum, ita vultum esse pessimum, qui cogitationes maxime dissimularet: qui non exhiberet animum, sed mentiretur. Mores, ita ad candorem, ad humanitatem, ad occultam quandam elegantiam ac suauitatem a natura facti erant, vt, vir eruditus, & ab omni ostentatione alienus, totam illam partem, in qua de virtutibus cum altero viuendi erudite differit Philosophorum princeps, non ex libris sapientum, sed a matre omnium Natura, singulari quodam beneficio, hausisse videretur. Tanta comitas in vultu, ingenuitas in verbis, in familiari consuetudine humanitas & quędam quasi Venus habitabat. Quæ, ad morbos quoque & ægrorum valetudinem, non parum adferebant. vt aspectu prope prius ac sermonibus quam arte aut remedijs depositos curaret. Probitatem, non ex instituto nec emolumenti causa sed per se colebat. in qua nihil præter affectationem ac offucias, quemadmodum in pietate, nihil præter ostentationem detrectabat: quam, ingenui vir animi, & ad heroicam simplicitatem factus, oderat non

alia de causa quam quod probus esset. Nam de ipsa quid sentiret, nemo melius quam nos in terris nouit: qui expressam mentis candidissimæ effigiem, ac quasi vultum, quamdiu erimus superstites, circumferemus. De diuino numine ac benignitate ejus, de æternitate animorũ ac natura, de salute nostra, quæ ex Christo Domino ac Deo nostro fluit, de autoritate voluntatis eius nobis reuelatæ, quouis loco quouis tempore cum eo disputaui: neq; quicquam deprehendi, quod non virum optimũ aut vere Christianum, maxime deceret. cum amicus, non e trivio, sed tanquam alter ipse, in arcana pectoris, per seria per jocos penetrarem, neque raro omnes angulos, & quasi forulos apertæ mentis, perreptarem. Quæstum tamen memini nonnunquam, vnum illud displicere sibi, quod, cum nemo Christianus esset qui non pariter honestus esset, reperiri quosdam, qui sub nomine ac professione veritatis, callide nocerent. Porro, vt in peste, id quod ab Hippocrate diuinum dici solet, maxime malignum, vt loquuntur Medici, ac venenosum esset, ita speciem religionis, nisi ipsa pariter ac probitas accedat, pessimum venenum in Republica ac vita esse. quo, qui tantum probi essent, facile euerterentur: cæteri, vt histriones, clam subreperent ac quouis peruenirent. Immensas enim latebras in animis ac flexus esse, quibus occultandis, cœlum quoque in partes

rrahi.

trahi. ne quid hic in terris esset, quod humanis fraudibus obstaret. De collegis reuerenter, de amicis optime, de cæteris qui minus tales essent, raro potius quam cum contemptu loquebatur. quod erecti animi indicium ac nota est. Rebus lætis ac prolixis, nunquam ferocire aut immodica sperare. si quid ex sententia ac præter expectationem eueniret, animum in potestate habebat: si fortuna, vt non raro solet, contra daret, spe languentem confirmabat. Veros intimosque affectus, e Republica sumebat: nisi quod aduersa callide apud populum dissimulabat. quia vultu quoque ac fama res communis sustinetur. Cæterum, cum in hac vrbe Medicinam aliquamdiu maxima cum laude exercuisset, eius valetudini ab Illustrissimis Ordinibus, in cuius vita ac salute salus Reipublicæ versatur, cum amplissimo stipendio præfectus est. In quam curam ita toto pectore ac animo defixum vidimus, vt, non ratio familiaris, non vberius e consultationibus promiscuis compendium, non ægrorum in eadem vrbe preces ac incommoda, ardentem magni principis amore ac flagrantem retinerent, quin cum imbecilli illo acafflicto sæpius corpusculo, in castra, quoties occasio offerret, sequeretur: quin de vno cogitaret, vnum loqueretur, vni omnia metueret, vnum animo infixum gereret, vni, si quid ingruisset, sui ac suorum prope oblitus, gemeret

ac ſuſpiraret. Denique, quemadmodum ex venis & earum pulſu Medici de ægro cenſent, ita ex mœrore eius aut hilaritate, herois inuictiſſimi ſecundam valetudinem aut morbum deſcripſiſſes. Quo obſequio ac fide, magnum illum Pattiæ parentem, fulmen illud belli, pacis columen ac decus, ita ſibi junxit, vt non pauca nec obſcura a quamplurimis circumferantur documenta. Homo enim ab ambitione alienus, cum de multis bene mereretur, ne apponi quidem gratiæ id ſibi poſtulabat: tantum abeſt, vt honoribus pro ſe invigilaret. qui vt gloriæ non parum addunt, ita magnum animum ac ſupra res humanas conſtitutum, ne attingunt quidem. Eſt hoc proprium nonnullis, qui in literis ac chartis educati, aliam ad vitam transferuntur, vt, quemadmodum qui e fabrorum officinis fumo ac fuligine infecti veniunt, riſum omnibus in publico ac jocum debeant. Longe alia amici noſtri ac diuerſa fuit ratio, qui acceptus ante Principi ac carus, cum autoritate aulam eius ac familiam acceſſit. vt, quos antea ne conſpexiſſet quidem, ſtatim demereri poſſet. Ad hæc lepor ille ac venuſtas, illa amabilitas ac candor accedebat. ad quæ cum prudentia accedit, quidlibet in aula poſſunt: ſine ea, viſcus nihilominus ac illices ſunt animorum. Porro fallitur, qui ſtrophas tantum & obliquas artes, cum integumento animorum, ad conciliandos aulicorum

rum animos, valere arbitratur. Multo plus ſimplicitas ingenua ac candor poteſt. Qui cum nudus ſit nec quicquam celet, cæterorum quoque, exemplo ſuo ad integritatem flectit aut expugnat. Adde, quod, qui tales ſunt, profundos aliorum ac opertos facile pertentant. quia nemo apud eos ſibi cauet quos nec metuit nec vitat. Accedebant illa e communi vita,

omnes perferri ac pati,
Cum quibus erat cunque una: ijs ſe dedere,
Eorum obſequi ſtudijs.

Quæ in ſcena cum veriſſime dicantur, raro admodum in vita exprimuntur. In hoc omnium fauore, ea gratia ac laude, morbo ſubito correptus, cum non tam extingui ſe quam abripi videret, præter expectationem omnem ad me mittit. Petit, vt cum reuerendo præſtantiſſimoque viro ac amico, Colonio hoc noſtro, Gallici collegij Regente, in quo, cum & pietas & eruditio ſit ſumma, omnia ab oſtentatione aliena ſunt, ad ſe venirem. Cuius cum ingenio ac moribus mirifice ac ſupra fidem caperetur, refici illius verbis ſe atque erigi teſtatus eſt. Finem quidem vitæ ſibi jam ac terminum adeſſe. Prorſus hoc perſuaſum ſibi. Vnum eſſe certum, aliam reſtare: de qua multo minus dubitaret, quam quod aliquando moriendum eſſet. Si quid vnquam deliquiſſet, eius pœnitentia ex animo ſe duci. Hoc ſentire, quod per-

perpetuo ſperaſſet, Deum ſibi in extremis adfuturum. Quem, non fracto animo ac mœſto, ſed præſenti ac erecto, expectaret. Ita, quod eſt vere Chriſtiani, & proſtratum peccatorum recordatione, & ingenti vitæ melioris expectatione ardentem vidimus. Macte iſta fide, iſto animo, mi Bonti: quo non improborum modo voces, ſed & cœlum perrupiſti. Vniuerſæ autem vitæ, fortitudine ac amore libertatis, indelebilem in animis tuorum recordationem reliquiſti. Longe præferendus ijs, qui in caſtris atque in acie verſantur. In quibus vt non minus tempeſtates omnes ac incommoda ferebas, ita maius eſt quod præſtitiſti. Nam vt armis illi patriam tuentur, ita tu pro vita ac ſalute Principis inuicti in excubijs ac ſtatione tot jam annos conſtitiſti. Tu, pro omninm ſalute, quæ in vita ac ſalute vnius vertitur, tot annos vigilaſti. Tu, in cura eius, ſi non ſanguinem, at animam, at vitam, qua ne illi quidem maius habent quod amittant, effudiſti. Ipſam, dico, mortem obijſti. Quam qui magno animo, quod a te factum vidimus, contemnit, ſcuta quoque, & gladios, & haſtas, facile contemnet. quippe, quæ non niſi mortis cauſa metuuntur: quam tu fortiter tuliſti. Noſtra cauſa agitur, Amici, nobis juſta celebranda, nobis pompa hæc ducenda erat, qui ſuperſtites defuncto, fletu contabeſcimus & luctu. Quorum cauſæ vt in aliis plerumque ſingulæ

singulæ concurrunt, ita multæ ac multorum, imo omnium, in vno hic concurrunt ac conueniunt. Amisit ciuem libertatis studio flagrantem florentissima Batauia: clientem singularem ac incomparabilem vterque Princeps ac Nassouica familia: doctorem celeberrimum ac præstantissimum hæc Academia: Æsculapium salutis suæ plurimi, amicum multi, fratrem quidam, quidam patrem. Ego, quid ac quantum, Auditores: Fratrem, hospitem, familiarem, inspectorem valetudinis ac vitæ meæ, imo valetudinem ac vitam. Heu, Reinere Bonti, generis humani amor, suauitas, ac elegantia, eam nobis ita subito incubuisse tempestatem ac procellam, vt quos omnia quæ prima esse in vita solent, sine vlla aut dissensione aut querela, tot jam annos, tot jam, inquam, annos, conjunxerunt, vna hora, vnicum momentum, tam diuturnæ lege absentiæ disiungat? Quid amicis meis nunciabo, quos, vt cætera, communes hactenus habemus? Quid affini meo, tuo autem fratri ac amoribus, Rutgersio? qui, vt solet, tui plenus, in amplexus nostros nunc a Rege suo properat. Quid cognato nostro Adriano Blyenburgio, amplissimo clarissimoque viro: qui non ita pridem, conclamata valetudine ac vicinus morti, ad conspectum tuum, cum e castris rediisses, respirauit primo, mox conualuit? qui Dordraco vsque, vt postremum vale

hinc

hinc abeunti diceret, in vrbem hanc aduenit: nunc, hoc ipso miſere fruſtratus, vt videtis, fractus animo hic ac dejectus ſedet. Ego autem, vt os illud tuum, illum venuſtiſſimum pudorem, probitatem, verecundiam, modeſtiam, integritatem, fidem, ac candorem, vt tot voces, tot colloquia, tot dies, jus poſtremo contubernii ac menſæ, obliuiſcar aut ex animo deponam? Ego, vt ſincerum illud pectus, in quo cogitationes omnes meæ, ac propemodum hic ſpiritus & vita, tanquam in hoc meo, verſabantur, alibi aut quæram aut inueniam? Nam, quo me conuertam? Vnde (ſinite vt conſilium a vobis in fatali caſu meo, Auditores, petam) aut quæ denique ſolatia hic quæram? Fratres tuos adeam, ac querar? qui afflicti hic dolore proprio ac prope exanimati ſedent. Filium, quem reliquiſti? qui non minus orbitatem ſuam ac calamitatem merito deplorat. Anum affligtiſſimam parẽtem tuam? quæ extremum ſenectutis ſuæ columen requirit. quæ in ſordibus, quod relliquum eſt, ac ſquallore miſera traducit. Domi meæ aliquo me abdam? Ipſi quoque liberi in morte tua commouentur. Foras ac in publicum prodibo? Nuſquam plures lachrymas & gemitus inuenio. Aulam ac palatium accedam? Iuro vobis, Auditores, inter inuictiſſimos fortiſſimoſque viros illos, qui in bello nihil hactenus quam ſanguinem fuderunt, audio non

vnum

vnum esse qui nunc lachrymas effundat. Requiem e literis, e sapientia, ex eloquentia ejusque cultu petam? Illa sordent: ista, ne respondet quidem. Vnum Auditores restat, unum supereſt post illa, quo, cum verba nos deficiant ac voces, oratores præstantissimos, invitos quoque ac nolentes, antecedam. quod, cum cæteri hoc agant, vt orationes, quas in morte ac funere suorum habent, artificiose ad luctum & commiserationem circumducant ac concludant, nos cum veris lachrymis & fletu, verba pariter & voces abrumpamus.

REINERE BONTI, VALE ET SALVE. SALVE, INQVAM, AC POSTREMVM VALE. NOS TE EO ORDINE AC LOCO, QVO SVPREMVM NVMEN IVSSERIT, SEQVEMVR. REINERE BONTI VALE.

In Librum De mundo, qui vulgo Aristoteli inscribitur.

ORATIO X.

ANimum humanum, Auditores, vitæ nostræ ducem ac rectorem, in excelso loco rerum Natura posuit: vt, inuitus quoque, opus hoc immensum, inexhaustum, ac quod vniuersum vocant, intueri assidue cogatur. Quo mihi magis eorum rationes admirari lubet, qui cum vndiq; includantur hoc theatro, ipsi tamen se subducunt, & industriæ parentis suæ tamquam fugitivi elabuntur. Men-

tem

tem vero tot tantisque rebus destinatam, curis partim levioribus, partim etiam pudendis, occupatam atque intentam tenent. Sunt qui sine sensu vllo vitam omnem ac ætatem transigunt, qui cum causas vitæ numquam intellexerint didicerintque, ocio, fastidioque ejus pariter ac sui, misere torquentur, &, quod eleganter autor vetus dixit, *præter propter vitam*, non in ipsa, viuunt. Putes per præconem publicum denunciandum illis esse: Infra terram esse quandam, quæ tot herbas, fruges, stirpes, animalia producit. Cujus siue liberalitatem ac benignitatem videas, obstrictum vehementer te atque obligatum fatearis. Siue occultas abditasque causas; nemo omnes hactenus inuenit. Supra vero Solem, qui quotidie e cœlo, tanquam arce quadam celsa atque illustri, signum omnibus sustollit. Cujus lumen Luna excipit. quæ formosis comitata imaginibus ac flammis, oculos aspectu, mentem contemplatione sui varie oblectat. Per hos gradus, altius perueniendum est. Postquam enim locum istum, in quo venti oriuntur, nubes colliguntur, nives grandinesque deferuntur, tonitrua ac fulmina terribili fragore mentem feriũt humanam ac percellunt; ubi irides colore, capreæ saltu, areæ splendore suo, omnia quæ summum cœli non attingunt ambitum, assidue mutari docẽt, jam evasit, quicquid supra invenitur, purum ac cor-

ruptionis est immmune. Ibi demum quintam Aristotelis essentiam, summum, nobilissimum, purissimumque elementum, ibi immortalem illam sedem inuenies,

Quam non fuscat hyems, quæ nullo tingitur imbri.

ibi Deum proximasque Deo beatorum animas, aut, vt melius loquamur, aliquanto altius, philosophi locarunt. Quam vero, Auditores, mentem nostram exultare oportet, cum de corpore triumphat, cum emancipata hac contagione, terram deserit ac sursum fertur. Cum relicta terra, ac quod proximum ab ea, ipsa sibi maxima cum voluptate occurrit, & originem naturæ suæ, quam in corpore nec inuenit nec habet, ibi esse videt, ubi finem contemplandi Deus & natura posuerunt. Ibi penitus in se conuersa, quicquid homines mirantur, muneri intenta suo obliuisci gaudet. Putatisne animam tam alte positam, vel opibus cujusquam vel fortunis inhiare? Ne videre quidē potest. Infinitis enim spatiis diuisa sunt. Illa vero libera jam ac vicina Deo, orbem omnem peruagatur,, & cœlestibus affixa globis, motum quoque illorum imitari discit. Currit cum Sole, circumfertur cum Luna, cum planetis errat, hæret cum fixis. Minimum quod videt, ipsa terra est. quæ Oceano distincta & diuisa, parua sui parte habitatur. Quicquid magnum est in ea, solitudo tenet. Si ad homines respexit, sortis illam suæ pœnitet. Pudet me

quoque,& dicendum tamen est. Omne illud in quo avaritia, in quo ambitio grassatur , in quo opes alius cŏrradit,alius invadit,alius absumit,in quo alius honores ambit,alius consequitur,in quo omnis spes, invidia acarrogantia,in quo metus regnat & ferocia,in quo tanta reges moliuntur & tyranni , nævus ab autore libri huius appellatur. In quo nihil magnum aut excelsum,præter vnum sapientis inuenitur animum,qui humanam sortem aut irridet aut contemnit.Scit hoc omne quod Romanus vicit , maculam aut nævum esse: scit quod tantis viribus subegit Alexander , si intuearis cælum,vix quærendo inveniri posse.

O vanas hominum curas!o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ quantisque periclis
Degitur hoc ævi quodcunque est!

Omne hoc spatium,cui tanta nomina imponitis,quod Europam,Asiam,Africam dixistis,in quo misere erratis ut vivatis miserius , in quo navigatis,itis,festinatis,curritis,in cujus parte, sed exigua,& prope nulla annos decem circulator ille Homericus jactatus est , si cum toto conferatur,vix unius horæ iter est.Hoc qui capit,nunquam æstimabit vitam: nunquam formidabit mortem. nunquam enim totum sese in angustias has dabit, qui tam magna sui parte terram jam excessit. Dicam vobis, Socrates quid fecerit.Opulentum ac ferocis animi adolescentem,Alcibiadem docebat. qui cum aliquot

quot agrorum causa, quos in agro Attico haberet, felix sibi videretur, orbis vniuersi tabulam adferri jussit. Hanc cum admouisset, vbi esset Attica ex Alcibiade quæsiuit. quam cum aliquot vix atomis majorem ibi inuenisset, petiit vt agros suos demonstraret. Erubuit, ac prope lachrimas emisit adolescēs. Ita insolentem fregit prius mox ad alia deduxit animum. Tabulam Socraticæ similimam habetis: quam si diligenter euoluetis, non modo rerum naturaliū, quas ordine describi hic videbitis, scientiam ac causas, sed & contemptum imbibetis. Postquam enim cœlum igneosque illos orbes, quorum nullus fere est qui non terram parte sui altera excedat, & autorem Deum, qui hæc flectit, voluit, & conseruat, luculenter, quamquam breuiter, depictum videbitis, in angusta quadam vniuersi huius parte, orbem habitabilem inuenietis, cuius situm aliud agendo leuiter percurrit. Qui tam parua semper cogitare potest postquam tam immensa intellexit, indignus est, ni fallor, qui in cœlum vmquam oculos attollat. Nunc ad alia pergamus.

Dissertationem de Autore huius libri, in finem Orationum reiecimus.

In obitum Generosi & Nobilissimi iuuenis Ernesti Ludouici a Burckstorf, ex tempore habita.

ORATIO XI.

LEontinus Gorgias, ex numero eorum, qui dicendi artem ante Socratem in Græcia profitebantur, cum jam senex (nam ad summam peruenisse ætatem memoratur) & vicinus morti esset, quæreretque ex eo amicorum quidam, qui tum lecto proximus astabat, an libenter moreretur, Minime, inquit, sed ex putri illa domo maxima cum voluptate excedo. Sentiebat nempe, vir ingeniosus, veram vitam neque duci in hoc corpore, quod tanto opere tantoq; studio plerique colunt, neque mori eos qui ex eo migrant. Eam vero magnam esse animam, quæ non aliter quam instrumento vtitur, quamdiu ex præscripto Dei circumferre illud cogitur: rursusque vbi imperator jubet, tanquam instrumentum, non vt sui partem, cupide deponit, & in terram suam abjicit. Extulimus hoc die, Adolescentes Nobilissimi, commilitonem vestrum: funus generosum & illustre. quod pro singulari vestra erga mortuum benignitate, & humanitate incredibili, præsentia ac comitatu vestro, quemadmodum officiose inuitati fueratis, ita studiose condecoraſtis. Quidam & ex gente nostra humeros suppositistis, quodque usu est receptum inter eos quos benevolentia conjungit, corpori impositum, ad sepulchrum

chrum usque detulistis. Quæ res vobis laudi, nobis, quantum potest in dolore, voluptati, toti autem nationi est solatio. In hoc iuuene, quem alii vidistis in hoc loco, alii nunc comitati estis, alii efferre voluistis, præter genus ac majores splendidissimos, multa alia fuere, quę cognosci publice merentur, sed in primis vitæ exitus. quo ut quisque nostrûm optime defungitur, ita optimus censetur. Cujus causa, etiam de reliquis dicendum erit. quæ ut diligenter audiatis atque attente, vehementer peto. Ego quanta brevitate potero, benignitatem hanc officiumque demerebor. Natus est Ernestus Ludouicus a Burckstorph, eques Marchicus, illustri & notissima ex omnibus annalibus Burckstorphiorum stirpe, anno supra millesimum, quingentesimo, nonagesimo & quarto, patre Iano a Burckstorph, celebri toparcha in Podoltzig, matre Tugentricha a Robell, cui cum abunde cætera quæ a fortuna dispensantur, tum in primis corpus vegetum, agile ac procerum, vultus generosus, forma regia, & qui huic præsidebat, altus præclarusque animus contigerat. Quem vt primum vltra vsitatos litetarum terminos provexit, totum sapientiæ ciuili dedit. Iudicabat enim, nihil tam nobilitate sua esse dignum, quam vt eam non jactaret, sed ostenderet. Nihil tam illustri convenire viro, quam in ea sapientia versari, quæ ad actiones homi-

nem deducit: quam earum cauſas & euentus
intueri. Et quandoquidem in ſingulis e qui
bus vſus & experientia parantur, hæc ſcientia
verſatur, & ex his viciſſim omnis artis & ſcien-
tiæ principia, ut recte monet Ariſtoteles, pro-
cedunt, nondum ad Remp. admotus, omne
perluſtrabat. Populos ſibi omnes, populorum
inſtituta omnia ac mores in Hiſtoria, quæ ma-
ter eſt prudentiæ, ob oculos ponebat. In qua
militarem quoque diſciplinam ſerio conſide-
rauit. In hac rationem priſcis vſitatam, oppida
cingendi, machinas expediendi, ſtationes col-
locandi, in inſidiis aut ſuos ordinandi, aut eli
ciendi alios, diſcebat. Quibus artem eam ad
jungebat, quæ munitiones nobis vſurpatas, &
earum modos hodie receptos, ex præſcripto
artis & proportione docet. Præter iſta, tantos
in vtroque jure fecerat progreſſus, vt in patria
illuſtre teſtimonium, poſt diſputationem ma-
xima cum laude habitam, a toto juriſconſul-
torum ordine obtineret. Quod non ſine ſum-
ma admiratione curioſis oculis inſpexi. Nam
cum ſtudia vt plurimum, priuſquam matu-
reſcunt, & ad finem perducuntur, peregri-
natio, quæ animum cum corpore a medita-
tionibus avertit, vel impediat, vel penitus ex-
tinguat: tanta fuit indole Erneſtus, vt eodem
tempore vtrumque feliciſſime præſtaret. Li-
pſienſem, Tubingenſem, Altorphenſem vidit
Academiam; vbique magnos, vbique eximios
audi

audivit viros. Sed in hac præsertim, eum quem vix recordari sine lachrymis ac maximo dolore possumus, Conradum Rittershusium: cuius amicitia dum viueret, nunc sancta nobis est memoria. Quem præclarum virum, hospitem & præceptorem habuit. Ab hoc quasi manu ad justitiam eiusque sacra deductus est. Porro cum torpescat corpus, nisi excitetur crebro, neque animus in tali stirpe, quæ militiæ splendorem suum debet, ab hac plane avocandus sit, summa diligentia ac cura corpus quoq; exercuit. Pompeium illum imitatus, qui in castris *saltu cum alacribus, cursu cum velocibus, vecte cum robustis ac validissimis certabat.* Idq; eo diligentius, quod nunquam ex illius animo maiores eius, magni strenuiq; exularent viri. quorum expressas, non in atrio aut arca, sed in pectore imagines gestabat. Qui ardentes per se spiritus adolescentis & erectos, tanquam creditores quidam laudis ac virtutis suæ, noctu quoq; atque in somnis agitabant. Quippe qui quocunq; oculos cnouerteret, domesticam virtutem ac familiarem inueniret. Sæpe Alardum cogitabat, equitem illustrem, qui cum princeps maximus Henricus Auceps ludos Parthenopoli instituisset hasticos, inter alios qui legem scriberent certamini, ab illo constitutus est: sæpenumero Levinum, qui equestres, quos Ludolphus dux Saxoniæ cum apparatu & splendore maximo edebat, inter primos moderatus

est: sæpenumero Ottonem, qui cum ducibus Burgundiæ, in Palæstinam contra Sarracenos magno animo & prope indomito profectus, eques rediit auratus. Petrum denique & Ludovicum, viros summos maximosque, Lebusienses Episcopos. Ergo tyrociniis iisdem ad virtutem, non civilem modo sed & militarem, magno impetu eniti. Sæpe punctim dimicare aut cęsim: hastam more militari quatere, aut in altum subito emissam, manu iterum colligere & vibrare: equum ligneum, à dextris modo, modo à sinistris, quod Romanis quoque vsitatum fuit, insilire ac desilire. arte tanta ac velocitate, ut stupori suis esset. Dum in his versatur, dum non nisi magna quæque & se digna cogitat, dum, vt ætas illa solet, plena roboris & spei, si præsertim calcar illud a majoribus accedat, fata sua condit, (ô iniquitatem rerum humanarum! ô fallaces spes ac cogitationes nostras!) tabes juuenem inuadit: inuidendas illas vires atq; agilitatem conficit: confectum atq; exhaustum, mors in flore, tanquam segetem in spica occupat: e qua nobis, præter desiderium, exactam moriendi normam, sed vix imitabilẽ, reliquit. Quam, cum alii detrectent, ille quasi adhuc in palæstra esset, ad certamen provocare videbatur. Iurasses, sacramento, vni Deo & constantiæ dixisse. Quod si de virtute licet augurari, non ingentes hostium catetuas, non instructas timuisset acies, qui cum mortis violen-

violentia tot menſes dimicauit, neque retro ceſſit. Nam qui cum armatis aliquot congreditur, momento victor eſt aut amplius non eſt. Mortem quippe nemo metuit poſt vitam, nemo horret, nemo æſtimat aut pendit. Quam qui magno tulit animo, invictus eſt: qui ſpectare rectis audet oculis, ne apparatū quidem ejus, gladios & haſtas formidabit. Hæc eſt, Generoſi juuenes, quæ velum leuat, quæ perſonam tollit, quæ oſtendit hominem, quæ foras integrum producit. Reliqua choragium aut phaleræ vocentur. Ille mortem tardo paſſu venientem vidit, nec extimuit aut animum contraxit: cum dolore lento & perpetuo luctatus eſt, nec de conſtantia remiſit. corpus jam emaciatum, jam exhauſtum, jam exſangue, jam cadaver erat, neque adhuc eum ſpiritus aviti & hæreditaria majorum generoſitas deficiebat. In fidiculis naturæ quaſi & tormentis poſitus, obambulauit quamdiu potuit. ubi amplius non potuit, ſtetit adhuc animo, nec clypeum abiecit. Ætas illa mortem metuit plerunque: ille optauit. Alii cum lenta morte pugnant: ille potius cum vita luctabatur. quod in morte ſola ſpem haberet, a qua vitam potiorem expectabat. Neq; neſciebat, quamdiu quiſq; viuat, nihil intereſſe, dummodo cum laude moriatur. Vitam autem nullam eſſe veram, niſi quæ cum corpore non terminatur. Eruditione ac generoſitate viuitur, magnanimitate viuitur,

contempta morte viuitur: ipsa morte viuitur: si quis magno animo cum vita eam commutavit. quæ virtus cum sublimem erectamque occupauit mentem, primo illud docet, non spirando sed agendo vitæ spatium extendi. Tempus sibi vindicat quod habet: quod non datur a natura, aut contemnit quia non requirit, aut extorquet ab inuita, quia in memoria mortalium relinquitur. Hoc est quod poëtæ docent, quod philosophi inculcant, quod historici exemplis omnibus hortantur. Nemo amplius aut animi aut virium Homerico Achille habuit. Ille Thetide prognatus, ille Hectoris ac Troiæ pariter euersor, cuius solam galeam ac cristam, hostis metuebat, qui tot animas illustres Diti ac Proserpinæ mactarat, annos a natura paucos admodum acceperat: cumque illi alterum concederetur, vt aut diu viueret inglorius, aut maturæ mortis prȩmium solatiumque, res præclare a se gestas, & ex his æternitatem consequeretur: istud maluit. Quippe qui intelligebat, mortem omnibus æqualem, recordatione aut obliuione apud posteros distingui. Diem suum cuique fixum esse, neque hunc spiritum cum semel aut emissus aut eiectus est, cuiquam iterum redire. Nam hæc apud Principem Poëtam eius verba sunt. Sed quod ab altero præclare monetur,

famam extendere factis,

illustre ac arduum virtutis opus esse. Germanicus,

nicus, de cuius laude nihil satis dici potest, & de quo tam multa nuper diximus ad Tacitum, intra annum vitæ quintum & tricesimum excessit, neque victor orbis Alexander, hunc ætatis orbem est egressus. & uterque extra patriam occubuit. Tibi quoque, Nobilis ac Generose sanguis, non compressit oculos pudica mater, nec supremum osculum infixit, nec errantem spiritum collegit, quæ fortasse vanos sibi reditus nunc fingit & amplexus parat, neque tota comitante serie tuorum, cum maioribus, antiquis inclytisque heroibus, sepultus es. Peregre defunctus, peregre elatus, peregre nunc iaces. Iaces. sed in illa terra, quæ terrarum nunc est celeberrima. Quæ Hispanum toto orbe volitantem, sola, quasi murus quidam ac fatale munimentum, sistit, atque ab aliis avertit. Quæ, invito patre Oceano ac reluctante, campos eius pervagatur, gentes ante ignotas adit aut expugnat; & quacunque, cælum patet, Sol vagatur, libertatem suam probat, & commercia exercet. Iaces, sed in illa vrbe, quæ scientiæ ac eruditionis domicilium ac sedes est. Quæ cum hostem pariter ac famem fortiter sustinuisset, Musas & earum ope, æternitatem muneri accepit, quæ tot magnas animas vel habuit vel fecit: tot illustres viros tegit, & post obitum complectitur. In qua Clusii, Marnixii, ac alii prope infiniti iacent. In qua, patria relicta, soboles

Deorum

Deorum Scaliger, tot annos vixit, & immensum illum spiritum effudit. Procul hîc à tuis, procul à tuorum destinatione & votis, generose adolescens, jaces: sed cum tot tantisque heroibus hic jaces. Iaces extrà patriam: sed omne solum sapienti vnum est idemque. Vbicunque pulcher animus erumpit, cœlum suum petit: vbicunque viuit, patriam non deserit. Aër ille, quem videmus omnes & spiramus, omnes pariter inuoluit. Præter animam, cum abit, quæ non refert ubi viuat: quia supra corpus est. Multo minus refert, vbi emittatur: corpus enim deserit. Quo deserto, sibi vindicatur, & in libertatem abit. Cætera pro derelicto ac indifferenter habet. vt qui vestem abjicit, quam nemo tanti esse putat vt de via tollat. Id in generoso nostro Ludouico vidimus: cui longa ac infelix tabes, nihil præter cutem, & hanc, aridam reliquerat. Vtinam affuissetis cuncti qui huc conueniistis, cum cadauer aliquot amici medico præsente inspeximus. Nemo commutationem tantam sine gemitu vidisset. Frontem illam lætam ac decentem quærebamus: cum temporibus collapsa erat. generosos illos oculos: squallor eos ac informis horror occupabat. disertissimum os illud, quod de jure & scientia civili toties disseruit: mutum erat ac elingue. nervos illos ac lacertos, quos plerique in palæstra admirati estis, cum compactum ac torosum illud

corpus

corpus quouis flecteret aut inclinaret: mors jam eos ſibi vindicarat. ſucculentam illam carnem: ipſam ſecuit chirurgus nec inuenit. ſtatum illum corporis ac pondus: vix unius erat onus. pedes illos, qui ad ſaltum militarem nati videbantur: frigus eos obtinebat. illas manus, quæ cum haſtam mira quaterent agilitate ac vibrarent, vobis quoque qui in illa profeciſtis arte admirationi erant: ne moveri quidem poterant. Viſcera interiora, ac præcipue pulmones, cauſam mali ac calamitatis, indagavimus poſt mortem: juro vobis, nihil præter pus inuenimus. Obſecro atque obteſtor vos, quicunque iſta mecum aut vidiſtis, aut ex nobis jam auditis, de fragilitate humana mecum cogitate. Somniū eſt hoc animal, quod currit, navigat, ædificat: quod dignitates atque honores appetit: quod nummum quærit, & quæſitū condit: quod *tam multa jaculatur*, vt Poëta ait, & viciſſim metuit aut ſperat, votum ſuum ſequitur & odit. Quicquid habet præter animum, nec oculi nec nares ferunt. Vbi primum hoſpes ille exceſſit, thure & myrrha, tanquam condimento, eſt vtendum, ne odorem auerſetur qui accedit. Quid eſt homo? Pituita & bilis. Cætera non addo, ne & aures pariter offendam. Pudet cogitare, ſed videre magis pudet, quid ſit illud quod tam accurate colimus. Probrum noſtrū, vbi ſpiritus exceſſit, & infamia. Hæ me cogitationes ſæpe impellunt, vt ad ani-

animum ejuſque curam me conuertam. Qui ſi ſolus eſt in homine quod ſumus, ſupra corpus & externa diligenter habeatur. Eum diſciplinis, eum generoſitate vera & nobilitate inbuamus: non quam conferunt parentes, ſed quam mors non eripit quæ cuncta tollit. Hunc aduerſus morbos, hunc aduerſus omnes vitæ tempeſtates, & præcipue ſupremam illam horam, tanquam in palæſtra induremus. Ita fiet, vt præueniamus mortem: quam non fugit, niſi qui contemnit. Hoc intelligebat beatiſſima hæc anima. Nam cum illi jam vicina eſſet, ſine metu aut horrore, quicquid ſe defuncto vellet fieri, præcepit. Matri quam viſurus poſtea non erat, vale vltimum perſcripſit: libros, tanquam ex hac vrbe ſemel abiturus, conuaſari ſe ſpectante juſſit: reliqua quæ ad exequias ſpectarent, animo præſente ac vultu, popularibus mandauit. Dicam amplius, quod fidem vix inueniet. Aliquanto ante exitum, venire ad ſe pictorem juſſit: credo vt parenti afflictiſſimæ ſolatium hoc daret. Pingi voluit. Rubor ille verecundus, quem amici meminiſtis, jam mutarat. Penicillo adumbrari eum juſſit. Capilli toto capite neglecti jacebant. Emendari eos & componi in tabella voluit. Malæ collabentes mortem minabantur. Pingi eas quales fuerant præcepit. Tantus illi animus ſupererat, cum nihil præter animum jam ſupereſſet. Omnibus defunctus,

ſedulo

ſedulo ad Chriſtum ſe conuertit. Hunc cum fide, hunc cum incredibili fiducia, cunctantem aduocauit. Exceperunt iſtas voces qui adſtabant: Domine quid ceſſas! Domine quid manes! Vt quid me deſeruiſti Domine! Sed præſertim, & cum gemitu occulto, Adeon' oblitus mei nunc es Domine? Denique cum vi abire ad beata loca, & perrumpere ea velle videbatur. Quod non fit ariete aut baliſta, aut tormento ullo militari, ſed gemitibus, ſed lachrymis, ſed intento conuerſoque in Deum animo. Iſta machina, Erneſte Ludouice, non quas olim excolebas, cœlum tertium perfringitur. quod Apoſtolus cum vidit, impos ſui erat, nec adhuc a corpore receſſerat. Et jam nullum niſi hoc præſidium habebas. Nam quid ageres? quam amplius ſpem reliquam haberes? Parentes tuos implorares? procul aberant. ad opes & nobilitatem te conuerteres? nemo illis valetudinem redemit, nedum vitam. Auos proauoſque & maiores tuos cogitares, qui virtute & illuſtri fama, ante ſeptingentos annos, in annalibus leguntur? omnes hanc eandem inſtitêre viam. Vires illas tuas aduocares? nuſquam erant. Toros ac lacertos? jam defecerant. Ætatem tuam? nulla tam effœta eſt ſenectus. Genua illa, quæ virebant olim, & quæ tam agiliter flectebas? ne ad pios quidem uſus commoveri poterant. Hei mihi! *Omnis caro fœnum eſt, Erneſte. omnis gloria ejus quaſi flo*

flos agri. Exsiccatum est fœnum, cecidit flos; quia spiritus Domini afflauit illud. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, ait sapiens Hebræus. Solus animus supererat: ille tot heroum tradux: ille ingens, ille immortalis, ille qui non perit. quem nec tabes ulla conficit, nec morbus ullus afflat, nec mors ulla tollit. Hunc in ipsa morte, ipsa, inquam, morte, deficientibus jam oculis, jam titubante lingua, jam singultiente spiritu, pallidus ac rigens, vice genuum flectebas: hunc conservatori suo consecrabas. victimam acceptam, & quam nunc in manu sua tenet. Nos, Amplissimi Clarissimique viri, Iuvenes Præclari Nobilissimiq;, & in primis huius populares, qui supremæ ejus voluntati ac mandato satisfieri a nobis voluistis, morem vobis gessimus. Ego, cũ adueniet supremus ille dies meus, cujus jam immunis est hic noster, quem quocunque tempore & loco, ubi visum erit numini supremo, volens paratusque expecto, bene mori & a bonis celebrari velim. Aut si id invidia prohibeat ac livor, nihil in me magis quam hanc pietatem ipse amabo: quæ defunctis ista luce, debitum hoc munus, & a voluntate ultima impositum persoluit.

De

De præstantia ac dignitate Historiæ. Habita cum Historicam professionem auspicaturus esset.

ORATIO XII.

AMPLISSIME LEGATE,
CLARISSIMI COLLEGÆ,
AVDITORES NOBILISSIMI,

THemistoclem illum, cujus in annalibus Græcorum illustre est nomen, & quem prudentissimus Historicorũ, judicasse de præsentibus verissime de futuris conjeciisse callidissime testatur, cum jam annos centum & septem natus, moriendum sibi esse cerneret, magno animo Naturam accusasse ferunt, quod cum longo rerum vsu didicisset viuere, e vita sibi excedendum esset. Scilicet, cœleste hoc animal, cui homini fecêre nomen, quod diuinæ in terris providentiæ, quandam quasi repræsentat imaginem, vrbes constituit ac fundat, bella gerit, pacem moderatur, euentuum diversitates examinat ac intuetur, & ex illis, quod ex usu sibi aliisque sit, constituit, momentum unum supereſſe, semper autem postea in morte & tenebris versari, omnes vero eius actiones, pariter cum eo vt desinere ita interire, indignum esse judicabat. Erat in excelso & ingẽti animo flagrans quidam immortalitatis ardor & cupiditas, quæ non ab hoc corpore caduco, quod in terram sicut rami arborum & fructus, cum vitali destituitur calore, sponte sua redit, sed ab illo traduce diuinitatis, originem initiumq; accepit. Videbat vir æter-

nitate, quam tantopere affectabat, digniſſimus, prudentiam humanæ vitæ regulam ac normam, in ſublimi editoque loco conſtitutam eſſe: ad eam autem niſi per gradus quoſdam perueniri non poſſe: eos autem gradus eſſe humanas actiones. quæ niſi conſerventur, & in clara luce omnibus ſpectandæ proponantur, neceſſe eſt vt perpetuo viuendi tyrones ſint homines, & earum imperiti rerum propter quas naſcuntur, ex hac vita excedant. Quod ſi Deus aliquis, hanc mortalibus concederet prærogatiuam, vt, priuſquam res gerere, vrbibus præeſſe, dignitates adminiſtrare incipiunt, ne de vitæ ſuæ breuitate, de varietate populorum ac ingeniorum, de condicione ſua & incertitudine caſuum, de fortunæ in humanis rebus potentia, aliiſque, ad quæ ſine exemplis pertingere vix poſſunt homines, ſicut ſolent plerunque, conquerantur, in rupem ſinguli arduam ſemel conſcenderent, vnde totus terrarum orbis, ſæculorum omnium atque ætatum populos, eorumque mores ac ingenia, bella principum, leges prudentium, ſitus regionum & vrbium, conſilia omnia, omnes actiones earumque euentus, conſpicerent ac perluſtrarent, næ, Auditores, bene ac feliciter agi ſecum arbitrarentur! næ moroſum illud animal, quem hominem vocamus, quod in ipſa vita præter propter vitam perpetuo oberrat, ſummum illud numen,

cujus

cujus magnitudinem non capit & benignitatem facile accusat, aliquando absolveret. Nam & semper viueret, & sine ulla vel itinerum difficultate vel viarum, omnia accederet, bellis omnibus absq; periculo ac rebus quæ geruntur, interesset, immensam sæculorum atq; ætatum magnitudinem, aut vastitatem potius, contraheret, infinitam rerum ac negotiorũ multitudinem momento perspiceret. Res Ægyptiorũ, quæ antiquissimæ, Persarum, quæ opulentissimæ, Romanorum, quæ merito putantur fuisse maximæ, percurreret: Themistoclem, quem ante annos amplius bis mille res gessisse nouimus, adhuc intueretur: Miltiadis trophæa, quæ dormire hunc ipsum non sinebant, tanquam recentia ac nuper posita, lustraret. Athenienſium conuentibus, Lacedæmoniorum deliberationibus, Romanorum Senatui interesset: nihil illi tempore abditum, spacio invium, loco esset clausum: cogitationes quoq; & imperii arcana, quæ in Regum Principumque animis, tanquam in occulto quodam adyto conclusa jacent, non aliter quam medicus, qui humanum inspicit ac secat corpus, ex euentu protinus colligeret: in penitiora belli consilia ac artes (quæ a Græcis stratagemata dicuntur) mentis oculum immitteret. Hæc prærogatiua, ne vos longius abducam, Auditores, est Historia: certissima diuinæ erga homines benignitatis obses, veritatis

mater, vitæ norma, actionum propagatrix vera, prudentiæ, vt quidam apud Græcos loquitur, metropolis. Hæc ætatem noſtram cum ætate æquat vniuerſi, hæc imaginem, non corporis, ſed vitæ, ſed conſiliorum, ſed animi, ad poſteros transfundit, & expreſſam, non in ære aut ferro, non picturæ beneficio aut plaſticæ, immortali rerum ac verborum copia delineatam, omnibus ſpectandam exhibet. Elegantiam ſi ſpectas aut amœnitatem, alibi fluuium aut fontem, alibi nemus aut campum, ita viuidis depictũ coloribus inuenies, vt Natura mater de poſſeſſione ſua veniat in dubium, & natiuum rerum genium ac indolem, venuſta prouocet oratio. Grauitatem ſpectas potius aut frugem? Ibi vero regnat, ac magnifice ſe effert. vt quæ vna prope, quid ſit æquum ac juſtum, quid ſit continentem eſſe ac liberalem, quod ſit judicis officium, quod ſenatoris, quæ in bellum miſſi ducis partes ſint ac munia, aliquanto melius exemplis quam præceptis philoſophi, oſtendit. Ciuilis autem ita tota illius eſt prudentia, vt materiem non aliunde petat Hiſtoricus: ipſa autem, ſine Hiſtoria, ineptis putidiſque & accuratis nimium diſtinctionibus philoſophorum ac diuiſiunculis, ab humanis autem ſeparata actionibus, emaciata prope ac enecta, extra locum ſuum, non in ciuitatibus legatur ubi regnat, ſed in puluere ſcholarum, vbi nata eſt, intereat. Mihi

hi vero vel præcipuum videtur, quod cum animo ac mente noſtra habet conſortium. quam ſic paſcit, ſic afficit, vt totam prope vindicare ſibi ac poſſidere videatur. Cujus ratio, ab ipſa animæ natura ac origine petenda eſt. Videmus pueros, cum primum intelligere incipiunt, ita cupide narratiunculas audire, vt interdum ne plorare quidem illis vacet. Sed & Philoſophi, quod primo Metaphyſicorum notat Ariſtoteles, fabellis quoque ob eandem cauſam oblectantur. Sicut autem ſtellæ cum orbe ſuo ſingulæ moveri, a Peripateticis dicuntur, ita mens noſtra, cum narrationibus inhæret, non ſui modo obliuiſcitur, ſed & aberrare a ſe quaſi, & abire, & affixa eſſe rebus ipſis, neque tam legere ſingula quam agere videtur. quæ incredibilis ac prope ineffabilis voluptas eſt, Auditores, ac jucunditas. Si in Romana verſetur hiſtoria, natat cum Coclite, cum Quinctio arat, cunctatur cum Fabio; cum Marcello Pœnum, cum Nerone Aſdrubalem inuadit. Si in Græca, cum Themiſtocle in mari, cum Lyſandro in terra, init prœlium. cum Ariſtide fugit, cum Cimone carceri includitur. Nam de dignitate ejus ſi dicendum ſit, optarem equidem, & quidem ſerio optarem, Auditores, ut qui quantum poſſunt, in contemptum literas & hæc humanitatis ſtudia adducere conantur, vel omnes, niſi graue eſt illis, & ſi hoc cum bona pace eorum

rum obtineri potest, pariter absoluerent, vel cum iis pariter Historiam damnarent. Qui in augustissima seueriſſimaque juris versantur scientia, & hanc merito extollunt, cæteras immerito aut premunt, aut indignas graui viro judicant, ab iis petimus, non quidem vt ex ipsa, quæ sine illa non consistit, jurisprudentia, (non enim mendicabula hominum sumus, nec quæ aliorum sunt exigimus) eam æstiment, sed vt leges suas, quantum possunt, tueantur, nobis vero & principibus, Historiam relinquant. Quæ, si (arroganter enim est loquendum) nulla pateat cathedra, omnes Academiæ claudantur; in aulis semper intimisque Regum ac Principum conclauibus hospitium habebit: quorum ab animis, a consiliis rebusque, quas vel meditantur vel gerunt, separati hæc non potest. In castris, inter tubas & armorum strepitum, quod de Scipione legitur, vbi legibus, quod & prouerbio nobilitatur, silendum est, locum inueniet. Nam, ne quis ignoret, aliter a nobis, quibus res vobiscum est, aliter in gratiam illorum exponitur Historia. Vestra enim causa, vocibus interdum inhærendum est, antiquitates subinde excutiendæ, loci autorum similes nonnunquam adducendi sunt. Apud illos vero, magni alicujus Historici expositionem qui susciperet, qualis est Polybius, exempli gratia, aut Liuius, longe aliam profecto tationem institueret. Totam enim & ciuilem

uilem pariter & militarem excuteret ſcientiam. De inſtituendo principe ac formando, de regendi ratione optima ac modo, de legati munere ac officio ageret. de quo in Pandectis Porphyrogenetæ, quos, Iuſtinianum magnus Imperator imitatus, ex hiſtoricis conſtruxit, titulus exſtabat, cujus magna pars ad nos peruênit. Ageret de oppugnationibus murorum & locandis ſtationibus: doceret, quando irrumpendum, quando eliciendus eſſet hoſtis: de ſignis, de inſidiis, de portarum cuſtodibus, de vigiliarum conſtitutione diſputaret: diſputaret de ordinanda acie: quid ſit agmine quadrato procedere: quæ ſit duplex acies, quæ triplex, exponeret. Si vtranque militiam, & noſtram & antiquam conjungere illi eſſet animus, omnes accurate machinas, catapultas, arietes, baliſtas, ſcorpiones, ſambucas, crates, vineas, pluteos, aliaque id genus deſcriberet: cum his noſtras obſidendi rationes conferret. Hæc ſi nos neque accurate facimus, & nonnulla quæ minora ſunt monemus, non hoc dignitati derogat Hiſtoriæ, ni fallor, ſed commoditati veſtræ & profectui, à nobis datur. Quibus hoc quoq; commendatũ eſſe debet, ne ab uſu hactenus recepto diſcedamus. Porro cum magnifica, illuſtris, diffuſa, ideoque grata omnis ſit Hiſtoria, tamen neſcio quo pacto nos præ reliquis pleriſq; ſplendor populi Romani, & quæ propria illius gentis eſt majeſtas,

excitat ac rapit. cujus ne nomen quidem fando expreſſerũt vnquam Græculi. Vt ab ipſo imperio & vrbe inuicta, ad autores eius, Hiſtoricos inprimis, tranſiſſe videatur. Indignantibus videlicet Diis immortalibus, interire ejus populi ſplendorem, cui Virtus & Fortuna pariter æternitatem promiſerant. Qui à fabulis quibuſdam & poëticis propemodum ineptiis exorſus, ſupra omnem omnium regnorum ac imperiorum magnitudinem aſcenderet. Quis vero ita languet, ita deſes ac ignauus viuit, ut non ſolo nomine ac recordatione ejus vrbis erigatur, quæ compendium orbis, orbis miraculum, vno omnium conſenſu ab antiquis appellatur? Cujus autem animus non paſcitur & quaſi ſaginatur, qui Camillos, Fabios, Fabricios, Naſicas, Scipiones, Curios, & id genus alia non tam hominum quam virtutis, legit nomina? Quis non excitatur & immenſa voluptate perfunditur, cum in illam gentem ſe abdidit, à qua vim virtutis & exempla, non vt in Græcorum chartis diſſerendo, verum ipſa vita, ipſis actionibus deſcripta ac delineata accepimus. cujus linguam propemodum vernaculam habemus: cujus legibus ac jure omnes utimur: cuius reliquias in ſaxis & lapidibus prope adoramus. Ego vero (neque enim diffitebor, Auditores) non aliter quam ex itinere longiſſimo, quod jam annos aliquot per totam prope Græciam confeci, quaſi in

patriam

patriam revertor. Et quemadmodum Vlysses ille Homericus, cum ad Itachen se appulisse videt, solum amplectitur, Nymphas salutat, quæque toties optarat loca, ea singulari cum gaudio ac voluptate veneratur : idem mihi euenit, cum vrbem hanc intueor, & quæcunque adolescens olim diligenter contemplatus sum, ad ea denuo delatum me video. neque sane vt inquilinum, sed vt ciuem, in Rempublicam Romanam, postliminio venisse me censeo. Non proscriptus fui, neque jus Quiritium aut civitatis interim amisi, Auditores, sed ingenii & eruditionis causa, & ad omnes disciplinas perlustrandas, in Græcia versatus sum. Nunc, quod bene eueniat, non aliter quam qui Athenis, postquam eo studiorum causa concessissent, in patriam reuertebantur, vrbem cupidus aspicio. Nec possum quin exclamem,

Salve magna parens Divûm Saturnia tellus,
Magna virûm. tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes.

Ejus vero amplitudinem, nemo recte totam intuetur animo, nisi qui à rudimentis eam inchoavit. quod in L. Annæo Floro, mecum, Auditores, facietis. Scilicet, casam vnam Romuli, tot templa, tot ædificia, tot moles, quæ humanum excederent fastigium, peperisse, quis non admiretur? Conditores domini terrarum populi, ab hominibus neglectos, feram

conſervaſſe, quis non cum ſtupore cogitat & legit? Tiberinum quoque, abjectis ibi, amnem repreſſiſſe, quis non gaudet credere? Vt naturæ limites origo ejus exceſſiſſe videatur, cujus ſplendor & potentia, terrarum fines poſtea exceſſit. Iam, quemadmodum cum excellenti præditum virtute hominem videmus, qui vel armis vel ingenio, inſignem nominis celebritatem conſecutus eſt, ipſa propemodum crepundia illius & infantiam cum neſcio qua voluptate penitus cognoſcere ſatagimus: eodem modo, qui auguſtam Romæ dignitatē admiratur, eum neſcio quo pacto magis eius incunabula delectant. Vt Euandros quoque, Faunos, Fauſtulos & Accas, incredibili cum ſtudio & audiat, & legat. Quam viam & nos inſiſtemus. qui à prima orbis dominæ infantia, ad plenam ejus ac maturam ætatem procedemus. A paſtoribus ad Reges, a Regibus ad libertatē, à libertate ad ea tempora deueniemus, quibus vitiorum magnitudo, magnitudinem imperii æquauit pariter & perdidit. Non enim homines modo, ſed & gentes, Valeriā, Poſtumiam, Papiriam, Qinctiam, & præ cæteris, Fabiam, Curiam, Fabriciam videbimus. quæ mihi cum ancilibus ſuis, e cœlo delapſæ, aut ab ipſa virtute genitæ atque educatæ videntur. Bella deinde ciuilia, & efficaciſſimum malorum omnium, ambitionem videbimus: quæ inter fratres primum orta, mox ad alios peruēnit.

uênit. Tanquam in tabella, vita mpopuli Romani, mores, ſtudia, in primis autem bella & prœlia, videbimus. quæ non ſine cura, quantũ quidem in conciſa illa breuitate potuit, Florus noſter perſecutus eſt. Cujus expoſitionem aliquando ex hoc loco à Dominico Baudio audiuiſtis: viro plane cum antiquitate conferendo. memoriæ autem tantæ, vt hiſtorias omnes, omnes res geſtas, novas ſimul & antiquas, tanquam in capaci quodam ſinu circumferret. Qui quidem nihil nobis præter incredibilem amorem ſui, quem propinquus fato nobis commendauit, & hunc locum reliquit. vt hoc ipſum quoque quantum eſt quod nos non poſſumus, laudi eius & exiſtimationi cederet. Ipſe autem omnem gloriam, laudemq; ac exiſtimationem ſuam, tam legendo quam ſcribendo, ex Hiſtoria petebat. In hac viuit, in hac loquitur nobiſcũ, in hac ſupereſt, in hac geniũ illius & feſtiuitatem habemus, in hac præſentem quaſi intueri videmur: hac poſtremo decus patriæ, ſibi vitam peperit poſt obitum. O diuinam literarũ vim ac dignitatem! O conſervatrix hominum, conſervatrix humanarum actionum, conſeruatrix temporum, conſeruatrix ſæculorum omnium, omnium annorum ac ætatum conſeruatrix Hiſtoria! In te Græcia philoſophatur, in te Roma adhuc imperat, in te creſcit pariter ac floret, incipit & deſinit: Regnum Brutus tollit, Romulus inſtituit:

ſtituit : pontem vellit Cocles, manum vrit Mucius : natat Cloelia, vim patitur Lucretia. Vaſtat Annibal Italiam, Scipio Carthaginem: Craſſus apud Parthos, in Ægypto Pompeius, ab armata toga in ſenatu Cæſar jugulatur, Cato libertati ſpiritum impendit. Per te extat quicquid fuit, quicquid autem eſt, nunquam eſſe deſinit. Per te ritus ſuos populus, ſacra aruſpices, magiſtratus inſignia; per te regiones ſuas, vrbes, aquæ ductus, inſulas & vias adhuc habet. in te muros ſuos & pomœria adhuc tuetur. Ipſi quoque Dii indigetes, & Veſta mater, & æterni ignes, & Tarpeius Iupiter, & ſeptem montes, nuſquam niſi in Hiſtoria conſpiciuntur. Tu Themiſtocli, qui tam anguſte ſe vixiſſe querebatur, ſupra centum ſeptemque annos, omne ævum adjeciſti. Alexandrum autem Magnum, qui inuidia fatorum intra trigeſimum & tertium extinctus eſt, vt cum orbe, de quo triumphauit, hactenus ſuperſit, effeciſti. Ite nunc Reges Principeſque, ite, & trophæa veſtra alibi quam in æternitate literarum ponite : ſaxum aliquod, aut neſcio quem lapidem, contra temporum diuturnitatem poſſe credite : poëtas, oratores, & inprimis hiſtoricos, flamines Muſarum, & æternitatis ſacerdotes, veſtræ autem gloriæ ac nominis præcones, negligite, ſi placet, ac pro iis ſimiam aut morionem ſaginate. Ipſa imperatrix gentium, extra

Hiſto-

Hiſtoriam jam nuſquam eſt : orbis vniverſi domina ac princeps, nuſquam majeſtatem extra literas tuetur. Cum autem videamus, tot in illa ſtatuas, tot arcus, templa, porticus, baſilicas, ſepulcra, curias, columnas, quæ in vrbe aut extra eam a principibus terrarum, ſpe æternitatis conſecrata fuerant, interiiſſe, adamanti quoque, quem duriſſimum perhibent, & in quo fatalia Parcarum decreta, propter ſummum rigorem inciſa eſſe prædicant poëtæ, ſi quæ fuerant commiſſa, nuſquam jam eſſe; quid ni ita judicem, ſaxa, ferrum, chalybem & æra, ipſas quoque artes quibus iſta ſe commendant, infra ingenii humani vim ac majeſtatem jacere? Si quis veſtrûm vel Hiſtoriam inſpexit, Pompeii theatrum ignorare non poteſt. in quo mihi more Gigantum principes aliquot, cum ætate contendiſſe videntur. Pompeius quippe ut manſurum ſtruxerat, abſumptum perditumque inſtaurauit Tiberius, Caligula abſoluit. cum iterum fuiſſet ambuſtum, Claudius refecit: iterum deinde vetuſtate confectum Theodoricus erexit. Nunc vbi eſt, Auditores? Memoriam quoq; amiſerat, ſi per Hiſtoriam liceret. Cn. Octauium aiunt, res quas geſſiſſet, in immenſa porticu, quam e manubiis, tanquam ſemper extituram, condiderat, maxima cum cura depingendas artificibus dediſſe. Ejus veſtigia, præter ea quæ leguntur, aliquis oſtendat. Quare cum jam nihil

hil ex ruinis tantis, nihil e Gothorum manibus & Vandalorum furiis, nihil ex naufragio fortunæ, temporum diuturnitate, ac bellorum tempestate, præter sola animi ac mentis monumenta euasisse videamus, sed & quicquid hodie vel arant vel ædificant mortales, ni a nobis vindicetur, perituru esse, hujus autem vitæ tam angustæ ac caducæ, in posteritatem, famam atque existimationem nostri, partem longe maximam patere; assurgamus, Auditores, assurgamus. & pusillum hocce tempus, hoc momentum, quod ad excolendum hoc depositum tam grande, in quo nostram, ac eorum prope omnium quæ nata sunt, gloriam, memoriam, ac dignitatem, ipsam denique æternitatem diuinitas constituit, a qua cætera pendere voluit, ita habeamus, vt immortalitatis nostræ legem, volente ac fauente Deo immortali, qui æternitatis instrumenta nobis dedit, excessisse, reliquis autem omnibus, vitam ipsi & perennitatem contulisse videamur. Quod a sola prope Historia est exspectandum.

De cujus præstantia & dignitate, quod verba facientē hactenus nos audiuistis, singulares vobis, Auditores, gratias & habeo & ago. Inprimis autē tibi, Nobilissime Legate, Regis tui vera effigies & expressa ejus majestatis imago. quod, Pompeium Magnum imitatus, Amplitudinem tuam auditorii nostri angustiis submittere dignatus es: ejus rei causa ipse ad nos,

& in

& in vrbem hanc venisti. Ego vicissim ingenii mei angustias illius magnitudini, obscuritatem serenitati ejus deuoueo ac consecro.

De prima Romanorum ætate, & prima eius populi virtute. Habita, cum in L. Annæo Floro, ad primum bellum Punicum peruenisset.

ORATIO XIII.

QVod bonum, faustum ac felix vobis mihique & honestæ voluntati vestræ sit ac studio discendi, Auditores Nobilissimi, ad quingentesimum fere Populi Romani Quiritium annum peruenimus. Quam ætatem primam, omnigenere virtutum, quibus postea Romana res stetit, florentissimam, elegans inprimis autor, L. Annæus Florus, partim infantiam, partim adolescentiam vocauit. Credo, quod, quemadmodum in magnis viris, quanti sunt futuri aliquando, tanta in eorum animis atq; actionibus ętate prima, semina apparent, quæ, judicio paulatim accedente & experientia, ad maturitatem summam perducuntur: ita Pop. Romanus, quantus euasurus esset aliquando cum imperium terrarum obtineret, tantam de se spem initio præberet. Mihi autem paulo aliter videri solet. Nam si rerum gestarum ineatur numerus, si imperii spectetur magnitudo, quæ paulatim ad supremum peruenit culmen & fastigium, quod præclare noster auctor justam ætatem vocat, fatebor equidem, quæ hactenus

ctenus audiuimus, elementa tantum quædam & initia, imo futuræ aliquando magnitudinis Romanæ præludia fuisse. Sin præstantiam virorum videamus, quos quingenti isti anni ediderunt, si virtutis excellentiam & animorum, si pietatem, si justitiam, continentiam, fortitudinem, libertatis studium ingens & amorem, metuo, ne ubi ad externa bella venietis, quorum prima ac maxima sunt Punica, post devictam atque expugnatam Italiam, Pop. Romano, non magis cum externis gentibus, quam cum earum vitiis pugnandum fuisse judicetis. quæ nunquam ita expugnantur penitus, quin in animis aliquod sui vestigium relinquant. Metuo, ne felicem judicetis populum terrarum principem, quamdiu suum ipse Tiberim, supremum habuit imperii limitem, quamdiu sub Regibus pauper & securus vixit, quamdiu de proferendo tantum vrbis pomœrio cogitauit, quamdiu in Italia sua latuit, quamdiu cum Etruscis, cum Latinis, Faliscis ac Samnitibus, &, qui paginam vtramque hactenus fecerunt, Æquis ac Volscis luctatus est. Pertinacibus quidem, Auditores; vicinis tamen hostibus finitimisque. qui, quod moribus iisdem, iisdem institutis vterentur, capti non caperent, neque quicquam transmarinum in vrbem inferrent. Neque dubito, quin, si ætatem cum ætate, hanc cum reliquis, reliquas cum ista, contendatis, merito dicturi sitis,

Ex

Ex illo fluere & retro sublapsa referri
Res Italûm.

Ex quo, videlicet, Italia Carthaginem, Carthago Italiam inuasit. Quare paulum subsistamus hîc, si lubet, & quandoquidem Historiam, non verba & voces, sicut lucum ligna, quod est apud Flaccum, aut narrationem otiosam credere atque existimare oportet, cujus omnis vsus atque vtilitas in vita & in actione cernitur; quemadmodum qui profecturi sunt, priusquam vale vltimum amicis dicunt, terram quam relinquunt crebro intuentur & subinde amplecti solent: idem faciamus nos, priusquam in Historia Romana, illam omnium virtutum matrem, Italiam relinquimus. Itaque, quod olim vsitatum erat, Auditores, manum ori mecum admovete, & virtuti illi valedicite. Ruminemus si quid hactenus audiuimus, vt ejus recordatione animum pascamus. Non enim posthac, ne erretis, Brutos, Quintios, Camillos, Decios, & illa nomina virtutum, Curios Fabricioque, audietis. Quibus, nisi ætas sua, & fortasse illa, cujus postea contemptus imperium pessundedit, simplicitas obstaret, nemo esset, qui non reliquis præferret. Nunc hoc affirmare vobis possum, quemadmodum ætate illa quam adolescentiam vocamus, omnia magis excitata sunt ac vegeta, ita in illis omnia ad virtutem excolendam magis integra, magis expedita ad defendendam

libertatem atque acria fuisse: cujus, sanguine suo atque animis, prima tum jecerunt fundamenta. Vultis initium a pietate faciamus? Non jam Romuli augurium augustum, nec Pompilii religionem, quæ ab ipso primum instituta semper cum imperio accreuit, vt antiqua nimis hic commemoro. Inuenietis tamen, sicut ceremonias ac sacra, ita ipsam prope pietatem hac ætate natam esse. neque quicquam sine numinis diuini compellatione aut publice aut privatim, ne in procinctu quidem, ac prope inter ipsa arma, gestum esse. Receptum ea tempestate erat, vt Romanus cum hoste conflicturus, postquam vtrimque cecinissent signa, inhibito paulisper animi ardore, ad Orientem se conuerteret, Deosque immortales, vti prospere ea res sibi Patriæque eueniret, poscerent. Ab Horatiis id Curiisque factum, fide digni autores testantur. a quibus & duxisse originem videtur. Cœlestes fuisse animos oportet, qui in ipso mortis limine, cum uxores, liberi, parentes, quicquid domi esset, quicquid esset in exercitu, morte eorum niteretur, ad cœlum, vnde oriundos se sciebant, ante quam in hostem se conuerterent: Deum immortalem victoriæ præferrent vel præficerent. Aiunt, milites plerunque, postquam signum datum est, si imbelles sint ac pauidi, non animo consistere non corpore, labare ac succidere illis poplites

plites, oberrare pedes, oculos hebescere ac præstringi, in primis vero ipsum a quo corpus dispensatur externari ac deficere animum: sin generosi, amētibus similes ferri in hostem. Vnde horrendus clamor ille, quem conflictu primo a Romano excitari solitum, historię testantur. vt neuter eo tempore, nec fortis nec imbellis, in potestate sua videatur. Et hic multo minus: quia spe victoriæ jam plenus, anteuertit eam ipse occupatq;, neque aliud tum cogitare potest. At diuini illi homines, prius colligebant animum quam effundebant, prius, vt loquuntur Platonici, in arcem rationis secedebant quam se impetu permitterent: prius denique de Deo, quam de libertate, cujus causa omnia honesti viri suscipiunt, quam de Penatibus ac focis, quam de propria salute, cogitabant. Neq; ab ea cura vel imbellem suus timor (si modo vnquam timuit Romanus) vel audacem ardor suus auertebat ac fiducia. Nihil de bellorum auspiciis dicam, quæ reperta eo tempore fuisse, plurimis in locis par Romanæ majestati scriptor T. Liuius testatur. Quanta cujusq; vel religio vel pietas, tanta rebus conclamatis apparere solet. cujus fides & illustre documentum, e bello Gallico petatur. Vrbem infensissimus Romano nomini tenebat hostis, neq; vel præsidium vel spes in virtute erat. Tamen, quasi res humanæ nusquam laborarent, *Pontifices*, inquit Florus, *& flamines, quicquid*

relligioſiſſimi in tomplis erat, partim in doliis defoſſum terræ recondunt, partim impoſita plauſtris ſecum auferūt. Virgines ſimul ex ſacerdotio Veſtæ, nudo pede fugientia ſacra comitantur.

Adeo in patria verſari quiſque ſe credebat, ſi cum Diis ſuis exularet. Nam de Fabio Pontifice quod addunt, proximum miraculo videtur: quem per hoſtes medios, a Manlio, cuſtode libertatis pariter & arcis, ad celebrandum in Quirinali ſacrum, animo impauido demiſſum ferunt. Nihil de priuatis dicam. Inter quos Albunius fuiſſe fertur, qui *depoſitis uxore & liberis*, tanto in metu tantaque feſtinatione, capta vrbe atque expugnata, Veſtæ ſacerdotes, cum Palladio ſacriſque reliquis in plauſtrum recepit. Adeo, inquit præclare idem autor, *tum quoque in vltimis, relligio publica priuatis affectibus antecellebat.* Vultis conſtitutionem Reipublicæ videamus? Hæc eſt illa ætas, quæ vt libertatem populo, ita libertati vindicem illius conſulem; conſuli autoritatem plenam dedit, nimiam eripuit. Eadem dicendi juris cauſa per ſupremi magiſtratus abſentiam, prætorem; eadem ſupremi magiſtratus coërcendi cauſa, tribunos & ædiles; eadem, ne ſummi magiſtratus exoleſceret autoritas, Regem poſtea futurum cum ambitioni locus eſſet, Dictatorem dedit. A quibus inſtitutis quantum poſtea Reſpublica receſſit, credite, Auditores, tantum aut de majeſtate imperii,

aut

aut de libertate deceſſiſſe populi. Quod ruina tandem vrbis, quam æternam fore Dii & homines ſpopondiſſe jam videbantur, ſatis confirmauit. Vt mihi quidem prius ab adoleſcentia ad ſenectutem quam ad vegetam ætatem peruenisse videatur. Si quis nimia nobilitate aut virtute inſoleſceret, ſi quis ciuitatis otium turbaret, aderat continuo vir validus & acer, cuius verba allium & pultem redolerent, qui poteſtate ingenti & ſacratis armatus legibus, Camillum aliquem aut Manlium, Gallorum adhuc ſanguine ſtillantem, ſi res poſceret, in vincula abduceret: ingratus in hos, ſi videtur, publice non parum ſalutaris. MAGNO enim inuictoque animo, prona ſemper ad ambitionem a virtute via eſt, niſi aliena inhibetur poteſtate qui exceſſit ſuam. Quis enim Sullam ne proſcriberet, Cæſarem ne Dictaturam inuaderet, Neronem ne vrbem incenderet, repreſſit? Nam quæ maxime ætate hac pleriſque diſplicet poteſtas, ea conſeruata reliquas ſeruauit, ſoluta imperium diſſoluit. quod vt penes paucos fuit ſi virtutem ſpectes, ita hæc confirmauit optimates dum pro plebe interceſſit. quæ plerumque opprimit ſi opprimatur, & Rempublicam inuadit in qua ſeruit. Vultis jam ad leges veniamus? quarum numero vt reliquæ ætates laborarunt, ita fontem iſta dedit, neque in numero exceſſit modum. Eo enim poſtea deuentum, vt ſupremam mereretur

laudem, non qui multas ferret, sed qui plurimas recideret. Quod Iustinianum principem tantopere nobilitat. Nihil de Regibus & eorum jure dicam. Quanquam constat, Romulum, ad publicum quod attinet, præcipue humanum, Numam maxime diuinum, quod autem ad priuatum, Seruium, ciuile potissimum excoluisse. Adeo cum leges essent paucæ, jus absolutum erat: postquam excessere limites, semper aliquid deesse visum est. quippe quæ calliditate sæculi aut moribus censentur. Decemuirales autem nonne hæc ætas dedit? quarum nunc fragmenta, quæ non ita multa extant, sicubi occurrunt, tanquam ossa & sanctorum hominum relliquias, in scriptis antiquorum sparsa, adoramus prope & exosculamur? Hæ sunt istæ, quæ leges Romanæ, leges vetustæ, leges nudæ, a Iurisconsultis, jus ciuile ab Vlpiano, & quod omnia hæc superat, jus exploratum, in Codice vocantur. Hæ sunt istæ, quas cum omnium Philosophorum bibliothecis Tullius componit: quas conferre legibus Platonis audet Phauorinus. quanquam frigide nonnulla, vt Græcorum mos est, cauilletur. Has, tanquam carmen necessarium, ætate illa pueri discebant. quas cum memoriæ mandassent, nihil vel ad sacrum, vel ad publicum, vel ad privatum jus deesse sibi viri optimi ac vere innocentes putabant. Commentarius in illas prope vnicus, a Sexto

Ælio

Ælio Peto juris antiqui consulto, satis breuiter conscriptus extabat, quem Tripartita a diuisione nuncupabant. Hunc in ambiguis dubiisque cum consuluissent casibus, præclare sibi in judiciis instructi videbantur. Adeo ætate illa, cum intactum ab externis moribus Romanum nomen esset, plures legũ gnari nascebantur quam nunc fiunt. Atq; vtinam, vtinam, inquam, Auditores, non modo mores nostri, sed & leges, quarum neque legem neque modum nunc habemus, ad ætatem illam, de qua agimus, redire possent. Mihi credite, facilius duodecim quam infinitis viueremus. quæ, vt recte Tacitus pronuntiat, *sæpius dissensione ordinum & adipiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob delicta in Republica Romana lata sunt.* Quid enim accurato erat opus jure, cum ex justitiæ præscripto omnes viuerent? cuius vim, non in tabulis aut ære, sed in animo gestabant. Quid autem opus erat Fannia? cum luxuria non esset. Quid Oppia? cum aurum in vsu non esset. Quid Cœcilia? cum in agro idem cultus qui in vrbe esset. Quid Iulia de sumptibus? cum rapa sua Curio sufficerent, aurum non placeret. Quid Falcidia? cam virtutem quisque ex asse, neque præter eum quicquam ad hæredem peruenire vellet. Quid Scantinia? cum præter vxorios amplexus, cæteros nescirent, & ex illis tales quoque filios producerent. Quid de sicariis Cornelia?

cum homicida legiſlator nondum natus eſſet, qui ſex ciuium millia, aliud agendo jugularet: nouam autem ſicam, non in homines ſed in Rempublicam, proſcriptionem, nempe, ſtringeret. Quid Memmia? cum calumniator non eſſet. Quid tot de judiciis? cum pauciſſima hęc eſſent & diu nulla. & cum eſſent multa, à Triboniano tamen prætermiſſa ſunt. qui non magis rationem reddidit earum quas rejecit quam quas nobis dedit. HAEC enim legum plurimarum eſt natura, Auditores, vt non niſi moribus corruptis proſint, &, ſi nimium corrupti ſint, auxilium non ferant. Leges autem paucæ cum eſſent, actiones quoque paucæ erant. nec prudentibus, qui reſponderent, erat opus, quamdiu nemo dubitaret, nemo conſuleret. Interpretationes quoque legum ſi ſint plurimæ, diuerſæ quoque ſint neceſſe eſt. neque lites amputant, ſed ſerunt. Interdum quoque, niſi nouis legibus coërceantur, veteres corrumpunt. Nemo juris eo tempore, omnes probitatis conſulti habebantur: quam in gremio materno hauriebant. Nec patrono erat opus, vbi nemo accuſabatur: neque facundia, cum nemo accuſaret. Pœnæ quoque & ſanctiones aberant: quia ſine legibus pudore regebantur & modeſtia. Fidei autem vinculum, pro juramento innocentiam habebant. quam non magis inter ſuos quam cum hoſtibus colebant. Quos frequentius iuſtitia & fide

(rem

(rem hac tempestate prope inauditam) quam virtute bellica aut armis expugnabant. Cujus rei infinita prope exempla, in Camillo tamen & Fabricio præcipua, habemus. Quorum alter cum Falisços aliquamdiu frustra obsedisset, neque armis quicquam profeciſſet, fide atque exemplo probitatis, vt se populo Romano dederent, effecit. Alter æquitate Græcos, in Italiam tum primum venientes, profligauit. Quibus armis neque victi unquam fuerant, nec vicerant: quippe quorum vsum ignorabant. Nunquam hostem acriorem Pyrrho, ge Epirotarum ab Achille oriundo, Romana virtus habuit. Cujus caput cum aduersis rebus consuli Fabricio Timochares offerret, Consul sanctissimus, cum victor esse posset, justus esse mauult. consilium ad Regem defert. qui inusitatam admiratus probitatem, facilius a cursu suo Solem, quam ab æquitate Fabricium auerti posse dixit. Quo testimonio quid aliud quam sine armis expugnatus, justitiæ Romanæ manus pariter & arma maximus Græcorum dedit? Vultis ad constantiam & continentiam, ætatis hujus proprias virtutes, veniamus. Quarum plurima in aliis, vtriusque vero illustrissima ac summa hîc exempla habemus. Eundem bello Tarentino moræ cum tæderet, neque ferro res succederet, auro Fabricium aggreditur, sed frustra. Qui postridie ad Regem cum rediſſet, scire

voluit Rex, vtrum cuius probitas inuicta esset, eius ne timorem quidem animus admitteret. Elephanti, ingens atque horrendum animal, ea adhuc tempestate omnibus ignotum, in Italiam tum primum venerant. Ex his vnus, dum cum Rege loquitur Fabricius, jussu eius ex aulæis caput præter expectationem cum barritu maximo emittit, manumque, seu proboscidem, altissime sublatam, nihil tale cogitanti, subito intentat. Qui vt ante immotus, tanquam ad spectaculum familiare, placide & cum risu; Neque hēri aurum, inquit, tuum, Pyrrhe, neque hæc bellua me hodie commouit. Vultis ad huius populi virtutem, hoc est, ipsam fortitudinem, deueniamus? cuius vsum, cum tyrannide constringeretur, liberum atque expeditum Brutus esse voluit. qui Romana primus ac diuina nomen Regium ex vrbe eiecit. Quam cum eius liberi clam oppugnassent, Consul patriam pro illis adoptauit. atque is, cum post adoptatam a se libertatem, cuius erat totus, ne amorem quidem liberorum, violentum atque inexpugnabilem affectum, relliquū haberet, ambos publice in foro, prius virgis, mox securi cædi voluit, conspexit. Cumque reliqui aut gemerent aut alio spectarent, nunquam a supplicio auertit vultum. qui paternos quoq; oculos in pœnam ac supplicium, quod tales genuisset, inuicti animi, in cuius potestate totus erat, opus intueri jussit. Maior hoc supplicio

cio quam tyrannorum fuga. Quis Græcorum ſapientiam miretur, cum tam longe ſupra eam ſine ea Romuli nepotes conſtituerit natura? Idem cum Tarquinio Arunte, ſtupri Lucretiæ comperto, cujus ipſa ſuo ſibi ſanguine opprobrium eluerat, in acie congreſſus, tanta vi & corporis & animi, infeſtis in hoſtem calcaribus equum admiſit, vt cum eo ſimul expiraret: *quaſi adulterum* (ita enim Florus noſter loqui amat) *ad inferos uſque ſequeretur.* Cæterum, vt feræ, poſtquam vinculis elapſæ ſunt, bis maiores tanto impetus habere ſolent, ita quæ immenſa ſemper atque inuſitata in Romano fuit, poſt eiectos primum Reges ineffabilis pene ac miraculoſa fuit virtus: conſpirante ſimul odio tyranni & amore libertatis. Cujus comparandæ, iis qui ad eam a natura facti ſunt ac nati, omnis juſta atque honeſta eſt occaſio. Nam quemadmodum qui navem dirigere aut currum non poteſt, recte faciat atque ordine, ſi alii committat: ita qui præeſſe ſibi aut non didicerunt aut non poſſunt, alienum ſane imperium admittant. cum eorum maxime vt ſeruiant interſit. Qui autem poſſunt; ii libertatem tueantur acrius quam vitam; imo ſanguine eam redimant ſi poſſunt: ſi non poſſunt, tamen fortiter occumbant. HONESTO enim viro neque debet imperare quiſquam præter ipſum, & ſi fortis ſit, non poteſt. Nam aut libertatem ſeruat, aut ne quidem

dem vitam. Nemo autem seruit diutius quam vult: hoc est, quam respirat. MORIENDI quippe libertatem non ciuile sed naturæ jus omnibus concessit: quam prærogatiuam magni viri semper intuentur. Tales autem Coclites fuisse & Scæuolas quis dubitat? Qui mihi homines sine corpore & armis solo animo pugnasse, & amore libertatis partim, partim fœditate seruitutis, cuius recens tum adhuc memoria vigebat, per vulnera & cædes, ad imperium terrarum, cuius magnitudinem virtute æquabant, festinasse videntur. Quorum corpora cum altera Albulæ clauderentur ripa, magnus animus atque infinitus, Orientis intra se atque Occidentis complebatur terminos: contemptu autem mortis quod voluit effecit. Bellum Etruscum videamus, quod pro libertate primum agrestes atque indomiti, neque vlla eruditione Græca ad libertatem instituti, heroes illi vere inexpugnabiles gesserunt. Nunquam plura Stoica atque inaudita virtutis extiterunt exempla: nunquam magis apparuit, rudem illum, e pastoribus partim, partim aduenis ac peregrinis conflatum coactumque populum, quem ad bellum Romulus instruxerat, metu Deorum ac relligione Numa in ordinem redegerat, Tarquinius crudelitate, injuria, ac contumeliis, ad virtutem accenderat, corpus ac fortunam vilia habuisse: cæterum in animo omnia reposita gestasse.

quæ

quæ ſunt prima Stoicorum præcepta. Quis enim neget, manibus & corpore alios, ſolos viros illos animo pugnaſſe, cum Horatius altero captus oculo, in ponte ſtans Sublicio, ſolo ſcuto & amore libertatis armatus, vno animo, ſed pulchro, ſed ingenti, ſed inuicto, totum Lartis Porſenæ ſuſtinuit exercitum: donec fracto ac reciſo ponte, lacero corpore, ſaluo ipſo animo & armis, Tiberim trajecit, & in vrbe, quæ tum recens partæ libertatis templum erat atque hoſpitium, ſe ſtitit? Oculus Horatium defecit. num & virtus? Mucium manus. num vel ipſe patriam, vel ipſum animus defecit? in quo ſolo ex decretis Stoicorum virtus habitat ac viuit. Quemadmodum iratus aliquis, veſtem, quæ non ſatis conuenit, in ignem jacitita manum, quæ errarat, flammæ Mucius impoſuit. Et ardebat manus quidem: quid ni enim, caro, ſanguis, venæ, oſſa? Cæterum animus, non a corpore diuiſus modo, ſed & in eum euectus habitum, ſupra quem aſcendi non poteſt, cladem ac ruinam corporis ſecurus ac interritus ſpectabat. Rixari cum natura rerum ac contendere dixiſſes; quod non abſque corpore ſe genuiſſet, cuius eam partem, quæ virtutis munia ac motus animi exequitur, ſpectante Rege atque attonito, tanquam ream, tanquam ſui deſertricem, flammæ vſtulandam tradebat. vt cum armis non poſſet, calamitate ſua regem in ſtuporem daret.

ret. Obſtrepant, obganniant, oblatrent, qui in voluptate omnia reponunt: nec dolorem ſuum æſtimat vir fortis, nec perferre alienum animus imbellis poteſt. Itaque pro Mucio tum Porſena obſtupuit, nec virtutem tantam ſine horrore vidit. Quod mox patuit, cum inuictum ſibi illum populum videri teſtatus eſt. Quiſquam enim dubitat, quin ſi fortitudo ipſa, ſine gladiis, ſcutis, haſtis, machinis, ſine ipſo videri poſſet corpore, totas in fugam acies conuerteret, cujus tum imago atque effigies, quia in vultu atque in oculis Mucii apparebat, Porſenam primo in ſtuporem, mox in fugam dedit? Equidem, ita ego exiſtimo, quemadmodum ad genios quoſdam & nocturnos lemures, qui abſque corpore vagantur, trepidant in tenebris pueri & metum concipiunt, ita cujus ſemel vera fortitudo (non hæc militaris, ſed quæ in Romano ea tempeſtate fuit) animum inuaſit, eum, quoquo ſe conuertit, fugam hoſtium ac metum circumferre. Hoc enim bello patuit, non in ſubſidiis (ſolus enim fuit Cocles) non in corpore (manum enim mutilauit Mucius) non in ſexu (fœmina enim fuit Clœlia) ſed in arce animi, virtutis ſedem eſſe ac domum. vt Deorum, in templis. Illud doleo, præclara ac inuſitata quæ ætate illa extiterunt exempla, ineptorum vſurpatione hominum, hoc eſt, vmbraticorum declamationibus obſoleuiſſe, ac com-

ac commemoratione eorum prope in tædium conuersa esse. Quare ad alia pergamus. Narrando prope nos enecuerunt, iis annis, quibus in eorum scriptis libentissime versati sumus, Græculi, quod cum vrbem suam Medi inuasissent, nauibus Themistocles Rempublicam seruauit simul, & euasit. O Græcule Græcule! Tu Romanum loqui pariter ac ineptire docuisti, ille te sapere ac constantem esse, quamdiu vlla nominis Romani superat memoria, docere poterit. Præclaram vero laudem, si Diis placet, quæ ex fuga quæritur! Quid si Manlium, vrbe a Gallis occupata, in Tarpeia rupe stantem, vniuersa Populi Romani, cui jam terrarum orbem fata destinauerant, majestate, fortuna, dignitate, ac imperio armatum, adhuc oculis ardentem, & irarum quantas vix humana mens concipit, reliquias spirantem, adhuc sui impotentem, sudoris adhuc plenum ac sanguinis, *ipso pene Ioue erepto ex hostium manibus*, vidissent? Iam Dii atque homines, sacra omnia & profana, in Gallorum potestatem venerant. nihil vrbe tota, præter vnum Manlii animum paucosq; qui fortunam eius sequebantur, usquam jam inuictum erat. Ille egenus, expes, fame pressus pariter ac siti, solus libertatem in vrbe capta adhuc defendebat, donec eam Furius Camillus, vir cum nemine Græcorum comparandus, vrbi reddidit. Cuius ante aduentum, prius ex vrbe Capitolium,

lium, quam a Capitolii tutela auulsisses Manlium. Tantas in illius animo radices virtus egerat. Nec jam ipsum vrbis vindicem commemoro: qui obsidione Veios, probitate Falisços expugnauit: qui eodem tempore Dictator absens dictus, hostes nominis Romani, in vrbe atque in ipsis ciuitatis expugnatæ Penatibus hærentes, quasi aliud agendo, internecione occidit. Quid si Decios, patrem ac filium, non in Græculo pallio, sed cinctu Gabino, se simulque legiones hostis, Diti ac Telluri, præeunte sacrum carmen Pontifice, deuouentes vidissent? Quid si Virginium, plebeium hominem, filiæ sanguine scelestum Appii caput medio in foro consecrantem? Credo de Iphigenia aliquid & Agamemnone hic hiscerent. Quid si admirandam Torquati pietatem in parentem, seueritatem in filium? cuius non condecoratam non modo, sed nec impunitam esse voluit victoriam. Quid si Papirium Cursorem, cum magistrum equitum, contra lacrimas patris, populi preces, re bene gesta, quod incertis Diis atque auspiciis pugnasset, vinctum auctoritate sua ac constrictum teneret: patriæ conseruatorem capite anquireret? Quantos fuisse animos oportet, qui nec fortem quenquam nec beatum inuitis Diis esse vellent: ipsam denique felicitatem nisi cum religione a mœnibus rejicerent? Quid si illam Curii Dentati vocem accepissent, non ambitiosam.

tiosam vltra verum, sed ex veritate simplicem, cum, Samnitibus devictis, exclamaret, *Tantum agri cepi, vt solitudo fuerit futura, nisi tantum hominum cepissem : tantum porro hominum cepi, vt fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepissem.* Quid cum idem de Lucanis, quid cum de Sabinis triumphauit? Quid cum Pyrrhum Achille progenitum ex Italia ejecit, ipsum Achillem, si veniſſer, ejecturus? Talis, priusquam matrem relinqueret Italiam, priusquam Græcis imbueretur moribus, vera ac incorrupta illa virtus Romana fuit. cuius in posterum exempla vix videbitis. Veniebat enim crassus ille ab agro miles, nihil præter stivam aut ligonem manu versare doctus: ante fortis & inuictus quam armatus. Terra quippe mater optima nutricum, vt adoream & segetem, ita Consulem ac Dictatorem dabat. qui eadem manu qua aratrum turi tenuerat, currus in vrbe triumphalis habenas retineret. Non enim ô Dii boni, in Lyceo aut Porticu, à Græco præceptore, disputando, sed agendo sapientiam didicerant. Cuius omnis vis & ratio in actione, non in vocibus consistit. Talis Cincinnatus ille fuit, qui Minucium in Algido obsessum, propere ad id exercitu conscripto, quasi ad relictum opus festinaret, liberauit: hostes vero, tanquam pecudes in agro suo aut armenta, protinus sub jugum misit. Ex eadem disciplina, rustica nimirum & agresti, bello Tarentino

miles, qui cum ab elephantis quibus par esse corpore non poterat obtritus atque conculcatus jacuit, in manu ferrum, in vultu iram adhuc retinebat. Dixisses, non tam hosti quam fortunæ post obitum minari: quod inuicti animo, deseri ab ea ac destitui se testarentur. cuius indignationis notas & vestigia, post mortem pertinaciter seruabant. Addam quod hæc omnia aut vincit aut amplificat: Amorem illis patriæ, & laudis, pro stipendio fuisse: qui priuato sumptu usq; ad bellum Gallicum vixerunt pariter & militarunt. Nondum enim moris erat, Auditores, vt Romanus animam & corpus terræ suæ elocaret magis quam impenderet: virtutem stipe æstimaret: sanguinem & auctoratam sola libertate vitam, tanquam mercimonium taxaret Imperator, miles venderet. Nondum mendicitas egenos aliquot ac nudos, vrbium suarum purgamenta (vt hac tempestate solet) ad armorum rapiebat desperationem. Quisque quo virtute maior erat, eo, pro patria, pro focis atque aris, acrius in hostem ferebatur. Si virtutem dignus sequebatur exitus, læti atque fortunati agitabant: si deficeret virtutem fortuna, terram, e qua venerant, quam coluerant, sicut arbores cum deciduntur, anima amissa corpore tegebant. O sanctissimos homines, qui ex agris adferebant vnde viuerent, ex iisdem quo vincerent, pro iisdem, cum necesse erat, exspirabant:

qui

qui corpus & ſanguinem, gratis patriæ deuouerant, gratis fortes, gratis inuicti erant atque inſuperabiles, gratis a ceruicibus ſuorum hoſtem auertebant. Ita Mucius vicit, ita vicit Cocles, ita hoſtem Manlius auertit, Camillus ejecit. ita Etruſcos, ita Latinos, ita Faliſcos, ita Fidenates, ita Samnites, Saletinos, Picenos, ac Vulſinienſes, totam denique Italiam Romanus populus ſubegit Effecit deniq;, vt, quemadmodum ſub Regibus vrbs vna eminebat in Italia, ita, poſt ejectos, generoſitate & ardore ciuium, vnius vrbis ipſa fieret Italia. Sed abripuit me, Auditores Nobiliſſimi (fatendum eſt enim) illa ætas, poſt quam innocentiæ & probitatis maximam jacturam res Romana fecit. Nunc quibus ſtudium diſcendi eſt & animus, ad Africana bella me ſequimini. Iam Duilios, Cæditios, Regulos, Fabios & Scipiones, jam fatalem illum ac prope æternum Romano nomini Annibalem, audire videor atque intueri. Vix impetum reprimo: vix me ſuſtineo. Sequimini, ô generoſe ſanguis, patriæ ac libertati obligata pubes. Qua amiſſa, nemo viuit vt oportet, neque haurit hunc communem aërem ſed inficit. Dabo operam, ne veſtræ vos pœniteat induſtriæ, dum Romanam ordine perſequimur hiſtoriam.

De secunda & postrema Romanorum ætate: & de Taciti vtilitate ac præstantia. Habita cum C. Cornelij Taciti Equitis Romani Annales interpretaturus esset.

ORATIO XIV.

QVod optaui semper, Auditores Nobilissimi, ex quo Populi terrarum Principis res gestas ab initiis, atque ab ipsis incunabulis, docere ex hoc loco publice incœpi, vt quæ maxime in rem vestram essent, ea publice a me exponerentur; eius nobis rei luculentam esse oblatam credidi occasionem, ex quo C. Cornelii Taciti Annales, opus vere luculentum, percurrere decreui. Cæterum, ne temere ad scriptorem tantum accederem, bonum factum esse existimabam, si in Floro, nobilissimo autore, magistratuum initia atque ortus, belli leges ac pacis, sanctitates omnes ac religiones, quæ a Rege Romulo ad Consulatum C. Marii, intra annos quadraginta nouem & sexcentos, omnes prope conditæ atque institutæ sunt, serie continua deducerem ac explicarem. Quæ enim ad Augustum vsque tempora sequuntur, in ambitione sola occupantur, neque quicquam præter bella domestica ac pugnas habent: quæ non amplius pro libertate, cum jam hostem Roma vix haberet, sed de dominatione gerebantur. Audiuistis ergo tanti imperii natales, audiuistis & progressus: quos si, vt oportet, repetatis animo, videbitis ducentis annis eo peruenisse Populum

lum Romanum, vt nec parem sibi nec superiorem haberet. Quicquid enim in Romana gente admiramur, quicquid loquitur vetustas, quicquid posteritas vix credit, quicquid vix eloquitur Historia, subactus Oriens, Africa euersa, adjecta imperio Europa, inter primum bellum Punicum & Iugurthinum euênit. Vt non prius adfatalẽ peruenisse magnitudinem ac culmen, quam ad finem suum properasse nomen & maiestas vrbis tantæ videatur. Latebat in Italia sua, nulli prope cognitus, nullis disciplinis; nullis artibus excultus agrestis ille populus, qui a Tiberi, atque ab ipsis ciuitatis suæ mœnibus paulatim progressus, gentes tantũ finitimas domaba:quod a bello autem temporis supererat, in agrorum cultu quisque & paterno prædio ponebat. neque inusitatum erat Dictatori, quæ suprema tum potestas erat, ab aratro ad triumphum, a triumpho ad arattum redire: maris vero æque commoda ac casus ignorabant. Siciliam, præter exspectationem, proximam Italiæ, & olim continentem, Pœnus inuadit, Romanus sibi vindicat. Rura sua deserit, patriam relinquit, arbores secat, naues fabricat, mari congreditur, vincit. neque prius desinit, quam in Syria surgenti, in Hispania occidenti occurrat Soli. Perfida Carthago erat: bis superatur, tertio euertitur: disciplinis erudita Corinthus: expugnatur primo, mox incenditur: viribus in-

uicta Numantia : euertitur ac ſolo æquatur. Iam autem, vnde ſum digreſſus, primo Punico, qui viri, qui animi, quæ virtutes extiterunt, quantum inſtar libertatis & ardoris, in pectoribus illorum fuit, qui diuulſam ab Italia Siciliam, cum ponte non poſſet, bello atque audacia junxerunt? Quis non Appium, Duilium, Atilium, Lutatium, qui in terra ſua nati atque educti, cum vix nauem antea vidiſſent, res in mari tantas geſſerunt, non ex ipſa poëtarum Amphitrite, aut e monſtro aliquo marino genitos fuiſſe credat? Quis non Q. Cæditium, virum fortem atque inſuperabilem, qui Leoniden æquauit, quis non Regulum miretur, qui poſt tres & ſexaginta naues, oppida ducenta capta atque erepta hoſti, captus ipſe, quia de Carthagine non poterat, de fortuna triumphauit: qui afflictus omni genere dolorum atq; excruciatus, reſectis palpebris, in machina incluſus, conſtantiam carnifici ac fidem, arma animi ac munimenta, fortiter oppoſuit, quibus, tanquam mœnibus, defenſus atq; circumtectus, Pœno quidem corpus conceſſerat, religioſum autem animum, patriæ ac poſteritati conſecrauit: victurus ipſe, quamdiu nominis Romani dignitas vigebit ac majeſtas. Bello autem Punico ſecundo, cum immiſtæ cœlo Alpium nubes, Diis atque hominibus inuiſum in apertam Italiam immiſiſſent Hannibalem, quas præter Herculem nemo penetraſſe

traſſe credebatur, viri cœleſtes, & maiores ſemper cum fortunam quoque prouocarent, ſpoliatam naturali vallo ac præſidio Italiam, virtute munierunt: ſpiritum ingentem atque exaggeratum, objecerunt hoſti: totam in ſe Africam ruentem, atque in patriæ graſſantem viſcera, muro fortitudinis ſuſtinuerunt: quiſque denique cum corpore non poſſet, Alpes animo æquauit: quiſque grauitate, conſtantia, diuina & fatali quadam generoſitate, vrbem Romam, domicilium imperii & gloriæ, quaſi ſepimento quodam vndique cinxerunt. Poſt perfractas Alpes, vt e cœlo aduentare videretur hoſtis, ad Ticinum concurritur: cædit Pœnus, cæditur Romanus. Ticino Trebia ſuccedit, huic Thraſimenus, omnes pari Africæ ſucceſſu, pari Romanorum clade. Fortunam ipſam ſacramento Libyæ dixiſſe crederes. Poſt hæc acies ad Aufidum inſtruitur, vbi ferales imperio Cannæ tentantur. Alibi ad gaudium atque ad oblectationem, hic vero ad ſatietatem hoſtis, cæſus eſt Romanus. donec exclamaret ipſe, Parce miles ferro. Quadraginta certe millia deleta ſunt. Nihil præter animum ſupererat Romano, quo tum vno, victus corpore ac profligatus, orbi adhuc par erat. Vnum nocuit Annibali, quod victoriam præcipere quam obtinere mallet. E Campania reverſus, libertatis ſedem atque Italiæ caput, Romam, obequitat, & ad portas jam oberrat. Quid Ro-

manum censes? Ille vero, Italia erepta, vrbe obsessa, inter ploratus fœminarum & vagitus puerorum tota vrbe discurrentium, vt solet fieri, virtute sua inuolutus atque inclusus, adhuc orbi imminebat: illum, tanquam creditor, a Diis immortalibus promissum sibi debitumque, pertinaciter vrgebat. Marcellus in Sicilia, Scipio in Hispania, ad Capuam vterque Consul res gerebat: quos redire Romam populus vetabat. Adeo, obsessi ac prope expugnati cum essent, liberi tamen & inuicti & in potestate sua erant, vt, cum tenerentur, hostem se vicisse existimarent, quia non timebant. Intelligebant enim, si quod munimentum potest dari, si quod propugnaculum aut vallum, quod nec aries perumpat, nec balliſta frangat, nec euertat catapulta, hoc in animo virtutibus congesto, exædificandum esse. Animo eodem, cum in media Italia haberent Africam, Italia relicta in Africa Annibalem vicerunt. Annibalem Philippus, Africam Europa excepit. Græculis eripitur libertas, quæ mox per præconem illis redditur. Adeoque inepta gens erat, vt immensa voluptate & gaudio effusi, libertatem conseruando tantum possideri non sentirent. eam autem a virtute sua cuique non ab hostibus donari. Philippum Antiochus, Asia Europam consequitur. Quæ, si verum volumus fateri, voluptate sua atq; illecebris, victorem cepit: nec immerito quis dixe-

rit,

rit, Capuam Annibali Cannas ; Asiam Romanis Annibalem fuisse. Hinc argenti cupiditas atque auri, quam cum Attali hæreditate, quasi jussu testatoris, Respublica accepit. Cujus regnum pariter ac bona, cum ex testamento cerneret, in libidinem illius quoque & avaritiam successit. Hæc jam animorum erant vulnera : ea autem sola vrbes & Respub. euertunt. Nam Annibalis & Pyrrhi, in corporibus hærebant. Iam, quod magis admireris, nulla gens, nulla prope pars terrarum expugnata fuit a Romanis aut subacta, quæ non ad perniciem victoris & interitum Romanæ majestatis aut integritatis aliquid conferret. Græci disciplinas attulerunt, sed cum iis pariter ambitionem : Asia delicias, sed cum iis voluptates. Omnes simul, opes maximas ac copias, sed cum iis auaritiam. Vt cum homines non possent spoliati libertate sua & exuti, vitia victorum, orbem victum vindicare atque vlcisci voluisse videantur. Primus omnium Iugurtha, qui in bello Numantino Scipionem fuerat secutus, vafer homo ac versutus, suis posse vitiis Romanum expugnari callide intellexit. tanti animi mercator, vt cum spem in ferro non haberet, auro fugam ab exercitu redimeret, Senatum vero donis ac muneribus in partes suas, vt venale mercimonium pertraheret. Ita ille populus, qui ter jam Africam subegerat, vnius Africani precio conductus est vt

vinceretur. ille autem ordo, cujus dignitate Reipublicæ maiestas nitebatur, cujus humeris terrarum orbis incumbebat, nominis Romani immemor ac togæ, bonum publicum, salutem civium, emptori pariter & hosti publico transcripsit. Eodem tempore ambitio erupit. Grauis quippe plebi nobilitas, nobilitati plebes inuisa, de honore inter se ac dignitatibus certabant. Interim Respublica deserta ac neglecta, quasi vacua possessio, vnius qui plus posset dominationi & imperio relinquebatur. Nam de libertate ne vacabat quidem cogitare. Hac commoditate vsus primo Marius, homo ruri natus sed militiæ inuictus, ingenti autem animo, ac ferro, quo valebat, Sullæ competitor, ac post hos Octauius & Cinna, tandem Cæsar & Pompeius, ab externis hostibus, in patriam ac ciuitatis suæ vires, bellum & exitium vertere. quisque vrbi suæ id quod Annibal futurus erat, nisi victus esset. Nam vt prisci duces, castra hostium & muros, ita isti dominationem vi & armis inuadebant. Cinna consulatum, Sylla, & mox Cæsar, Dictaturam. Donec lacera Republica, exhausto ac defatigato, sicut feris quæ conflictu mutuo domantur, populo, victæ gentes & quæ vicerant, in manum ac potentiam vnius concessere. In quo quamdiu aliquæ virtutes erant, quales in Augusto multæ maximæq; erant, Principatus nomen, quod & populare erat & in libertate à Senatu

natu vsurpatum fuerat, cum jam ipsa interiret, seruitio prætexebatur. Miser quoque populus, non aliter quam pueris cum plorant aut de matre cogitant, pupa aut sigillum traditur in manus, quo, cum domi soli relinquuntur, se oblectent, nonnullas adhuc leges & tribunos, eo tempore habebat. quorum jus quoque & potestas, per occultam defendendæ libertatis simulationem, dominationi illo principe accessit. Postquam vero omnia vnius, vnus ille omnium flagitiorum atque illecebrarum servus esse cœpit, dulce illud omnibus, Romano autem proprium ac suum, (cujus conseruandi causa Brutus Superbum, populus Decemuiros, Cinnam miles, fata ipsa ac imperii fortuna, Senones ejecerat,) dulce, inquam, illud quoque feris ipsis & acceptum libertatis nomen, funditus deletum atque extinctum est. Quare, vos quoque illud nomen, toties jam decantatum, & quæcunque audiuistis hactenus, ex animo delete, Auditores. Nullos Scipiones, Fabios, Æmilios, nullos audietis jam Flaminios. Aures alias adferte: alias adferte mentes. Ad monstra deuenimus. Tiberii, Claudii, Nerones, in scenam producendi sunt. Non jam consulem Romanum, plenum majestate, constantia ac grauitate plenum, in Senatu, de communi bono, de ferendis legibus aut agris diuidundis, differentem audietis. Non eundem, victis domitisque gentibus,

Iovis

Iouis fulgentem insignibus, in curru triumphali videbitis sedentem: non ingentia bella, vrbium euersiones, fusos Reges peregrinos ac euersos audietis. Nullas audietis nisi de virtutibus victorias, nullos nisi de provinciis & ciuibus triumphos. Non Lucretiæ insignem audietis necem. quæ vim passa a Tarquinio & constuprata, acie eadem viam animæ ac libertati patefecit. Non illustre facinus Virginii, qui cum metus a Decemuirorum seruitute esset, filiam ad Cloacinæ, cum non posset jure, ferro propere in libertatem vindicauit; publicumque dominationis ac libidinis incendium, cruore virginis restinxit. Non Catonis generosam illam & sublimem audietis vocem: qui cum adolescens admodum in Syllæ domo, trahi ciues ac torqueri cerneret, quare Syllam nemo interficeret, rogavit. & cum pædagogus a quo ducebatur, metui ab omnibus dixisset, Cur tu ergo, inquit, mihi gladium ad liberandam patriam non tradidisti? Non ejusdem audietis mortem: qui, cum recedentem, ac jam pene ex oculis sublatam Populi Romani libertatem, retinere ac sistere non posset, plenus sapientiæ ac instituti sui tenax, animam & viscera Fortunæ in oculos conjecit. Nullos Cassios aut Brutos audietis. qui libertatis subsessorem ac regni candidatum, ante statuam Pompeii, Diis patriæ conseruatoribus, tribus & viginti vulneribus mactarunt. Euersam,

con-

conditam, sepultam, conclamatam libertatem videbitis. cum ad delatores præmia bonorum, curæ Principum ad fœminas, fœdissima quæque ad Principes transissent: cum Senatus, non in leges, sed in verba Principis juraret: ipsi quoque Consules & Equites, in seruitutem ruerent ac festinarent: cum nec vox propemodum nec cogitatio jam esset libera: cum ipsi quoque gemitus & lachrymæ subscriberentur: nihil spei in amicis, nihil esset fidei: nullum in amicis, nullum in propinquis solatium. Cum Seiani, Dolabellæ, Pinarii, Satrii Secundi, reliquique perditi homines, quemadmodum ad aram scelerati solent servi, vndique confluerent in vrbem & in ea grassarentur. Si quæ essent animæ illustres aut ex prisco illo sanguine oriundæ, eas novercali odio in herba suffocari extinguique videbitis. In ipso, Auditores, limine, in ipso introitu, omen pessimum habebitis: Claudium Marcellum, vnicam jam vrbis spem & libertatis, jam Augusti filium, jam generũ, ostendi populo, mox eripi videbitis. Liberos Agrippæ, viri magni, destinatos regno successores, fraude muliebri misere euerti. Nihil enim de Germanico nunc dico. Videbitis, parentes ab exilio retractos accusari a liberis: matronas honestissimas a prostitutis: vrgeri leges scriptas, cum naturæ periissent: intendi majestatis crimen, cum jam ipsa nusquam esset: aut si esset vsquam, non in

Capi-

Capitolio, terreſtri Iouis domicilio, ſed in Caprearum lupanaribus, inter exoletos & ignotas ante voluptates jaceret. Videbitis adiri principem terrarum, vbi ante quilibet ædilem timuiſſet, in fœdiſſimo ſeceſſu abditum. Ibi Imperator, ibi Pater patriæ, ibi Pontifex, ibi denique Tribunus plebis cum Sacratis legibus latebat. Adeo vbi vindex libertatis, ibi cauſa ſeruitutis, Dominus & Imperator erat. In hanc ganeam demerſus in hoc luſtrum, cum ab omni honeſtate receſſiſſet, bonis adhuc eminus exitium ſtruebat. Videbitis vbique aulicas patriciaſq; artes & inſidias occultas: nihil liquidum, ſincerum nihil, nihil ſui ſimile aut vnius formæ. ne diſſimulationem quidem, quam præcipue diſſimulant qui cætera abſcondunt. vt candore & ſinceritate vitium inducant. Hęc ita docet, ita eruit ac detegit, ita ob oculos ponit Tacitus, vt in animis Principum atq; in pectoribus vixiſſe & eorum cogitationes perluſtraſſe videatur. Nihil illum latuit aut fugit. nihil eſt quod aut non callide obſeruarit aut non feliciſſime expreſſerit. Res cum verbis, verba certant cum ſententiis. Videbitis orationem ſobriam, ſed ſplendidam: dictionibus conſtrictam, abundantem ſenſibus. Nunquam turget ſed aſſurgit, nunquam jacet, ſed æqualiter excellit, nunquam auras captat aut ineptias e ſchola vibrat, quod tum erat vſitatum, ſed oracula e tripode effundit.

quæ

quæ non aliter quam fulmen aliquod lectoris animum, præsertim in Republica versatum, afflant ac percellunt. Nihil illo grauius, compressius, castigatius, prudentius, nihil virtutis studiosius. Scelera designat, sed vt ea quiuis execretur: artes docet & ignotas fraudes, sed vt eas quilibet intelligat: pandit denique aperitque aulam, ne quis parum gnarus rerum humanarum circumueniatur. Dignus autor, quem cum sceptris suis Reges Principesque commendatum habeant ac seruent, quorum sacra & mysteria tam sedulo exponit: dignus qui ab illis ediscatur, quorum nutu terræ ac maria reguntur. Nam vt profanetur ab ineptis, non est metuendum: cum profanos, sibi inuolutus & abstrusus, alio releget. Paucos in consilium admittit: pauci sunt cum quibus contrahit: pauci quibus ad interiora templi sui aditum concedit. Pauci, inquam, &

quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.
Dis geniti potuere.

Causam quæritis? Etiam hanc Poëta vobis dabit.

tenent media omnia syluæ.

Quæ sunt istæ, inquietis, syluæ? Sententiæ abruptæ, circumdictiones interciſæ, verba paucis vsitata, & erepta Græcis aut a Græco fonte cum judicio detorta: diligens Thucydidis, scriptoris accurati, sed obscuri sæpe & conciſi,

cisi more gentis suæ, imitatio. sensus non in ore nati, sed in pectoris recessu, ex profundo rerum humanarum & experientiæ viscеribus deprompti. Quare, sicut generosi quidam equi tantum eruditos tolerant sessores, reliquos præcipitant aut calcant, ita imperitos a se iste & ineptos segregat. nam judicium requirit. Alexandrum sibi quærit hic Bucephalus. Ad autorem ergo tantum, magno animo, alacritate, diligentia, industria, ac studio discendi nunc adeste, Auditores. Ipsa difficultas vos excitet & salebræ. Ferunt Annibalem, cum in Alpibus caput inter nubes absconderet, nec prospicere à se posset, vtroque autem pede in glacie atque in niuibus, vbi nemo militum consisteret, non minus ipse hæreret aut lapsaret, præcessisse tamen, & subinde hærentibus aut fessis porrexisse manum. tanta laudis siti æstuabat atque ardebat, tantus eum ardor gloriæ tenebat, vt Italiam inuaderet. Nos vt editum doctrinæ templum & honoris ædem teneamus, labor vllus absterrebit, vlla negligentia auertet? Ecce præeo & manum vobis porrigo. In fronte atque in prima acie versabimur. Patentem, si vos viri estis, & diffusum nacti sumus campum: vere Regium autorem. In quo si quid inuolutum erit, explicabitur: si quid eruendum ex antiquitate, eruetur: si quid applicandum ad hoc æuum & hos mores, applicabitur. Non sunt somnia aut nugamenta hominum,

minum, aut poëtarum fabulæ, quas vobis explicabimus. Audietis monita illustria, præcepta audietis, quæ vos, vbi semel fuerint impressa animis, ex hoc, quo nunc sedetis, loco, in Senatum & in Curiam sequentur. In ea tempora incidistis, quæ feliciora sunt fortasse, non sunt meliora. Nondum obiit Tiberius. adhuc viuit, adhuc regnat, adhuc habitat in aulis. Adhuc machinis iisdem probi quatiuntur, animantur improbi, Regna euertuntur ac Respublicæ: quodque nescio an vlla ætas viderit, pii adhuc Principes his artibus tolluntur. quorum capita (ô nefas!) alii secanda locant, alii, sceleſti quidam mancipes atque exsecrabiles, conducunt. Noua & recentia exempla, duo Regna, Gallia Britanniaque, & eorum Reges, nobis præbent. quorum alter tonitru ab inferis emissum vix effûgit: alter, amor generis humani, jam in bello totus, totus in Remp. conuersus, & quod maxime nos tangit, in restituendis disciplinis literisque totus, ab impuro ganeone, sed dissimulatione perfida armato, orbi crudelissime ereptus est. Quam dissimulationem, non ingenia judiciorum, non carnificum tormenta, non equuleus & vncus, non diuturni cruciatus, non discerpta ac dilaniata viscera, non flammæ vis, non plumbum artubus infusum, inuenire & producere in apertũ potuit. non aliter, quam si in venis terræ, aut in ipsis inferorum faucibus, e quibus mon-

ſtrum hoc prodierat, demerſa ac ſepulta veritas lateret. Nero, patriæ incendiarius, parricida matris, præceptorum interfector, auriga, citharœdus, gladiator, foſſa cinædorum & cloaca, victus delictorum conſcientia & amens, mendicauit mortem, nec inuênit percuſſorem. Marius, Italiæ vaſtator, nihil amplius quam conſularis, militem mactandi ſui cauſa ad ſe miſſum, ſola vultus reverentia a ſe abegit. Ille verus Pater Patriæ ac murus; illa lenitatis, comitatis, liberalitatis ac clemẽtię imago & natura, ille terror hoſtium, vaſticies ac fuga, quos aduentu ſolo ſæpe ac nomine diffla-rat, qui virtutem ſemper comitem, inter pedi-ſequas Fortunam habuerat, qui procellas omnes ac fatales Regni tempeſtates, maieſtate nominis diſcuſſerat, prudentia ſedauerat, cuius ſolas cogitationes Oriens atque Occidens tremebat, luce clara, omnibus præſentibus, pleriſque & ſpectantibus, in oculis ſuorum, clam tamen, confectus eſt. Qui nunc inter animas beatas, nihil præter Matrem Reginam, admirandæ fœminam prudentiæ, & Succeſſorem ſuum intuetur. quem, quod felix ſit ac fauſtum, molem nunc imperii ac pondus ſuſcepiſſe videt. Faxit autem Deus immortalis, vt priuſquam ſumma ei vitæ appetat neceſſitas, compos domi omnium ac foris, vindicatum ab externis Regnum ſuum videat. Et quandoquidem hoc tempore eſt natus, quo non virtus

tus hostium armata, sed latrones, rerum ac terrarũ dominos, non vi, sed clam, tollunt ac eripiunt, dissimulatio & sica, sceptrum & coronam inuadunt, magnanimitate cum Parente suo certet, neque prius sibi nominique suo jam hæreditarium ascendat cœlum, quam Henrico Magno, illustrissimo, maximo, fortissimo post hominum memoriam Heroi, Principi Augusto, Pio, Inclyto, Felici, qui in animis pectoribusque omnium eorum, quorum interest, vt sospes, vt immota, post hoc facinus, Gallorum salus maneat ac gloria, vim ac potestatem tenet numinis, fraude domestica ac dolo per immane scelus atque ineffabile interempto, fuga perduellium ac cladibus parentet: de iis vero, quos ad summum vsque vitæ spiritum, omnium hactenus periculorum ac laborum terra socios ac mari, & æterno (quod in posterum speramus) fœdere conjunctos sibi habuit, quorum vere inuictos bello animos indomitosque, Tacitus vbique prædicat, qui cum reliqui seruirent, soli libertatem tuebantur, sæpe ac libenter cogitet, vt cœpit. Cuius rei nunc illustrem illum vultum tuum, Beniamine Auberi Maurierè, maxime Legate, in hac terra obsidem certissimum relinquit: quem cum huic loco, tot præclaris comitatus viris, & in primis, Nobilissimo Amplissimoque Reginaldo Brederodio, Veenhusiano domino, equite & equestris

Ordinis viro, ſummi Hollandiæ Zelandiæ ac VVeſt-Friſiæ Senatus Præſide, commodare es dignatus, neque aliam ob cauſam quam ad audiendũ me veniſti, effeciſti ſane, vt quę debeamus, cogitatione quidem aſſequamur, exprimere autem verbis & oratione haud poſſimus.

ORATIO XV.

Habita in auditorio Theologico, cum Secundum Taciti Annalium abſoluiſſet.

CVm hunc Caium Cornelium Tacitum, ciuilis principem prudentiæ, interpretari primum publice incepimus, facile intellexi-mus cum quo autore nobis res eſſet. Non enim elegantes ac diffuſas Titi Liuii narrationes, non fatalem & inimitabilem Herodoti dulcedinem, nec occultas Xenophontis Veneres & Atticiſmos, aliaque quæ ad voluptatem maxima ex parte ſunt compoſita, expectabamus: multo minus ſpecioſum Bruti facinus, aut paupertatem Curii, aut exilium Camilli, aut amœnam Cyri inſtitutionem, quæ, quot habet verba, tot illecebris leporibuſque abundat. Qui ſcriptores vt non ignoramus quantum vel jucunditatis vel vtilitatis ſoleant adferre (nam vtrumque ſæpe experti ſumus) ita Tacitum cum intuemur, & diuerſam voluptatem & vtilitatem multo luculentiorem experimur. Nam ſiue eloquentiam conſideramus, ſermo totus, breuis, ſtrictus, ac ſeuerus, nihil

nihil otioſum habet aut ineptum, nihil quod ambitioni potius quam veritati impendatur. Quia, vt in magna aliqua prudentis viri domo, nihil extra vſum & neceſſitatem reperitur, ita rebus ipſis totus hic accommodatur ſermo. Quæ tam crebræ ſunt ac denſæ, vt non autor, ſed mens ipſa loqui videatur, & quot verba, tot non tantum ſapientiæ, quod eſt philoſophorum, ſed prudentiæ interioris ſcita paſſim ac oracula effundat: quæ ex vita, conſuetudine, ingenio, ac moribus quorundum cum ab eo deducantur, non de illis tantum ſed de omnibus veriſſime dicuntur. Aruſpices fuiſſe quoſdam, qui in victimarum exta accurate inquirerent, partes maxima cum cura ſingulas intuerentur, vt ex diligenti ſingularum contemplatione, res futuras prædicarent, a veteribus accepimus. Horum more ac ritu, fibras Principum & exta ſigillatim inſpexiſſe Tacitus videtur, vt ex iis cauſas omnes & euentus publice denunciaret. Quod in hoc ſecundo libro, ſi in vllo, accurate & prolixe præſtitit. de quo pauca, cum benignitate veſtra & ſilentio dicturi ſumus. Supererat hoc tempore Germanicus, Romanorum vltimus: dignus qui vel ante ſeruitutem vel poſt totam libertatem naſceretur. Quam dum ſenſim & cum callida diſſimulatione genti nondum penitus ſeruili & ad libertatem natæ eripit Tiberius, odio virtutis ſuæ & amore populi, omnia, vt tyranni

de virtute solent, suspicantem in se concitauit patruum. Quippe qui ab optimis periculum, a pessimis opprobriũ timebat. Accedebat, quod in manu ejus octo legiones, hoc est, ipsi nerui, ipsæ vires imperandi essent. Atq; hæ, non in Syria, non in Ægypto, sed in Gallia ad Rhenum, aut aduersus hostem aut pro Principe, quem vellent, collocatæ viderentur. Videant Germanicum, qui majus vllum viro Principi quam in virtute existimant subsidium: qui improbitatem & Tiberianas artes optimum regnandi instrumentum esse credunt. Pietatem autem, probitatem, clementiam, justitiam & fidem, in uolucra cæterorum atque integumenta arbitrantur. Vnus eo tempore adolescens, placidus, ciuilis ac benignus, soli grauis hosti, eruditione autem tali, vt ad pacem educatus videretur, sine vllis vel fallaciis vel fuco, Plebem, Equitem, Senatum, legiones, socios, municipales, totum deniq; terrarum orbem, vinctum quasi & obnoxium tenebat: ipsum autem Principem, qui tanquam Proteus omnes assumebat formas, cuius omnes sensus involuti, verba omnia obscura & suspensa erant, vafrum callidumque, qui dissimulationis suæ ne in morte quidem obliuisci posset, non ambitionis sed virtutis suæ metu, quamdiu superesset, intra vrbem, ac prope in Palatio, haud aliter quam histrionem in theatro, conditum ac clausum continebat. Alter libertatem oppugna-

pugnabat, sed occulte: alter defendebat, sed armatus & in castris. Alter cum Thrasymacho Platonis vulpem, alter cum Romanis ducibus, antiquis illis & inuictis, indolem & animum leonis præferebat. Habuimus hoc libro luculenta in Tiberio prudentiæ, sed vitiosæ, habuimus virtutis, generosæ, masculæ, Romanæ, luculenta atque expressa in Germanico exempla. Statim & fere ab initio, mouetur Oriens; sed quod in perniciem Germanici Tiberius conuertit. Funduntur aliquoties Germani, gens tum temporis inprimis bellicosa; & quam solam, cum jam neminem metuerent, Romani metuebant: sed exitium victori, adnitente eodem, ipsa virtus adfert ac victoria. Hæc tum præmia virtutis erant cum scelestus imperator esset. Quis Libonem promouet & fouet? idem qui euertit. Quis autoritatem summam tribuit Senatui? idem qui nec minimam relinquit. Quis Chaldæos consulit ac magos? idem qui ex vrbe eos ejicit atque auersatur? Idem sæuus & in speciem benignus: idem tenax & versute liberalis. Idem templa struit, & religionem negligit: peregrinas ejicit, & patriam contemnit: fraudem ne in hoste quidem probat, sine qua nec hostem vincit nec amicum. Denique, cum vitium sit totus, sine specie virtutis nunquam est scelestus. Quibus tamen omnibus, quod obseruari velim, nec autoritatem nec

amorem parit. quia infra majestatem fucus & improbitas consistit. Iam cum imperandi vis & quasi efficacitas in majestate sit, quæ duabus artibus, benignitate nempe & autoritate, comparatur, nec benignus esse potest nisi qui apertus est & simplex, nec autoritatem facile consequitur qui fidem nondum consecutus est. Ea quippe integritate morum comparatur & candore. qui cum summus esset in Germanico, nullus in Tiberio, alter, cum benignitatem affectaret, odium inuidiamque, alter, cum seueritatem induisset, non autoritatem modo, sed amorem quoque, quæ in sola majestate conjunguntur, impetrabat. Vt cum alter imperaret, alter omnium judicio ad imperandum natus videretur. Habet hoc maiestas omnis, Auditores: non in potestate sed in actionibus consistit: non in Regno, sed in animo ac mente imperantis, sedem suam habet. Nam vt nihil maius altiusque Principe est in terris, ita nihil animo in homine est excelsius. Quem cum sua, hoc est, imperantis virtus, vltra purpuras & sceptra, & lictorum ministeria, prouexit; ibi demum est majestas, vbi dignitatis ac virtutis culmen est. Ego populi Romani majestatem exulasse cum Camillo, Mario, Rutilio, viguisse in Africano, Curio, Catone, aliisque magnis & præclaris viris, periisse in Tiberio, extinctam cum Germanico fuisse existimo. Nisi forte in lustris Capreârum,

rum, inter ſpintrias & exoletos, cum hoc monſtro eam collocemus. Ne hoc Deus immortalis ſirit. qui, cum radios autoritatis ſuæ, quibus vniuerſus continetur orbis, in ſimillimos effundat, nihil bonitate ſua majus habet: ille, inquam, qui eſt infinitus. Fraudes vero & occultas artes, quas tam ſæpe in Tiberio notamus, non vt eas doceamus, ſed quod a prudentia ciuili, ſemel in Rempublicam receptæ, vix diſiungi poſſunt, tanquam optimus ac ſimpliciſſimus, ignorat. Hæ ſunt quibus improbos ac probos, alienos ac domeſticos, hoſtes Reipublicæ & Principes, Tiberius ſubuertit. Vnum hoſtem ſed potentem, vnum ducem ſed inuictum, eo tempore Romanus habuit. Bellum cum Arminio Germanicus gerebat; viro maximo vir maximus, & Romanæ libertatis, etiam cum nulla eſſet, ſpes poſtrema. Cum vtroque bellum, ſed occultum ac vaferrimum, Tiberius gerebat: minus hoſti quam Germanico infenſus. qui trophæis ſuis totam, quaqua ſe contulerat, Germaniam implerat. quæ tyranno cruces totidem & neces erant, neque in hoſtili terra ſed in eius animo ac pectore defixæ videbantur. Tanto cruciatu ac dolore compos, vnum hoc agebat, vt per Conſulatus & triumphos, cum per ſe non poſſet, juuenem ab hoſte revocaret. Audiuimus poſtremo, quid Arminio euenerit, quo majorem virum ne Romana quidem res, cum

maxime floreret, habuit. Qui, vt olim, pacis ſpecie, Romanum circumuenerat, ita vir & ſæculo & gente ſua major, abſcedentibus Romanis, dolo propinquorum cecidit, ſecumque caſum patriæ, quam fruſtra toties Romani oppugnarant, pariter ac ſeruitutem traxit. Diſcamus hoc exemplo, nunquam minus quam cum ſine cura & hoſte poſſidetur, tutam eſſe libertatem. Quæ erecto intentoque animo ſub clypeo facillime defenditur. Quamdiu ferrum eſt in manu, Deo quoque immortali ea cordi eſt. Pace ac ſecuritate elabitur. nunquam minus conſeruatur, quam cum nihil timet. Hoc Tiberius intelligebat, cum Germaniam, non armis, ſed ſecuritate ſua, &, quod minime expectandum videbatur, non pugnando callide ſubegit. Quod non paucis gentibus euênit. Res Athenienſium, & amplas & diuturnas olim, ſi quas alias fuiſſe, ſæpius legiſtis. Quando eas defeciſſe exiſtimatis? An cum hoſtium ſexcenta millia, Dario duce, in Græciam erumperent? an cum ſeptingenta & trecenta Xerxes, Regum potentiſſimus, adduceret: vt & flumina bibentibus & tellus incedentibus deeſſet: ipſe quoque Oceanus pro gente ſua militare ſolitus, compedibus a Regè barbaro conſtrictus eſſet? Iuro vobis atque affirmo, nunquam magis tutam Græciam fuiſſe. Cum Miltiades in campis Marathoniis, trophæum, non de hoſtium virtute ſed de multi-

multitudine erexit: cum Leonida, quingentis millibus sexcentos opposuit; stetitque fortiter, donec & pugnando & vincendo fessus, non victoriam sed corpus hostibus relinqueret. Xerxes monteis complanarat. illi animos, majores quam hi essent, hostibus opposuerunt. Xerxes vrbis mœnia exusserat & muros. illi vrbem pariter & libertatem, nauibus imposuerunt. Tales ergo milites ac tanti, pace ac induciis Philippi perierunt. Idem & Thebanis, & Spartanis, & Phocensibus euênit. Quando populi Romani periisse existimatis libertatem? An cum Pyrrhus, Æaci progenies, Achillem suum adhuc spirans, fundamenta ejus ac primordia lacesseret? An cum Galli media in vrbe grassarentur, neque quicquam præter Capitolium & Manlium, quod inuictum ab hoste esset, alibi restaret? An cum Pœnus, ipsis nubibus immistus, per fluentem glaciem ac niuem, animo ardente incederet, montes generositate, rupes frangeret aceto: cum dux ipse, bellua Getula vectus, per ruinas Alpium enixus, vniuersum agmen suum, tanquam tempestatem quandam, in Italiam effunderet: cum assidue ad muros atque ad portas esset: inter seruitutem & Romanam libertatem, nihil præter magnanimitatem gentis interesset? Non fregerunt illa Martis populum sed inflammarunt, Auditores. Oppugnari vult libertas, vult premi, vult in acie ac ferro,

vult

vult cum hostibus versari. inter arma crescit: sanguine non lacte educatur. Quippe singuli dum cadunt, res communis viuit & superstes est. neque desunt qui succedant & victoria fruantur. Belli desuetudo, ex obliuione otium, ex otio securitatem, ac non raro seruitutem parit. Tum Romana periit libertas, cum deesset hostis nisi quem Respublica dedisset: cum Augustus, Consulem se ferens, & ad defendendam plebem jure Tribunicio contentum, dono militem, annona populum, cunctos otii dulcedine pellexit: cum Tiberius ad legem majestatis omnia referret: clam accusatores bonis miserorum aleret ac saginaret: cum discordiarum causas in Senatu spargeret, partes callide inter se committeret, verba singulorum & consilia expenderet: cum neque adulationem neque libertatem ferret, & vtranque odisset, sed vt libertatem tolleret, sensimq; æterna seruitute reluctantem populi victoris animum inuolueret. Quantus fuit in Germanis, hoc est, in hac gente, amor libertatis, quantum studium! quot imperio Romano clades ea gens intulerat! Ad hanc populi virtutem, imperator accedebat, quis & quantus, ô Dii boni! SENSV CELER, vt de illo loquitur Romanus autor, PROMPTVS VLTRA BARBARVM INGENIO: ARDOREM MENTIS VVLTV OCVLISQVE PRÆ SE FERENS. Quod si educationem quæras, ASSI-

DVVS

DVVS MILITIÆ ROMANÆ COMES, ET IAM CIVITATIS IVS ET EQVESTREM CONSECVTVS GRADVM. Pyrrhum, aut Iugurtham, aut Annibalem, ab inferis redîſſe diceres. Ad hunc hoſtem debellandum, miſſus eſt, vt diximus, Germanicus; virtutis tantum & ciuilitatis nomine Tiberio inuiſus. Qui hunc ipſum dignitatis atque honoris ſpecie in vrbe reuocat: Arminium inuidia ſuorum & diſcordiis inuoluit. Ita ſine belli mole, ſine armis, ſine ſumptu, monſtrum illud, alterum veneno, alterum ſecuritati ſuæ & ambitioni callide objicit; vtrumque aliud agendo perdidit atq; interuertit. Faxit Deus immortalis, vt his moniti exemplis, nos quoque, Auditores, qui pro libertate hactenus pugnamus, pro eadem animum armatũ inter has inducias retineamus. Qui de militari diſciplina commentantur, ita militem dormire volunt, vt nec galeam nec haſtam ponat, vt in clypeo decumbat, gladium in manu geſtet, ne, ſi quid eueniat, inermis opprimatur. Vtinam eodem modo & nos dormiamus! Verum res ſecundæ minus æqua mente quam aduerſæ tolerantur. Intermiſſio armorum autem, quæ & gloriæ inſidiatur & virtuti, ſicut lenit animos & frangit, ita belli recordationem, & cum ea, cauſæ curam ac memoriam, extinguit: neque minus interim diſcordias internas per dulcedinem ſecuritatis, mentibus inſtillat. quod venenum, Rebus publi-

publicis florentibus magnisque, morbum ac mortalitatem, tanquam ægro corpori, inducit. Iidem sumus, Auditores, qui eramus nuper, cum tot vrbes expugnauimus, tot defendimus, toties, cum magna hostium calamitate ac clade, terra dimicauimus ac mari: idem Imperator nobis, idem hostis est. Idem vt sit animus, ingenti cura opus est ac prouidentia. Tubæ, hercules, & tympana, & clamor militaris, & conspectus hostium, & expectatio, & ira quoque & injuriæ, & cruor, fomes est virtutis ac custodia. Vbi ea sunt ex oculis sublata, obdormiscit animus. Quem sopitum ac languentem, frustra aduocaris vbi opus est. Hic est ille, quo munitus miles noster, Sluisam in hostili agro cepit, vrbem in eodem alteram, aduersus mare, pestem, atque Hispanum, non sagittis, non cuspidibus peilorum aut imbelli Græculoque ferro, sed immanibus tormentis oppugnatam, annos quattuor defendit. In qua tantus fuit animorum feruor, vt quem corpore occuparet quisque locum, vix in aërem excussus sulphure atque elisus, hostibus concederet. vt post mœnia, post propugnacula, post vallum, post ereptam vrbem, tanquam feræ, e latibulis pugnarent: vt, amissa ipsa vrbe, amisso ejus loco, adhuc causam vindicarent. Hic est ille, quo munitus paulo ante inducias Heemskerckus, Gades vsque nouus Hercules contendit: ubi non, vt alter, regem Iberorum,

sed

sed ingentem eius classem, prope in portu ipso atque in vrbe, ferro pariter & igne inuasit. In qua pugna nautam quendam aiunt, cum in hostem gladio ferretur, atque is mari se committeret, non aliter quam canem rabiosum, fugientis corpori hæsisse, neque prius cæde ac sanguine conspersum dimisisse, quam luctantem inter vndas partim, partim inter vulnera Hispanum, vsque ad inferos persequeretur. Ne Leonidas, Callimachos, & Cynegiros, Græcia in posterum miretur. Hæc cum cogitamus, redeat in animum antiquus ille vigor, eadem sollicitudo maneat & diligentia: tanquam in conspectu hostis & in castris vigilemus. Nihil de timore remittatur, nihil de industria. Petamus, vt illustribus Ordinibus, Patriæ parentibus, diuini atque humani juris animum intelligentem, plebi autem obsequendi voluntatem, Deus immortalis duit. vt Rempublicam, vt Academiam, consensus animorum & concordia respiciat. quæ post recens hoc incendium, non amplius jam æde illa, quæ flammarum violentiæ concessit, sed Amplissimorum Curatorum magnanimitate ac celebritate Professorum continetur: quorum scripta & existimationem, extra casum & fortunam constituta, orbis vniuersus sibi vindicat. Vt vicini ac remoti Reges Principesq;, & inprimis magnus ille, cujus hic Legatum, summum maximumq; virum intuemur, sicut hacte-

hactenus in bello, ita nunc in pace nobis adsint. adsint, inquam, & concordiam, tranquillitatis nostræ munimentum vnicum ac fulcrum, tueantur ac promoueant. ne Arminii exemplo, viri nobilis, magnanimi, intrepidi, qui amore Patriæ armatus, non primordia sed florentissimum victoris populi imperium cum paucis lacessiuit, Quintilium cum tribus legionibus in Patriæ visceribus sedentem profligauit, Maroboduum sustinuit, qui, cum annos duodecim, prœliis ambiguus, bello nunquam superatus, rem feliciter gessisset, simultate ac discordiis suorum inuolutus, quia armis non poterat, pace Tiberii sublatus est: ita hic inuictus terra marique populus, quem ouantem tot victoriis ac decoratum orbis aspicit, securitatem suam, opes, dignitatem, decus, gloriam, postremo libertatem ipsam, quam bellando peperit, cum pace, quæ discordiarum mater est, amittat. Ita tu, Iesu Christe, ab æterno ex æterno genite, æterne Deus, idemque homo & conciliator hominum ac Dei; Deus ante initium cum Patre, Deus sine initio cum Patre, Deus qui fuisti in principio cum Patre, ideoque & ante principium fuisti cum Patre, Deus fortis cum Patre, Deus exercituum cum Patre, Deus victor & bellator noster, Deus pacis nostræ autor, Deus cordium inspector, Deus vindex veritatis; qui cum tota Sacræ Trinitatis majestate, viuos

aliquandomortuoſque judicabis; cujus verbum pacis, iræ inſtrumentum, cujus ſacramenta charitatis, odii ac furoris ſacramenta fecimus, cujus vltimum legatum, pacem dico ac concordiam, proterue conculcamus; ſimultates illas, diſceptationes, ſtudia ac factiones, & cum iis metum ac pallorem, in Eccleſiæ, in Reipublicæ, in tranquillitatis noſtræ perduelles conuerte: neque patere, vt illæſi aduerſariorum armis, propriis ſeditionibus exhauriamur. donec feſſi tandem atque exangues, prædæ iis ſimus, quorum ſpolia cum laude noſtra adhuc oſtentamus.

ORATIO XVI.

Poſt abſolutum primum librum Annalium Taciti olim habita. in qua de mutatione Reipublica, deque Principatus initio agitur.

SI eodem modo oculos in pectus homini ad contemplandas res futuras indidiſſet Deus immortalis, quemadmodum in vultu claros quoſdam lucidoſque fixit, quibus, quæ ſunt ante pedes, intuemur; nihil eſſet opus prudentia. qua vt quiſque nunc excellit maxime, ita dignus maxime eſt qui imperet mortalibus. Cæterum, cum reliqua quæ homines mirantur, dignitates, Reſpublicæ ac Principatus, tanti ſint reuera, quantus eſt humanus animus qui illis præeſt; qui ſi ſapientiæ præceptis imbuatur, ſapiens vocatur, ſi experientia lon-

goque vſu conſecutus eſt prudentiam, ab ea quoque nuncupatur; danda eſt opera, vt quæ via maximo ad eam nos compendio deducit, eam inſiſtamus. ne, pro ſapiente ac prudente, erronem animum atque emanſorem habeamus, qui cum diu fruſtra laborauerit neque quicquam fecerit compendii, deſertor tandem fiat, & confectus tædio, ignarus rerum omnium e vita excedat. Quare, quemadmodum qui longum iter ſuſceperunt, ducem viæ ſibi eligunt, ne temere aberrent: ita nos ſuperiore anno Caii Cornelii Taciti, ſcriptoris maximi, Annales delegimus, quem prudentiæ ciuilis ducem ac magiſtrum unicum eſſe arbitrabamur. Nec decepit nos augurium profecto. Ea legimus, audiuimus, didicimus ac annotauimus, quæ prudentiæ ipſius manibus conſcripta, & in vſum omnium, ſub teſte publico, literarum monumentis conſignata videntur. Nam cum reliqui Hiſtoriarum ſcriptores, quod a Plinio præclare dictum eſt, nihil præter ſanguinem & cædem Annalibus condiderint, res geſtas, mores hominum ac vitas exponant, veritatem denique narratione ſola profiteantur, fidem autem tanquam auri maſſam lectoribus appendant, & in eo toti ſint: Cornelius hic noſter, ita veritatis rationem habuit, vt vſum quoque adjungat: rerum ſucceſſus examinet: ipſas cauſas ad amuſſim rationis exigat: præterita, quod

quod eſt Hiſtorici, commemoret, vt futura, quod eſt veri ſapientis, excutiat. Nam, ne quis profanus ad autorem tantum & ſublime hoc pectus veniat, narro vobis, Auditores, non ab eruditione triuiali, nec a pulpitis Grammaticorum aut ineptis Rhetorum commiſſionibus, ſed a ſenſu rerum humanarum ac contemptu, a profunda ſapientiæ inueſtigatione ac cura, quam tum Stoici profitebantur, ad Hiſtoriam ſcribendam Tacitus deſcendit. Scripſit eam ſenex, & præſertim, luculentos hos Annales, ſcripſit eam, cum judicium formaſſet, cum immenſa quadam omnium ſcientiarum abundantia ac fruge, pectus inſtruxiſſet: cum jam eſſet veritati locus, nullum precium mendacio. &, quod ego primum duco, cum affectiones animi ac perturbationes, aut mitigaſſet ætas, aut viciſſet ratio. Quare, ſicut illi qui in balneum deſcendunt, veſtes prius omnes ipſam quoque interulam & quicquid corpori eſt proximum deponunt, & in ſpoliario relinquunt: ita ille perturbationes omnes, quarum, vt in limine teſtatur, cauſas procul habet, antequam narrandi faceret initium, ex animo abjecit. Quamobrem, vt hæc duo, quæ ſunt maxima in ſummo homine, conſideremus, prius de prudentia illius, ex ſuperioribus quæ audiuiſtis, tum de ſapientia vitæque eius inſtituto, obiter commemorabimus. Prudentia vt magis in

oculos incurreret, quæcunque digna obſervatione videbantur, in axiomata, certaſque regulas digeſſimus. quæ vt ſunt breuiſſima ac facile memoriæ inhærent, ita longam cogitandi materiam in auditorum mentibus relinquunt. Nam quemadmodum in ſupellectile eam commodiſſimam quæ mole ſit exigua & vſibus expoſita, aiebat Socrates: ita mihi quæ a Tacito dicuntur, optime in animum reponi, &, cum eſt neceſſe, promi poſſe indidem videntur, ſi in certa capita ſententiaſque & effata quædam ac oracula conjicantur. quam prudentiæ medullam jure aliquis vocauerit. Sed vt ab Auguſto, quod jam ante factum eſt à nobis, iterum incipiamus, quis non admiretur, cum tam multi ſint ſcriptores, qui & copioſe, vt eorum ratio ferebat, & inprimis luculente, mores eius Principis deſcripſerint & vitam, tamen quicquid dici debuit de illo, vnum Tacitum & delibaſſe patiter & abſoluiſſe. Ita enim judicat de ejus fine, vt præcipuas exponat artes, quibus ad imperium peruênit: quæ lectorem ſola docent, ſola, quomodo a tanto libertatis ſtudio, ad tantam ſeruitutem Populus Romanus ſubito dilapſus fuerit, in ipſo aditu oſtendunt. Niſi forte aliquis prudentiæ ciuilis ſtudioſus, ſcire malit, quæ & quanta bella, maximus hic Princeps, quos triumphos geſſerit; vtrum breuis in dicendo an diffuſus fuerit,

ſeruos

seruos quos habuerit & quales, equites an primus an post alios transuexerit, vbi natus fuerit & expirarit, (quæ non desunt qui & fuse satis & facunde persequantur) quam quo pacto, Principum vaferrimus, paterna nuper cæde admonitus, quicquid bello partum fuerat a populo, ne excepta quidem majestate, quæ in sinu & manibus multorum erat, sine bello callidissime in se transtulerit. idque sensim, & per gradus suos numerosque, quod ajunt. Vt per ipsas Reipublicæ difficultates, ad commoditates Regni peruenirent, & augustum illud majestatis nomen, quod post Deum immortalem paginam vtramque facit, quo terrarum orbis tum continebatur, interuerteret, nihilq; præter nomen ejus, & inanem speciem antiquis possessoribus relinqueret. Quamdiu recens erat Cæsaris memoria, qui Pompeio in Ægypto, Crasso apud Parthos victo atque extincto, solus, vi aut callide, Rempublicam inuaserat, pietatis nomine atque obtentu, (ita enim autor noster loquitur) bellum cum Antonio suscepit. cujus Martiam & Quartam legiones, cum largitionibus prætenderetur pietas, corrupit & ad se pertraxit. Illa pietate Ciceronem primo, mox Senatum, eius ope, expugnauit. Cui vt placeret, pius ille, si Dîs placet, vindex Cæsaris atque vltor, Pompeianus quoque dici voluit: vt qui nihil in parente, præter seruitutem Populi Romani & impe-

rium amaſſet. Pro prætore ergo a Senatu Panſæ Hirtioque additus, ad Mutinam Antonium debellat: quod cum ſatis eſſet Patribus, ambitioſo parum, Conſulem vtrumque (quod cum paucis Tacitus obſeruat) clam & fraude interemit. Alter quippe juſſu eius a Glycone medico extinctus, alter a militibus in acie, eodem imperante, cæſus credebatur. Vt Antonio fugato, orba dignitatibus Reſpublica, exercitum inuaderet. Quo ſucceſſu cum maiores ſpiritus ſumpſiſſet, neque paruam majeſtatis partem in lictoribus & virgis circumferret, ſocium imperii, non armis (vnum quippe adhuc timebat) ſed ſocietate ipſa expugnandum judicauit. quem, cum Lepido Pontifice, qui neutri par eſſet, ad triumuiratum inuitauit. Donec Caſſio Brutoq; cæſis, partes tantum Julianas, hoc eſt ſuas, reliquas videret. quibus facile imperium eripuit, quod, vt ſolus aliquando imperaret, illis pro arbitrio conceſſerat. Itaque, cum nihil jam deeſſet quam prætextus, ne hic quidem potuit deeſſe. Sua erga Lepidum ferocitate, ſua Antonium libidine euertit. Sola jam Reſpublica ſupererat: quam vt fractam bellis atque exhauſtam, magis etiam attraheret, militem donis, populum annona, eos, qui plus poſſent, ſuauitate pacis & dulcedine, Senatum honoribus, Prouincias calamitate temporum, & Præfectorum tædio, in ſe pertraxit. Primum procœmium & initium

majoris

majoris ſpei, idem Conſulatus fuit. quem jam ſine vllo populi ſuffragio, cum vellet, aſſume-bat. Hoc munitus, quid non a Senatu poſ-ceret aut impetraret? Reſtabat Tribuna-tus: cujus tanta olim vis, tanta, vt ex Livio apparet, ſalua libertate fuerat autoritas, vt nec jure Conſulari nec decretis, teneretur; Con-ſuli ejuſque poteſtati in Republica oppoſitus, primumque eo fine inſtitutus, vt oppreſſa po-teſtate nimia libertas, contra dominationem munimentum ac præſidium haberet. Hunc qua ratione, tum Patricius inuaderet tum Conſul? Poteſtatem Tribuniciam concedi ſibi petiit: vt videlicet afflicta ſtudiis potentiorum plebes, contra pauciores, quorum factione ac opibus opprimebatur, ſalua atque incolumis maneret. Ita Sacroſanctis legibus, ita Tribu-nicia religione, ita populi fauore contra po-pulum armatus, non ſupremam modo pote-ſtatem, ſed, quod pauci capiebant, robur & ſe-curitatem Conſulatui circundidit. Quod ſi Iu-lius excogitaſſet, nunquam Dictatoris nomen, a togata factione oppreſſus, ſuo ſanguine in cu-ria luiſſet. Iam Tribunus, jam cum vellet Con-ſul, & collega cuius vellet, jam ſupremus Pon-tifex poſt Lepidum, aliis honores, ſibi rerum o-mniũ impunitatem conferebat. Nomen adhuc deerat. quod ne graue aut inuidioſum eſſet, ab extrema libertate accerſendum erat: vt haberet quo ſe oblectaret populus. Regem dici non

expediebat: quod Tarquinius multorum adhuc inhæreret animis. Dictatorem multo minus: quod parenti ejus, cujus & in gentem & fortunam adoptatus erat, tanto nuper constitisset. Primo igitur Senatus (siquidem hoc gratum stante adhuc Republica & vsitatum erat) mox terrarum Principem vocari se passus est. Hæc ad mentem Taciti, ni fallor: quam in tanta breuitate pauci vident, pauci assequuntur. Iam Tiberius, cum suis partim, partim matris artibus, spe & loco omnes, quos hæredes potestatis tantæ destinauerat Augustus, submouisset, quibus artibus succedit? Testamentum Cæsaris, mandato ejus in Senatum infertur: quo Tiberius ex parte hæres & Senatui clam dominus relinquitur. qui præsidium imperii inuadit, vt imperium impune recusaret: vt sub ista larua, mentes, studia, ac voluntates singulorum exploraret. In Senatum ergo venit, sed Tribunus potestate. Ita nomen illud, quod in vrbe intactam & illæsam conseruarat libertatem, seruitutis iterum fit inuolucrum & occasio. Renuere interim imperium, vt nihil, præter vires regni callide vsurparet: cætera Senatui deferre: orare, obtestari Patres, ne se, quibus par non esset, onerarent: solam Principis Augusti mentem, jam receptam cœlo, dignam esse visam Diis, quæ in terris vice eorum fungeretur: idque se in partem oneris adhibitum, experiundo didicisse. Quare, ne in ci-

in ciuitate tot illustribus subnixa viris (vt vel eius vel autoris nostri verbis vtar hîc) ad vnum omnia deferrent. Atque hæc ille, aliaque id genus, mente & instituto suo aliena, in Senatu differebat, donec (ô indignum nomine Romano & pudendum facinus!) ordo ille, cujus dignitate ac confessu nihil Sol augustius videbat, cujus placita terrarum orbis capite summisso adorabat, quem propugnatorem Reipublicæ, custodem libertatis, majestatis præsidem, fortuna Populi Romani constituerat (quod nec siccis oculis vidisset Annibal) cum lachrymis, cum precibus, ad pedes ejus prouolutus, seruitutem posceret ac flagitaret: hoc est, vt imperium susciperet, tyrannum dominumque supplex obsecraret, ac ne impetraret quidem. Adeo in alto abditoque spes & vota sua recondiderat hoc monstrum. Quippe callide ambitiosus, & ambitiose callidus, Germanicum timebat, tot ac tantis præditum virtutibus, quot vel hominis natura recipit vel perficit industria: quem præfectum legionibus, gratum populo, militi dilectum, imminere sibi ac incumbere credebat. Igitur dum in Senatu cauillatur, sensus occulit, sententiam suspendit, verba singulorum aucupatur, lasciuire in castris miles, &, vt mos est ejus, in seditionem ex licentia, in furorem ex seditione verti: auersari Tiberium, extollere Germanicum: illius exsecrari arrogantiam: hujus

prædicare comitatem ac modeſtiam : huic aquilas & ſigna, &, ſi armis vti pro ſe vellet, principatum ac imperium deferre. Diſcant, qui prætextus Regni inuadendi, alibi nunc quærunt, majeſtatem ſic affixam eſſe cœlo, vt tantundem Deo ejus vindici, per ſacrilegium eripiatur, quantum temere priuati de autoritate ejus, ſiue palam & armati, ſiue clam & occultis factionibus diſcerpunt. Nullius enim Reipublicæ aut Regis ſatis magna eſt poteſtas, niſi major ſit autoritas. qua imperium aut ſtat aut cadit. Vt non male Plato, Regem eſſe humanum Deum, in Politico pronuntiarit. Tolle Dei reuerentiam in terris, nihil magnitudo eius, nihil proderit immenſitas : quæ contenta veneratione, captum ac ingenium mortalitatis non admittunt. Ecce imperium Germanico offertur, qui in manu vires ejus, octo legiones, tum tenebat. Princeps optimus, Princeps, a quo ſolo libertatem ſuam expectare Populus Romanus poterat, dignum judicat ſe morte, quia dignus Regno videbatur : quia peſſimo præferebatur. Quæ ſequuntur, maxima ex parte ad rem militarem ſpectant : niſi quod calliditate ſingulari in ſeditione illa egerit Tiberius. de qua puto meminiſſe vos quam multa annotarim. Nunc ad ſapientiam & inſtitutum Taciti priuatum veniamus. In Claudios, Nerones, ac Domitianos, non minores generis humani peſtes, quam inungratio-

dationes populorum, aut terrarum conflagrationes, autor noſter incidit. Præmia bonorum ſycophantæ jam inuaſerant, opibus & ſanguine innocentum alebantur improbi: Claudius vorabat totos dies aut ſtertebat: ſi quid temporis diſtento ſupereſſet ebrioque, ſanguinem bibebat: Nero vrbem incendebat: Capitolium Vitellius. ne quid ſanctum denique eſſet aut honeſtum, ſapientes relegabat Domitianus. Scripſit ea tempeſtate, qua ne loqui quidem fas erat, qua flagitium aut crimen majeſtatis, (iterum miſeriam hic ſeruitutis obſeruate) quicquid ante ſtudium aut amor habebatur. Quid egiſſe, Adoleſcentes, Tacitum interea putatis? Idem hercules, quod Seneca, quod Pætus, quod Senecio, quod Mauricus, quod Ruſticus, quod cæteri illuſtres illa tempeſtate viri. qui, cum patriæ calamitatem deplorarent, ad ſupremum uſque ſpiritum, quem illis maxima ex parte eripuit crudelitas, quia libertatem jam ereptam amplius non poterant, ſapientiam colebant. Perſuadebant ſibi, perſuadebant aliis, præſtare, in mendicitate, in exilio, in morbis, in equuleo & ignibus verſari cum virtute, quam ſine ea Populo Romano imperare. Oſtendebant, more Stoicorum, ſapientem, etiam in cruciatu ac tormentis, lætum cum virtute ac beatum eſſe poſſe. Iis quæ non ſunt in poteſtate ejus, tangi quidem, ſed non commoueri. Quamdiu

diu animo consistat, etiamsi fractus capiti incumbat orbis, sui similem futurum. De natura disputabant & æternitate animorum. de contemptu mortis disputabant, quam quotidie ante oculos videbant, aut subibant ipsi. Fortitudine, constantia, ætatum omnium exemplis, sed inprimis suæ, indurabant animum atque obfirmabant. Sequebantur Epictetum (at quem virum!) qui eodem tempore, cum domo barbarus, conditione seruus, corpore esset claudus, multis libertatem contulit quam non habebat. Quippe quam sic spirant ejus scripta, vt qui diligenter ea legat, nihil ei pileo aut raso capite sit opus. In exilium ejecti, quod plerisq; tum euênit, vniuerso aëre & cœlo Patriam circumscribebant. sub quo quamdiu versarentur, domi esse se existimabant. Disputabant inter se de Deo, quis & quantus ex opinione Stoicorum esset: de principiis, de mundo, de sideribus errantibus & fixis disputabant; vt intenti ista contemplatione, a furore tyrannorũ, ac calamitate sæculi abducerentur. Sæpe Cassios & Brutos, veros illos libertatis vindices, postremos illos Romanorum, loquebantur inter se atque extollebant: sæpe & memoriam eorum & natales celebrabant: sæpe pugiones illos extollebant, qui supremum libertati ictum commodassent: nisi quod feciissent Diuos, qui vix homines fuissent. Nam & Claudius jam inter istos habebatur: cujus plus

plus quam pecudis ſtuporem, illi quoque, quamdiu ſupereſſet, illudebant, qui crudelitatem nunquam fuerant experti. Interdum alte ac viriliter Romanæ ingemebant ſeruituti: non cum vlulatu aut imbelli ac fœmineo plangore, ſed cum indignatione. quale eſt tonitru irati Iouis, quoties non laxat cœlum ſed impellit. Cæterum, vt primum poſt hanc ſanguinis humani tempeſtatem, poſt hunc publicæ crudelitatis nymbum, cum jam Nerua ac Traianus, principes præclari, libertatem vrbi, ſæculo felicitatem, diſciplinis Patriam ac locum reddidiſſent, in apertum viris magnis licuit prodire, venit quoque in publicum hic noſter. qui vigore ac ſpiritu inuſitato, altam atque æternam peſſimis Principibus infamiam circumdedit: libertatis vero ſenſum, cujus bonum ineffabile ac immenſum ſolus ſapiens agnoſcit, tanquam ſtimulos ardentes, magnis animis admouit. Quos & vos, ſi viri eſtis, potius quam verba aut minutas obſeruatiunculas, ex diſciplina noſtra domum & ad veſtros referetis. Cum prudentia jungamus ſapientiam, antiqui temporis hiſtoriam cum noſtra. Habet & hoc ſæculum quod doceat: ad quod niſi referantur vetera, non ſatis proſunt noſtra. quia vſu atque exercitatione ea quoque fieri oportet noua. Videamus quid pro libertate geſſerint majores noſtri, quid qui hodie ſuperſunt. Supereſt, ac diu ſuperſit Venetorum

torum Optimatum ſtatus ac potentia: qui pro iſta ac pro Chriſtiana fide plura mari, plura hactenus geſſerunt terra, quam aut Græci fabulantur, aut Romani fide annalium complexi ſunt. qui, cum tot eximia virtutum ac æterna dederint exempla; longe plus eſt, quod ad libertatis ea curam contulerunt: ſine qua nec exerceri iſtæ poſſunt. Eos imitemur: (&, ô Deus, propius jungamur aliquando!) Pætos, Senecas, Cremutios, ac ſimiles heroas imitemur, qui ætate Taciti vixerunt: quorum parem vitæ exitum deſcribit. Iuro vobis, ea tempora videtis, quibus animum conſtantibus firmare exemplis expedit, quibus vndique libertas oppugnatur. nec tam armis quidem, quæ elidi ſanguine aut vitari poſſunt, quam occultis artibus ac pace. quæ plus nocent, cum ex hujus odio naſcuntur. Omnia turbata eius cauſa & commota ſunt. Alii tentantur, alii jam jacent. Gallia ſuorum manibus euertitur. Ille flos orbis, illa ſedes elegantiarum; in qua olim Hoſpitalii, Cuiacii, Fernelii, Turnebi, nuper adhuc Caſauboni, nata ad æternitatem lumina, vigebant: in quam Rex Franciſcus, nunquam ſine horrore quodam & religione nominandus, ſuis opibus & copiis, errantes toto orbe Muſas conuocarat; nunc ſuorum ſtudiis expoſita, jugulum infelix ac ceruicem, hoſti ſuo pariter & noſtro, præbet: nunc tot hoſtibus objicitur, quot alumnos olim

olim habuit. O Patria, ô Divûm domus! O Henrici vulnus toto Regni pectore receptum! cujus ictu toties confoditur, cujus in cruore adhuc natat,& quotidie singultat. Alibicertamen de religione, a sagacitate nimia & curiositate, ad acerbitatem animorum, ad Ecclesiarum, imo Rerumpublicarum, vulnera peruênit. Atque hic equus (mihi credite Auditores) ligneus ille Ilienſis est. In quo, non Vlysses vnus, sed milleni, non tam jacent, quam occasiones suas præstolantur. E quo simultates,odia, delationes & calumniæ bonorum, tanquam e putredine insecta, nascuntur. quæ tam hosti prosunt, quam in bellum nos ciuile abripiunt. Fugiunt ad ista infelices literæ, fugit sapientia & eruditio: quarum candidati, qui jam pauci sunt relicti, curam gloriæ ac nominis ex animo abjiciunt, & in partes has aut illas, quatenus id expedire credunt,abripi se patiuntur. Erigit me tamen & attollit,summa virtus & prudentia illorum, quibus in Batauia incumbit, ne quid detrimenti eruditio aut publica res capiat: quos honoris nostri causa hic præsentes intuemur. Erigit me vultus vester, Viri Magni, qui huc audiendi nostri causa, alia ex vrbe adueniſtis. atque inprimis tuus, Illustrissime Legate, qui quocunque in loco pedem ponis, magnam majestatis partem publice circumfers. cuius ea eruditio est, is in summa eruditione sem-

per

per aliquid discendi ardor, vt conuicium ætati tuę facias, in qua tam pauci capiunt aut vident instrumenta maximæ fortunæ, sapientiam & eruditionẽ esse. Nos exemplo vestro excitati, cæteros ne quidem intuebimur. Nos a te, Corneli, vnicum prudentiæ oraculum, ac robur, præter hæc ciuilia quæ singulis diebus monita ex te haurimus & præcepta, veræ ac robustæ sapientię exempla petemus. Quicquid olim gloriæ & posteris impendebatur, nunc in animum eiusq; curã reuocabitur. Eum, tanquam arcem quandam vndique obsessam, contra sæculi calamitatem, lectione tua & constantia firmabimus. Pereant vbique literæ aut contemnantur: quanta vnquam fuit orbem barbaries inuadat: redeat antiquum chaos, redeat antiqua illa omnium scientiarum vastitas ac ignorantia: nihil dignitatis sapientiæ aut eruditioni relinquatur. Ego sorte mea & ingenti inuolutus animo, quẽ nec spes mouebit loco nec ambitio, vnius conscientiæ fiduciam amplexus & integritatem, tanquam in naufragio extremas tabulas, contra hominum judicia consistam. Et munitus illis studiis ac fretus, quæ me, vbi visum erit, ab his cogitationibus abducent, in ætatum omnium ac sæculorum, quorum vastam quandam ac profundam recordationem aperit Historia, contemplationem me immergam: quantum est vbique spatii in antiquitate tota, mente occupabo: chartis veterum libris-

que

que me inuoluam : dabo operam, vt multa quæ geruntur, tanquam in extremo orbe positus, non videam, non audiam, non quæram, non intelligam. denique, si nihil aliud potero, sapientiæ præsidio stipatus, aulam ex hac cathedra & curiam conficiam. Nam, vt templa, non parietes & signa, sed Deorum immortalium constituit præsentia, neque in regia spectatur quicquam, præter majestatem ejus a quo nomen ac religionem habet: ita locus ille maxime est augustus, in quo magnus animus & supra res humanas positus versatur.

ORATIO XVII.

De C. Cæsare Dictatore, cum illius Vitam in Tranquillo expositurus esset, habita.

QVod non raro euenire iis, Auditores Nobilissimi, consueuit, qui in cæco aliquandiu horridoque carcere, inter miserorum gemitus ac lachrymas egerunt, vt, egressi, libertatis voluptate ac contemplatione lucis, quoquo oculos conuertunt, animum explere nequeant, mihi pariter ac vobis euenire existimo. Legem Majestatis & interpretationes eius, vltimam euersæ libertatis pestem ac calamitatem vidimus. Inter Tiberios, jam annos aliquot, Caligulas, ac, generis humani probra & incommoda, Nerones, egimus: inter carceres, proscriptiones, sycophantas, ac bonorum neces & exilia, versati sumus: nihil

prope, præter ſanguinem ac lutum, in ſcriptore nobiliſſimo tractauimus. Imbuerunt nos cruore ſuo Druſi, Plauti, Sullæ, ac poſtremo, ne quid amplius deeſſet, Senecæ ac Thraſeæ: viri, quibus ætas illa aut antiqua, nihil majus vidit, nihil ſapientius. Reſpirate paulum, Auditores, & imperio Romano, homines mitiſſimi & ad virtutem geniti, hoc date, vt, quemadmodum extremam ſeruitutem mecum peruidiſtis, ita nunc ad finem libertatis, quem præclari quidam viri, ſed ambitioſi, inuexerunt, animum ac mentem conferatis. Qui naturam fluminum cum cura inueſtigant, atque inprimis, qui de Rege fluuiorum Nilo, longitudine eius, latitudine, profunditate, curſu, inſulis, fragore, catadupis, incrementis, limo ac fœcunditate diſputarunt, vnum illud maxime egerunt, vt in cujus admiratione partium ac operum defixi eſſent, ejus fontes ac originem, tot ſæculis tot Regibus quæſitam, explicarent. Qui plantarum rationes excuſſerunt, ad radices arborum ac florum libentiſſime deſcendunt, vt ex iis cauſas ſurculorum quoque ac foliorum, quæ natura oculis exponit, rimarentur. Idem homini Politico, Adoleſcentes, in Hiſtoria agendum eſt. Vt inſignes in Republica mutationes ac conuerſiones ſolide rimetur, ad originem ac fontes aliquando veniendum eſt. quos, ni fallor, omnium quæ audiuiſtis, in virtute partim, partim hujus Principis

cipis ambitione, jam habebitis. Quem qui prouexerunt, primo libertatem, mox paulatim, ſpem quoque ejus, cum jam eſſent qui ſeruire didiciſſent, ſibi poſteriſq; præciderunt. Cæterum, quemadmodum e pulſu ac venarum Medici momentis, de ſalute ægri judicare ſolent, ita de Republica ejuſque valetudine, ex ambitione ſingulorum judicandum eſt. Quam in iſto homine, aut monſtro potius, vt Tullius de eo loqui ſolet, maximam fuiſſe conſtat. Vix admotus ad Rempublicam cum Lepido, cum Craſſo, cum Piſone, Sulla, ac Antronio, de ſtatu Reipublicæ mutando cogitauit. colonias Latinas, de petendo ciuitatis jure agitantes, ſpe nouarum rerum, clam accendit. Conjuratione Catilinæ, pars ac forte dux eorum qui Rempublicam ſollicitabant, leuibus ſententiis, a Cicerone interceptos, callide protexit. Spe eadem, & vt Craſſo par aut prior eſſet, generum Pompeium ſibi e Republica delegit. Cujus copiis, autoritate ac ope, Galliam, vt noſter notat, Ciſalpinam, ac Illyricum, provincias accepit. Neque multo poſt, imperium ac poteſtatem, prorogari ſibi, præter conſuetudinem, curauit. Qua occaſione, non jam clanculum, vt ante, ſed maiore vi ac publica graſſatus, Galliam, Germaniam, Britanniamque aggreſſus, hoſtes nominis Romani, ferro; aduerſarios, ſi quos haberet, comitate, populum ac plebem, liberalitate ac muneribus

neribus, prouinciales quotquot essent vsquam, incredibili humanitate ac officiis subegit. quo aduersus libertatem, & pro potestate vnius, omnia iam obtinebat. vt iam solus posset quicquid vellet, nisi quod dissimulare ad speciem interdum mallet quantum posset. Sæpius, vt magnæ solent animæ, elatus adhuc, aut illudens iis per facetias subinde, qui initio secordes aut attenti parum, ferre ista aut dissimulare cogerentur. Tanto animo ac vi munitus, Rubiconem pariter ac leges transmigrauit. & vt totam semel pacem Reipublicæ ac libertatem expugnaret, copias Pompeii in Hispania dispositas inuasit. Hinc triumphi, quot & quantos vellet: quos, vt, verbo quidem & prætextu, Patriæ, de Gallia, Hispania, Ægypto, Africa ac Ponto, ita re profecto, de Republica ac populi fatuitate, magnus imperator celebrabat. Hinc comitia paulatim sibi vindicare: partem, sed exiguam, & qualem apud Græculos in fabulis Prometheus Diis cæteris relinquit, populo concedere adhuc, aut, vt vere dicam, ostentare. Vt sic tutius ac sensim, contra optimates & pro plebe, quæ non nihil adhuc posset, prorsus vt in mimo ac sub larua, seruitutem, sine armis ac cum libertatis specie, volentibus induceret. Quod vt consecutus est, post multos Consulatus, vnum ac continuum, cum Dictatura simili ac præfectura morum, vel admisit vel extorsit.

Magi-

Magiſtratus, quibus vellet & in annos plures; ciuitatem, Gallis quoque ſemibarbaris, quos iam obſtrinxerat, donare. Ac poſtremo, cum autoritate omnes exceſſiſſet, cœli reuerentiam ac maieſtatem, ex Pontificatu in ſe deriuare. Cuius ope, honores, non humanos modo, ſed diuinos quoque, (ſedem auream pro tribunali & in curia, cum templis, aris, ſimulachris, puluinaribus, flaminibus ac ſacerdotibus,) decerni ſibi paſſus eſt. Quo vt per ſegnitiem ac negligentiam, eorum partim penes quos Reſpublica tum erat, partim ſua ſibi propria calliditate ac prudentia euectus eſt; ita omnibus virtutibus, clementia inprimis, liberalitate, ac humanitate ſeptus, niſi cum pernicie ac detrimento publico, moueri loco ac imperio non potuit. Et putatis, vnum, Auditorẽs, Bruti ictum, aut ſexaginta coniuratos, tot tantiſque malis, quæ paulatim vel contracta vel neglecta fuerant, mederi potuiſſe? Poëtarum iſte ludus eſt ac oratorum, qui, cum libertatem, ſeruitutis iam pertæſi, celebrarent, cauſas eius, quod politicis incumbit, non intelligebant. Ex hoc ſanguine, ex hac victima, quam libertati, Caie Caſſi, Cimber Tulli, cæterique ſeruitutis hoſtes, tum mactaſtis, ex hac ipſa cæde ac vulneribus, Tiberii, Caligulæ, Nerones, ac Domitiani, prodierunt. Non enim cæde in Republica vnius, ſed prudentia multorum, ipſis oſſibus viſceribuſque Rei-

publicæ recepta ſeruitus, auertitur. quæ cum ordinis totius negligentia, non vi vnius, iam amiſſa eſſet, ne vnius quidem morte reparanda fuit. Pace libertatis, in qua Belgæ nati ſumus, pace tua, Marce Brute, hoc dixiſſe fas ſit: maieſtate ac legibus tyrannus a Republica, non gladio, arcendus eſt. Quod in Regibus Spartani, in Prætoribus Athenienſes, Populus Romanus, priſcus ille ac libertatis tenaciſſimus, in Dictatoribus ſeruauit. Adeone vobis nullæ, quæ de maieſtate, quæ de vi ac perduellione, quæ de ambitu cauerent, relliquæ iam leges erant? quas cum violari poſſe conſtat ſerum eſt tueri. Quid? adeone nulli erant Bruti, Cato nullus, nullus Caſſius in ciuitate, cum rogationem Plotiam, Tribunus militum, clam impetrauit? aut, cum Quæſtor, Gallos Tranſpadanos, ad res nouas callide accendit? aut cum leges Syllæ, poſt ædilitatem publice perlatas, nihil aliud quam iudex additus prætori, abrogandas cenſuit, curauit? Aut cum Q. Catulum non multo poſt, Iſauricumque, in ſuis ſibi quoque tribubus, largitione ſuperauit? vt aduerſus leges ambitus, Calpurniam inprimis, Pontifex, ſi Diis placet, maximus, poſt matris oſculum rediret? Quid, cum Catilinæ furias vel aluit, vel in Senatu aliquid pro libertate audentes, terruit, atque ad ſententiæ mutationem, præter conſuetudinem, adegit? Quid, cum motus ac veſaniam Cæ-

cilii

cilii Metelli, qui Tribuni potestate Optimates ac Rempublicam turbaret, fouit ac protexit? Quid? cum consul Bibulum ex more obnunciantem, armis, foro, ac collegio ejecit? Quid? cum L. Lucullum, magnæ dignitatis hominem, haud secus ac vilissimum mancipium, ad sua sibi genua prouoluit? Vbi vero tua, Marce Cato, grauitas, seueritas, ac rigor? vbi pondus Stoicum ac supercilium immobile atque inuictum? vbi ingens illa anima, quam libertati victimam seruabas, tum latebat, cum e curia euulsus, ad arbitrium vnius atque imperium, in vincula conjectus, stationem atque autoritatem publicam deseruisti? Nam tot Brutos extitisse, quot hæc ferrent, nemo quidem dubitabit vnquam. Adeone nihil vos sensisse, neque cum agrarias, quod tribunorum erat, consulatu suo promulgaret leges? neque cum Pompeio Crassum, & vtrique se adjunxit: vt quod tres pronuntiarent in Senatu, lex Romanæ Reipublicæ ac fatum esset? Nihil, ne tunc quidem, cum defunctus consulatu, L. Pisonis, consulis jam destinati, filiam vxorem, duxit: vt cum magistratum non auderet, potestatem ejus anno quoque altero, in socero continuaret? Nihil, cum Vatinium, quo nihil inquinatius tum Roma habuit, ambitionis suæ instrumentum fecit: cuius lege, in prouincias quas vellet, ac stipatus quibus vellet, se conferret? Nihil, cum ad legiones

designatas, alias priuato sumptu ac consilio adjecit? vt quod legibus non posset, vi ac manu impetraret. Nihil (nam hoc propius, ni fallor, vos tangebat, cum vxores vestras, non tam ad lubidinem ac voluptatem, quam ad dominationis vsum, magnus artifex, corrumperet ac expugnaret? Inter quas & tua Pompei conjux, vt & tua, Crasse; tua autem, Marce Cato, soror, eademque tua, Marce Brute, mater, prædicatur. qui cum proauos, & nescio quos Brutos, cogitares, qui simplicitate æui sui, cum, Tarquinio excepto, nihil in Repub. pollutum aut corruptum esset, felicissime ac fauente populo tyrannum sustulissent, adeo corruptis moribus id ausus es, vt sanguinis necessitate in Republica aduersus dominum obstrictus, vix sine parricidii suspicione id auderes quod non posses. Quod si leges nullæ, nullæ saltem ea tempestate artes erant, quibus M. Manlius, seruator Reipubl. ac libertatis, quibus Gracchus, quibus Saturninus, populi fautores omni ab ætate maximi, autoritati eius vniuersæ atque inuidiæ obiecti sunt. Nulli calles muniendi tum restabant, nullæ syluæ, quibus Consul olim, ne quid in Republica moueret, cum collega simpliciſſimo præfectus est? Cæterum, quemadmodum qui ære alieno mersi latent, nomina non ante sentiunt quam obruuntur, ita pauci libertatem tolli vident: quæ amissa semel, frustra vindicatur. Et, quemad-

modum

modum Sophistæ, qui argute callideque disputant, concedi quædam sibi postulant nonnunquam, quæ non nisi eruditus sua interesse sentit vt distinguat, aut omnino neget; quia ex his cætera sequuntur: ita in Republica eueniunt non pauca, quæ cum ideo quod singula eueniunt, & quia leuia videri solent, negligantur, vniuersam trahunt aut euertunt. Quæ per imprudentiam conuersa, qualis esse cœpit, velis nolis, ad posteritatem transit. Nihil ergo aliud effectum est a vobis, quam, vt essent, qui sublatum vindicarent, quam, vt essent, qui post obitum in cœlo inter Deos immortales, publica autoritate collocarent: vt postremo, quod non leue in Republica ac libertate arcanum, Auditores, est, extarent, qui admissæ semel seruituti, contra libertatem ac communem omnium salutem, dignitatem ac autoritatem commodarent. Ex Politicorum, nisi fallor, libris pridem didicistis, non in Populari tantum sed & Optimatum statu, pro æqualitate partium, ab iis quorum interest inprimis, vigilandum esse. Quæ non dignitates modo nimias ac opes, sed nobilitatem, aliaque id genus, ac, si libere cum Aristotele dicendum est, virtutem quoque nimiam excludit. Nam vt cætera virtute comparantur, cuius opera facillime ab Optimatibus ad Regnum, ita specie virtutis quolibet, inprimis autem ad tyrannidem, facillime a Regno peruenitur. Est

enim animal mutabile homo, &, si sub virtutibus aut lateat ambitio aut fallat, sibi proximum ac maxime intentum. Iam in Cæsare, quæ virtus, ô Dii boni! qui ac quantus vigor fuit animi, quis ardor, quæ velocitas, quæ animi inuicti magnitudo, quanta in dicendo ac scribendo vis ac copia? Vt sublimitatem ejus, omnium quæ cœlo continentur, igne quodam mentis proprio capacem, merito ac suo sibi jure scriptor maximus commemoret. Ad ingenii velocitatem, generis nobilitas ac splendor accedebat: quam a Regibus ac Diis, vt persuasum omnibus volebat, immortalibus ducebat. Accedebat virtus militaris tanta, vt in libertate ad præscripta ac mandata aliena natus, magno tamen Alexandro opponatur. Quæ virtutis eminentia, vt iis, qui æqualitatem amant, maxime suspecta esse solet, ita, nisi legibus frænetur, nunquam vnum aliquem e multis, supra reliquos extollit; nisi ea lege vt cæteros euertat. Cujus causa varias prudentes in Republica, inprimis Optimates, machinas ac artes cum judicio excogitarunt. Nam aut semel talibus honorem quenquê, vel breuissime ac raro, legiones autem & vim militarem, nisi cum necessitas id cogit, ac pro tempore, indulgent. Quibus ita bellus ille pusio ac nepos Veneris, cum minime id expediret, annos aliquot est vsus, vt a dignitate ad arma, ab istis ad imperium, de quo paulatim cogita-

cogitabat, peruenirent. Illud vero, Auditores Nobiliſſimi, ante omnia obſeruant, Neque negligenter tales ad ſupremam euehendos dignitatem, neque ſubito mouendos eſſe. ne ad dignitatem ac potentiam, quam ipſi detulerunt, deſperatio accedat, quam in manu amplius non habent. Sed & dandam eſſe operam, ne qui per ſe excellunt, talium affinitatem aut ſocietatem e proceribus aſſumant. Itaque hoc agunt potius ac moliuntur, vt ſi vnus plus in libertate poſſit, clam diſcordiis ac æmulationi cæterorum exponatur. quo occulte & in fraudem ſuam ſine cæterorum detrimento ruat, qui imperium in cæteros affectat Quæ ſic omnia ab Optimatibus neglecta ſunt in iſto, vt non conniuiſſe reliqui, ſed dormitaſſe in Republica aut ſomniaſſe videantur. Nam & ſæpe ad plures & præcipuos e magiſtratibus admiſſus eſt. Tum, quod omnem ſuperat ſtuporem, eos quoque qui viciſſitudine æqualitatem continebant dominationis, non ad tempus modo, ſed perpetuos, vt Dictaturam, Conſulatum, ac Pontificatum, geſſit. Iam qui ſenſim, qui paulatim, ſed ſine omni cura quæ in iſtis adhiberi ſolet, ad ſuprema quæque, ardentem laudis ac ambitionis ſtudio pertraxerant, momento dimoueri poſſe exiſtimarunt. Quaſi ſpiritu vnius hominis ac vita, non totius Reipublicæ contagione ac morbo, ſeruitus recepta niteretur. Vt qui aliquid ſublime,

lime, aliquid fatale ac diuinum hic non videt, nihil præter ignorantiam exſculpat. Accedebat rigor nimius Catonis, qui in fæce Romuli, non in Platonis aut Chryſippi ciuitate, natum ſe oblitus, diſciplinam ac ſeueritatem, quæ non niſi ſalua ac incolumi Republica, de qua ante omnia tum cogitandum erat, locum obtinere poteſt, animoſe nimis defendebat. qui dum Regem, qualem Stoici depingunt, voluit animo ac verſat, aliùm, qui ſerio hoc ageret, Reſpublica accepit. Accedebat Marci Tullii, qui inter partes fluctuabat, metus primo, mox incogitantia inſignis. qui vir maximus, vt optime quid eſſet faciendum norat ac vbique occinebat, ita minime omnium tueri in Republica audebat. Qui, ſublato Cæſare, in locum eius feruidum adoleſcentem, nec ambitioſum minus, quamuis monitus a Bruto, calide prouexit. donec primus, ſed jam ſero, quibus emendandis par non eſſet deprehendit. Accedebat Conſulis Metelli rigor: qui, cum ſerum eſſet emendare quod neglectum erat, deſperatione inſuper audentem omnia armauit. Accedebat auaritia Æmilii ac Curionis: qui cum nullum niſi ex ambitione aliena cenſum inueniret, jus non modo ciuitatis vendidit Tribunus, ſed & juris ſpeciem, repulſus interceſſione, Cæſari ac bello dedit. Accedebant mores ciuitatis jam corrupti, accedebat ſeruirutis amor: qui poſt Sullæ dominationem

nationem altiores quam pro libertatis ſpe radices jam agebat. Accedebat popularis Marii in ciuitate factio, atque ejus indulgentia corrupta plebes: qua aduerſus Optimates callide abuſus Cæſar, ipſum quoque militem aduerſus iſtos occuparet. cujus ope ac fauore cætera inuaſit. Vt jam non Tarquinius ex ciuitate ſimplici mouendus, ſed aut plurima mutanda, aut ferendus eſſet qui plus cæteris auderet. Accedebant opes Craſſi, nimia Pompeii dignitas ac fauor popularis, & ex his diſcordia ac bellum. Quibus omnibus vaferrime is vtebatur cuius maxime intererat vt ſolus imperaret. Quem cum cura atque ex fide, autor eruditionis, ſi quis, exactiſſimæ deſcripſit. Cuius Principes, antiquitatis verum penu ac ſcientiarum omnium Pandectas, merito inſcribas. Qui ſic verba rebus, res accommodauit verbis, vt proprietate dictionis optime exprimat quod docet, ea vero ſolus doceat, quæ cæteri vix tangunt. Ritus ſpargunt alii, hic fundit. Abdita Romanæ rei & occulta vix oſtendunt. quæ non tam ad delectationem quam ad vbertatem ingerit Tranquillus, ac propemodum inculcat. Agite, &, ſi viri eſtis, meſſem hinc fœcundam reportate. Illud admonendi eſtis, vt, ſi quando maximæ occurrunt in Republica mutationes, quæ vel cauſam proximam occultant vel non promunt, vt, cum negligentiam in iſtis ac torporem

Populi

Populi Romani, & in seruitute patientiam plane obstupendam, cum crudelitatem, cum flagitia, cum scelera, cum fraudes Pincipum legetis, ea non ex positu astrorum, vel conjunctione planetarum, aut inepta atque incerta nescio qua terræ revolutione, sed a prima accersatis causa. Quæ vt nunquam frustra, nunquam male, ita sæpius occulte, actum maxime prudenter agit. cum nec semper eæ causæ sint quas arbitramur, neque quicquam tamen sine ea fiat, a qua cæteræ reguntur. Illud quoque moneo: ne cum Tranquillum hunc legetis, qui commune cum Plutarcho omnium scriptorum maximo hoc habet, vt minuta quæque cum vtilitate publica ac fructu persequatur, in cinctura Cæsaris, aut toga, aut incessu hæreatis. Quod ne faciatis, tanquam dux in fronte agminis vbique antecedam. Voces raro, ac vt res intelligatis; res, vt vsum atque experientiam paretis; magistratuum postremo, legum ac rogationum, quarum meminit, origines ac fontes, ceremonias ac ritus, quicquid denique antiquitatem spectat, ita explicabimus, ni fallor, vt, quæ ad ciuilem pertinent prudentiam, ex hoc quoque hauriatis. quæ quo magis in scriptore nostro latet, eo diligentius, vt boni venatores solent, per vestigia latentem persequemur. Quicquid vsquam est Musarum, ad pistrinum istos aut ad triuium releget, qui in Principe Romano, in terrarum

rarum Domino, in Cæsare postremo, nihil præter voces aliquot ac syllabas rimari didicerunt. Longissime diuisum, ne quis erret, cum Grammaticis imperium habemus. Quod quo quisque latius extendit, eo partes sibi demandatas melius tuetur. Non sunt leuia quæ pertractamus, Auditores. De imperio Romano, de conuersione Reipublicæ quæ orbi imperauit, atque illius causis, judices sedemus, atque in Tacito jam pridem sedimus. Quibus, grauiora ne Conscripti quidem in Senatum Patres, aut ex ebore curuli consules pronunciarunt. Illud agite, animæ præclaræ, ac communibus jam rebus destinatæ, ad consilia, ad artes, ad virtutem militarem ac ciuilem, ad excelsum, quem hic describemus, animi ascendite vigorem. Ea intuemini ac penetrate. Quæ vos disciplinæ, ad Rempublicam, ad dignitates, ad honores, qui in terris maximi habentur, sine artibus ac fraudibus deducent. Quibus sceptra quoque, & supremum generis humani culmen, Regia Maiestas, se tuetur. Cui rei operam ac curam, pro tenuitate ac captu meo, spondeo, addico, Auditores.

ORA-

ORATIO XVIII.

De prolapsis Græcarum literarum studiis, & ad eas adhortatio. Habita cum Politices Professor creatus, Græcarum literarum Professionem Collegæ traderet, & libellum Senecæ, cui titulus est Apocolocynthosis, siue Ludus in Claudium, interpretaturus esset.

DE præstantia illius disciplinæ, Auditores Nobilissimi, quæ in Reipublicæ tractandæ ac constituendæ ratione versatur, cujus nobis ex decreto & auctoritate publica aliquamdiu jam incubuit Professio ac porro incumbit, tum temporis nonnulla dicam, cum, quod nobis est propositum, ex veteri scriptore aliquo, omnes antiquorum, vel quæ maxime ab omnibus probantur, Respublicas, earumq; formas, ritus, leges, instituta ac consuetudines exponam. Interea, ne prorsus nihil aut omnino aliud agamus, hic libellus, vt festiuus, ita & ab homine ciuilis disciplinæ peritissimo, in Principem terratum, & de corruptissimo ac maxime afflicto Populi Romani statu ac conditione, libertate maxima conscriptus, ad tempus nobis aliquod in manibus versabitur. Ac mihi quidem sæpe de Professione mea cogitanti, mirum hoc videri solet, Auditores, eo nos angustiarum hîc redactos esse, vt ne vnus quidem ex Romanis scriptor extet, qui, vt apud Græcos Aristoteles & Plato, disciplinæ huius leges ac præcepta obiter complexus sit. Nam e celeberrimis doctissimisque Marci

Tullii

Tullii, qui de Republica inſcripti erant, libri, nihil præter oſſa, nihil præter ruta, ut loquuntur veteres, ac cæſa, quæ tum apud Auguſtinum tum nonnullos alios leguntur, nihil præter aliquot putamina, amiſſo nucleo, habemus. Ac optandum ſane fuerat, invictos illos Romuli nepotes, quorum gravitate, moderatione animi prudentiaque, eo res deducta eſt, vt ciuitatem, quam anguſtam initio acceperant, non mœnibus ac muris, ſed immenſo cœli ambitu circumſcripſerunt, aliquam illius diſciplinæ, cui hunc progreſſum debent, conſequendæ, viam nobis aut compendium dediſſe. Nam vt in principio Rhetoricorum vir diuinus, imo numen quoddam & vis quædam major ſapientiæ notauit Ariſtoteles, quicquid fit aut temere, aut propter habitum ex conſuetudine, ad artem & præcepta commode reduci poteſt. Sed videlicet ingentes illæ animæ, quemadmodum in actione, qui eſt hujus diſciplinæ finis, vniuerſam vitam, ita in delineandis ac commemorandis actionibus, ingenium ac vitam conſumpſerunt. Quæ cum ſingulæ, quod fieri conſueuit, diligenter ab hiſtoricis recenſeantur, vniverſum ex his aliquid ſtatuere ac docere, illius facultatis eſt ac artis, quam Ciuilem, aut, quod nomen ciuitate, Romuli donatum eſt, Politicen vocamus. Sed de hac, ejuſque dignitate, grauitate ac præſtantia, quemadmodum jam dixi, ſuo tempore, vt

ſpero, ex hoc loco copioſe dicturi ſumus. Nunc, priuſquam ad hunc Senecæ libellum veniamus, permittite vt dolorem meum, quem ex literarum, ac præcipue earum quæ humanitatis vocantur nomine, interitu ac quaſi internecione quotidie concipio, ex hoc loco, ex quo aliquot jam annos ſingulari veſtra cum beneuolentia ac ſtudio, ſcriptores Græcos ſum interpretatus, verbis, Præclari juvenes, pauciſſimis exponam. Extat apud Comicum Latinum, meo animo ſententiaque elegantiarum omnium parentem, cujuſdam Paraſiti dictum lepidiſſimum, quo in ſenem à ſe modis ac exemplis omnibus exagitatum, feſtiviſſime illudit,

Exequias Chremeti quibus eſt commodum ire,
jam tempus eſt.

Liceat mihi in re ſeria ac graui, & in maximo mœrore meo, idem apud vos nunc vſurpare,

Exequias literis *quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt.*

Cauſam hujus rei ſi fortaſſe ex me ſcire vultis; verbo vobis reſpondebo: Græcarum literarum, mihi credite, contemptus eſt. Nam quod olim de Spartana Republica Delphici Apollinis oraculum pronunciabat, tum interituram eſſe, cum pecunias tractare & amore earum tangi ac flagrare inciperet: idem mihi, non Apollini, neque ex præſtitibus illius Dei, verum qui, vt quidem mediocrium eſt

captus,

captus, aliquem præcipuarum literarum vſum, ſi non conſecutus ſum, dedi tamen operam, vt aliquatenus, quod a Poëta dictum eſt, prodirem, viſum ſemper fuit, tum interituras diſciplinas, cum ſordere hæ literæ inciperent. Ac de me vt aliquid nunc dicam, cum in vrbem hanc & Academiam, totius ſine controuerſia Europæ celeberrimam veniſſem primum, aliqua cognitione juris (in quam vt relictis rebus omnibus incumberem, ab optimo parente huc miſſus eram) ſatis perfunctorie imbutus, ac de obſtupenda viri maximi Ioſephi Scaligeri ſcientia ac eruditione, multa partim audiuiſsē, partim ſcripta ejus, quanuis pauca ſane, diligenter ſatis perlegiſſem, neq; nocte neque die animo conſiſtere me memini, priuſquam ſummum illum virū ſalutaſſem: in quo diſciplinæ omnes, omnes ſcientiæ ac artes, tanquam in delubro quodam & ſanctiſſimo oraculo continebantur: in quo omnes literæ, linguarum omnium cognitio, afflicta ac propemodum euerſa, & poſt paulo abitura, aliquantum ſubſtitit, ac nunc, quod Deo ita viſum eſt, ſupremum nobis vale dixit. Qui, cum in hac rerum omnium peritia & uſu, in ſplendore tanto generis ac majeſtate, ſingulari morum præditus humanitate eſſet, neque nullam de propoſito & voluntate noſtra ſpem jam concepiſſet, ſerio monere cœpit, fruſtra eſſe omnia de quibus cogitarem, niſi prius accurata ejus

linguæ accederet peritia. Itaque ipse cum affecta jam ætate esset, nihil quo amorem ejus nobis commendaret prætermittere. Interdum ipse versibus quos scriberet præire : interdum aliquid ex Martiale aut alio autore, quod vterque Græce redderemus, proponere : vt contentione ista acriores stimulos, & quasi faces gloriæ ac fomites, amore laudis inflammato (talem enim me sciebat) subderet. Sæpe memini me singulari gaudio ac prope incredibili perfusum, sæpe lachrymantem domum concessisse. Sæpe, cum insomnem totam noctem transegissem, meditatum quæ postridie probare illi vellem : sæpe, cum deesset lumen, stylo enotasse aut calamo ad lunam, quæ conceperam. Memini, semperque meminero, cum ab eo quodam tempore Latina quædam in sermonem Doricum conuertere ac exhibere jussus essem, ego autem aliud egissem, negligentiam ab eo meam grauiter notari. Quæ res tum effecit, vt inedia dierum aliquot, dejectus animo ac mœstus, pœnam à me ipse exigerem. Domi interim scriptores omnes Græcos, quanta cura poteram ac diligentia, peruolutabam. Oblectabat me asperum ac grande illud, & nonnunquam paulo minus more Atticorum quam incongruum Thucydidis dicendi genus : quod interpretem requirit, & non nisi eruditum facile admittit. Rapiebat omni melle dulcior Herodoti

rodoti narratio. Eloquentiam Demosthenes, sapientiam Aristoteles, vtramque, sed cum magna simul voluptate, Xenophon suppeditabat. cujus dictionem Gratiæ formasse iis manibus videntur, quibus, vt Poëtæ volunt, Veneri ministrant. Nullus denique aut orator aut poëta aut historicus extabat, quem non paruo tempore ac maxima cum oblectatione percurrerem. Sed præcipue Platonem diligenter & divinum Aristotelem legebam: non verborum tantum causa, quod nonnulli solent; sed vt eruditam illam & suauissimam, inprimis vero huic nostræ dissimillimam, philosophandi rationem, pertractarem, & cum opus esset, non ex Barbarorum fæce, sed ex ipsis fontibus haurirem. Videbar enim mihi, non tam in Batauia, quam ipsa, ita me Dii ament, Græcia, cum magnis illis viris, quorum sapientia ac eruditione haud minus quam virtute sua Populus Romanus incrementum ceperat, quotidie versari. Pugnabam cum Homero, rusticabar cum Hesiodo, amabam cum Anacreonte, plorabam cum Euripide, cum Aristophane ridebam, cum Pindaro in cœlum assurgebam. Iam autem in Theocrito, Bione ac Moscho, verbis nullis dici, nulla exprimi oratione potest, quantum rustice procacem illam Musam, cum simplicitate & suauitate linguæ maxima conjunctam, deperirem. Donec tandem, more Romanorum, ad priuatum

inſcribendo vſum atque ad imitationem quicquid ibi legerem conferre, & vberrima tum rerum tum verborum fruge, paſcere ac imbuere ſermonem meum cœpi. Itaque cum nouam vel orationem, vel poëma aliquod, in quo recentes adhuc notæ e Græcorum lectione apparerent ac veſtigia, ſcripſiſſem, ad heroem noſtrum quotquot dies viſitabam. Ibi vero intimis affici ac perrentari ſenſibus diuinum ſenem, & in noſtris illis ſtudiis excuſſa ſenectute juueneſcere vidiſſes. In oculis, in vultu, in geſtibus, in toto corpore, illuſtres quaſdam gaudii ac hilaritatis notas vidiſſes. vt non noſtra legere aut audire, ſed quæ ipſe olim concepiſſet, iterũ repetere aut ſecum ruminare videretur. Neque minus interim clariſſimum doctiſſimumque virum Vulcanium, quotidie docentem audiebam. qui cum ſenio defectus viribuſque exhauſtus, tanquam miles rude jam donatus, abſtinere publico coactus eſt, deficientes pariter cum eo Muſas Atticas ſuſcepi, Auditores, atque his vlnis, his amplexibus inuolui. Qui enim minus poteram, quam vt antiquas meas dominas ac veteres amores, quas ad omnem, quanta quidem cadere in ingenii hanc tenuitatem poteſt, eruditionem, duces extitiſſe mihi ac magiſtras recordabar, & nunc publice profiteor, aliquamdiu fugientes ſiſterem ac ſuſtinerem? Sciebam, ſi quid in dicendo, quod

quam

quam sit exiguum ac prope nihil, nemo me melius intelligit, si quid in philosophia, si quid in cognitione rerum variarum, quibus lasciuire ac efferre se nostrarum literarum studiosi solent, profeciſſem, solis his in solidum deberi. Neque sane me rumusculi quorundam, aut susurri, aut judicia mouebant. quippe qui existimassem semper, tanti esse quemque, quantum aut ingenii aut scientiæ ad publicum docendi munus domo secum attulisset. Reliquis professionem, hos professioni suæ dignitatem dare. Si in his præsertim non consistant, sed capacem gloriæ ac laudis animum, imbutum his prius literis atq; informatum, atq; ita vltra fines, quos plebei quidam sibi pariter & aliis constituunt, exuberantem, in latissimos scientiarum gurgites, & eruditionis vastæ quendam quasi Oceanum, præcipitarent ac diffunderent. Quod sine hoc subsidio, aut vehementer fallimur, aut nemo vnquam assecutus est. Cogitabam magnos illos hac ætate ac diuinos homines, Turnebos, Lambinos, Camerarios, Auratos, neque paucos alios: qui cum solas prope has literas professi essent, nullas ignorabant. Neque desunt hac ætate viri summi & amici nostri, qui cum ab his fontibus ac elementis, ad existimationem hominum & famam peruenerint, Regibus gratissimi, rhedam nunc pro pulpito conscendunt. Cogitabam quosdam, qui ab aulis atque a principum

negotiis, tanquam ad fastigium sublimius, ad eruditionem hanc se conferrent. Versabatur in animo ac propemodum in oculis adhuc nostris, maximus vir, Paulus Choartus Buzanuallius, Henrici IV, Galliarum ejus nominis monarchæ, nunquam sine horrore quodam & relligione nominandi, ad Illustres Ordines Orator: qui cum Hagæ viueret, aut ipse ad Scaligerum non raro ventitabat, aut hoc Hagam veniente, Græcum aliquem scriptorem exponentem cupidissime audiebat. Vt de viro summo Ludouico Castaneo nihil dicam: qui & ipse Regis olim Galliarum ad Pontificem legatus, cum ad literarum elegantiam ac animi tranquillitatem à Republica se contulisset, eundem magnum senem nostrum annos amplius triginta domi apud se detinuit, vt vberiorem Græcæ ac Romanæ eruditionis peritiam hauriret. Vt omittam Petrum Bembum, magnum illud purpuræ decus: qui cum solus prope ea tempestate scriberet Latine, &, quod proprium tum Italorum erat, puram ac ingenuam, nec calamistris vllis aut pigmentis infuscatam atque inustam excluderet orationem, Græce vt sciret, in Siciliam trajecit. Franciscum vero Philelphum accepimus, qui in ipsa Barbarie, in ipsis literarum sordibus, ætate illa vixit,

Cum neq; Musarum quisquam scopulos superarat,
Nec dictei studiosus erat;

cum

eum ergo, Auditores, accepimus, cum maximo Græcarum literarum ſtudio flagraret, Athenas Atticas profectum, tantum vt magnorum hominum veſtigia calcaret, ſi qua tangi atque afflari contagione eorum poſſet: nec prætermiſiſſe quicquam, quo vel umbram ſaltem Græcæ eruditionis aliquam & fundamenta quædam compararet. Vobis vero, Nobiliſſimi & ſummæ ſpei Auditores, nullum mare eſt trajiciendum, nulli ſumptus faciendi ſunt. Patet vobis ecce hic locus. Hæ columnæ, hi parietes Athenas vobis dabunt. In ſcena autem Roſcium habebitis. Audiuiſtis ergo hactenus in Græcis me balbutientem. audietis poſthac, quibus commodum videbitur, Clariſſimum Iohannem Meurſium, collegam noſtrum & amicum honorandum: qui, me puero propemodum, in his non tantum plurimum quo eſt ingenio profecerat, ſed & erudita quædam ſcripta publicarat. Cauete dedecus exiſtimetis, aut indignum vobis, lege ſeria proficere: tanquam ſcopulum, eorum conſuetudinem cauete ac morem, qui acerba ſtudia ac immatura, in Rempublicam, in forum, in Eccleſiam protrudunt. Græcas literas inprimis, omnium ingenuarum artium, ſcientiarum omnium altrices vnicas ac vindices, amate. Quarum ſi vos pœnitet ac tædet, nihil reſtat, niſi vt jam ad tibicines, aut pollinctorem, hercules, mittamus: qui amœnitati omni, om-

ni elegantiæ ac venuſtati, quæ his ſolis nititur, ac conſtat, me ac vobis pariter ſpectantibus, hic funus faciat, & cæteras cum ea diſciplinas efferat ac condat. Quanquam ne hoc quidem eſt neceſſe. Imminet jam nobis, niſi vanus augur ſum (atque vtinam profecto ſim, Adoleſcentes) alta quædam ac profunda nox, quæ eruditionem omnem, ac præſertim Græcam, quam tantopere negligitis, denſiſſima caligine inuoluet. Non eſt vobis tanti Plato, non eſt Ariſtoteles, non ipſa ſapientia, non denique Hippocrates, non Sancti Patres, vt illorum linguam addiſcatis. Pluris vobis ſunt interpretes, ignaui homines ac ſæpe imperiti, omnis ignorantiæ autores. Siue hoc fatum, ſeu viciſſitudo rerũ & fatalis quædam vel neceſſitas vel pœna nobis debita ac cœlitus immiſſa, ad barbariem redimus. Nam vt nautæ, cum in prora conſtiterunt, tempeſtatem primi vident, primi aliis denunciant: ita ego neſcio quid quaſi nubem poſt ſerenitatem hanc & video & jam denuncio, quod diſciplinas omnes, omnes artes, ac inprimis literas & eloquentiam, ſubducet, & ex omnium conſpectu tollet. Me vero interim de antiquis Rebuſp. qua nulla, aut vtilior, aut grauior, aut dignior profeſſio excogitari poteſt, diſſerentem audietis. Quod priuſquam fiat, feſtiuiſſimum hunc Lucii Annæi Senecæ, philoſophorum omnium quos Roma vidit vnquam maximi, in vitam Claudii libellum,

quanta

quanta fide ac induſtria id fieri a nobis poterit, interpretabor vobis. Mores, ritus, & antiquitates annotabo. Si quis locus ſit corruptus, quales ſunt non pauci, dabo operam vt emendetur: ſi qui ſunt defectus aut hiatus, eos indicabo. quæ ſpectare ad ciuilem, qualia nonnulla ſunt, ſcientiam putabimus, in iis ſubſiſtemus, vt, ſi quæ notanda erunt, obiter notemus. Cætera quæ de Autore & Inſcriptione libri fuerant dicenda, vt diei hujus tempus eſt, in craſtinum, cum bono Deo, differentur.

Diſſertationem de ipſo libello L. Annæi Senecæ, in finem reiecimus.

ORATIO XIX.

Ad librum De Magiſtratibus Romanis. Habita cum libellum De Magiſtratibus Romanis interpretari inciperet.

REipublicæ bene conſtituendæ ratio, Auditores humaniſſimi, magnum ſane opus ac difficile, ſi eodem tradi modo poſſet, quo ſcientiæ traduntur, quæ in contemplatione vt conſiſtunt, ita in hac mentis noſtræ functione finem conſequuntur; paucis vel præceptis vel diſtinctiunculis, quod hodie tentatum a quibuſdam, ab antiquis ea res perfecta eſſet. Rhetoricam qui didicit, quo pacto ſibi ſit dicendũ, non ignorat. Qui in ea arte, quæ a falſis vera, neceſſaria ab jis quæ cum veritatis ſpecie probantur, diſtinguere ac cum cura ſeparare inter diſſerendum docet, operæ nonnihil poſuit,

ſuit, certam normam ac amuſſim habet, quam perpetuo ſequatur. Ea quæ de motu ac quiete, quæ de corporum principiis, de cœlo, de iis quæ in parte aëris ſublimiore aut exiſtunt aut apparent tantum, de conſtitutione animæ ac forma ab antiquis diſputantur; vera ſint an falſa jam non quæro; ſed qui ea ex opinione alicujus quem ſequendum ſibi putat ſemel hauſit, ſingula quæcunque in ampliſſimo hoc naturæ theatro occurrunt, ad ſuperiora quædam didicit referre. Eſt ſublimior his omnibus ſcientia, quam Primam ſapientiam nonnulli, nonnulli, quod cognitione rerum naturalium poſterior illius eſſe ſoleat cognitio, in ſcholis Metaphyſicen dixerunt, quæ de ente primo, affectionibus, proprietatibus, ac partibus illius agit, tum & alias aut loqui docet, aut loquendi docendiq; vſitata vocabula ac modos, quibus reliquæ philoſophiæ partes vtuntur, interpretari, ſuum eſſe munus exiſtimat. Ea igitur, quo magis ſapientiæ cenſetur nomine, eo cauſas certius cognoſcit ac tradit. Ante omnia, quod illi vere proprium, materiam vbique ſui ſimilem, vnam, certam, immutabilem, æternam habet. qui eſt Deus immortalis. Has ergo diſciplinas alii fortaſſe aliter, plerique ſane ad ſumma quædam genera, ad certa ac indubitata præcepta, ad obſeruationes quaſdam reuocarunt. Eadem earum quoque artium eſt ratio, quæ cum exercentur, opus aliquod efficiunt,

ciunt, quod præter actionem ipsam post se habent ac relinquunt. Hac si ratione commode doceri, quod non pauci arbitrantur, ea de qua agimus facultas posſit, nisi materia illius ac subjectum, fluxum esſet ac incertum, si ad nos non ad naturam quod attinet, notiores ejus essent causæ ac principia; næ non pauciores ciues nunc eximios ac magistratus, quam loquaculos philosophos aut oratores haberemus. nec facilius aut opera minori faber, vel palatium, vel domum, quam ciuilis sapientiæ peritus Rempublicam ædificaret. Atque egomet hoc ipso tempore, Auditores, in tabella aliqua perfectam modis omnibus delinearem ejus ac deducerem imaginem. At profecto, non e saxis, non e lignis, non e mœnibus & muris, sed ex actionibus humanis, exstruenda ac ædificanda est illa, de qua loquimur, Respublica. Faber ejus est philosophus: partes, familiæ: forma, quam præclare vitam & quasi ciuitatis animam, vocauit alibi philosophus, apta ac singulis conueniens illius compositio ac constitutio. quam ex mente sua Plato, more Dei cui in creatione rerū tribuit ideam, admirandam quidem illam, sed inusitatam & quæ nusquam alibi in terris extitit, in decem illis, quos De justo, siue De Republica, conscripsit, libris deprompsit. Quibus & duodecim De Legibus, diuerso fine ac instituto, quanuis argnmento non dissimili, adjunxit. Quorum argu-

argumentum, ordinem, propositum ac scopum, ex hoc ipso loco, si id vobis gratum esse existimabo, paucis lectionibus, cum Aristotelem tractabimus, exponam. Fuit enim proprium hoc illi viro, vt excelsa omnia ac absoluta amaret, terram & inferiora hæc contemneret; quodque de auiculis quibusdam, quas non semel ipsi vidimus, (manucodiatas nostri vocant) nescio quam vere, vulgo certe est persuasum, quod cum pedibus destituantur, & in aëre perpetuo versentur, nusquam apud nos consistant; ita ille contemplationibus perpetuo hæreret, totus mens ac animus, volaret semper, non incederet, disciplinas vero, ne has quidem quarum finis vltimus est actio, à prima sapientia sejungeret. Quod qui non viderunt, tanquam improbam ac sceleris compertam ejus traduxerunt ciuitatem. Quod in ore jam est omni populo. Vt phrygiones quoque ac limborarios, aut nautas, si Latine aut Græce sciant, in communionem mulierum, cæteraque ejus generis, de quibus illic non simpliciter, sed ex principiis philosophi ac fundamentis disputatur, aliquid dicturos esse credam. Adeo protritum, & ab eruditis omnibus exhaustum jam hoc argumentum est. Magnus vero Aristoteles, cum prodigiosum illud omnium que quæ sub cœlo continentur capax ingenium, per omnes diffudisset disciplinas; via longe alia, ciui-

ciuilem tractare sapientiam aggressus est. quem nos imitabimur. Videbat veteres legislatores illos, Lycurgum, Solonem, Pythagoricos, & alios, priusquam suam constituerent Rempublicam, alias pleraſque, quæ extarent eo tempore, adiisse: vt, quemadmodum pictores solent, ex diversis vel corporibus vel imaginibus, vnam aliquam perficerent absoluerentque: cujus rei causa, plurimos eorum, maximis laboribus ac sumptibus, totum terrarum orbem perlustrasse. Quod in posterum ne fieret, priusquam de Republica, quam animo vt perfectissimam conceperat, ejusque constitutione, quid sentiret ipse, in his libris aliisque, exponeret, CLVIII, vt antiqui docent, ordine descripserat. quarum formam singularum, magistratus, leges, judicia, consilia, consuetudines, ritus, sacerdotes ac religiones operose persecutus fuerat: non vt singulas vel ponderaret vel excuteret, sed vt nihil in descriptione earum, quod consideratione dignum videretur, prætermitteret. Hinc intelligetis, cur in Deliorum, Æginetarum, Athenienſium, Colophoniorum, Theſſalorum, Phocenſium, Locrenſium, Methonæorum, Naxiorum, Maſſiliotarum, Crotoniatarum Republica, toties laudetur Ariſtoteles. Videbat vir diuinus, quod & ipſe tradidit non ſemel; viam in docendo eſſe duplicem: quarum altera earum, ad principia a fine, altera ad finem

finem a principiis procederet. In ciuili autem sapientia tradenda, a facilioribus, quæ singulis, non quæ natura magis nota sunt, incipiendū. Tales autem singulorum actiones in nobis, in ipsa autem ciuitate recta, ejus constitutio. Qui cum finis sit politici, non potest, quin & nobis magis notus sit quam causæ. De quibus octo, quos Politicorum hodie vocamus, libris, fuse ab eo (quod fortasse breui pluribus videbimus) agendum fuit. Inter quos, si vsum, dignitatem, eruditionem, vim atq; acrimoniam judicii spectemus, primus nobis semper visus est, qui ordine est secundus. In quo, vt, quod ante dicebamus, ciuitatis formam, & quasi animam ostendat, aliquot illustres ejus temporis Respublicas ac ciuitates (non quod jam præstiterat) describit tātum, sed principiorum causa, ponderat, explorat, ac dijudicat. Quarum princeps est Respublica Platonis, tam quæ decem scilicet, quam quæ duodecim ab eo libris accurate describitur. Qua occasione nos, vel suo quamque, quo hic recensentur, loco, vel seorsum, singulas, vt spero, leui primum opere, historicorum more, exponemus ac delineabimus; priusquam quæ in iis laude digna sint aut reprehensione, cum incomparabili doctore omnium ac nostro Aristotele videbimus. Ab ea vero quæ regina omnium ac vnicum exemplar olim fuit, cujus legibus ac institutis tempestate hac omnes sero vtimur, sed

quam

quam prorsus prætermisit Aristoteles, initium docendi faciemus. Ea autem est Respublica Romana. cujus fundamenta, hercule, non homines, sed, vt omnibus persuasum tum fuit, Dii immortales, vt ego judicare soleo, ipsa grauitas, constantia, justitia, innocentia, frugalitas, magnanimitas ac fortitudo, quæ non hostem modo, sed terrorem quoque mortis, omnibus mortalibus commune malum, infra se vidit, inprimis autem, quæ fatalis ac propria imperii illius fuit, majestas dignitasque, suis posuisse manibus videtur. Cujus singuli, vt ille olim judicabat, Senatores, Reges singuli fuerunt: cujus Dictatores Consulesque, non, vt Græculorum magistratus, sæpe futiles ac leues, sed ad orbis vniuersi imperium, ab ipsa Pop. Romani Fortuna, enutritos ac eductos fuisse dicas. Vt qua Sol ille omnia collustrat, potestatem suam ac auctoritatem mitterent diffunderentque; nec tam armis, quam seueritate militaris disciplinæ, & exacta animi virtute, cujus mira vis ac efficacia est, occulta quadam reuerentia domarent cuncta, ac sub jugum mitterent: virgas autem suas ac secures, cum sceptrorum ipsi ferre impotentiam non didicissent, cæteris principibus ac regibus, tanquam pueris quibusdam, ad Euphraten vsque & Istrum, intentarent aut impingerent. Cui quidem populo, nihil præter vnum Aristotelis ingenium, mihi quidem semper videtur

defuisse. Quem occulta quædam prouidentiæ diuinæ ratio ac causa eo tempore produxit, quo Macedones terrarum orbem sub imperio tenebant. Vt eodem sæculo gens eadem, discipulum ac præceptorem daret, quorum alter cuncta sciret, alter cuncta expugnaret. Sicut Aristoteli hoc vnum defuisse sæpe judicaui, quod Rempubl. Romanam aut non nouit, aut cum penitus perspectam cognitamque non haberet, ad exquisitissimam judicii diuini lancem ac censuram, partes ejus singulas exigere non potuit. Cum præsertim ea tempestate, si non ad imperii ac potestatis terminum fatalem, ad supremum certe masculæ virtutis culmen, ac quasi gradum, peruenisse eam Titus Liuius ostendat. Quo tempore non minus inuenisset per quos in Republica proficeret, quam discipulus illius Macedo, a quibus vinceretur: Coruinos, Rutilios, Sulpicios, Torquatos, Cursores, Fabios, Curios, Volumnios, & qui pro publico se deuouerent Decios. ad quos ne Græcorum quidem putidæ jam vetustate ac quasi exoletæ aspirarent fabulæ. Primo igitur, quod felix sit ac faustum, Auditores, Pomponii libellum De Romanis magistratibus, volente Deo, auspicamur. Non quod tanti nobis videatur, nec antiquus, nec autoritatis tantæ, vt a nobis aut a quoquam publice exponi debeat, sed vt habeamus, quo quæcunque in hanc rem obseruauimus, ad lo-

cos

cos quosdam referamus. Interim, si quæ hic deerunt, ex aliis supplebimus. In hoc vero, quantum fieri id quidem poterit a nobis, incumbemus, vt perspicuam ac nudam quandam hujus Reip. imaginem ac formam habeatis. Post quam vel in Aristotelis secundo, (primum enim olim exposuimus, sed Græce) vel seorsim, vt jam diximus, Platonicã, Atheniensem, Laconicam, Carthaginiensem, & quæ omnium est antiquissima, Cretensem, reliquasque subjungemus Respublicas. Quarum constitutionem vbi recte intelligemus, ad principia, natura magis, nobis minus nota, hoc est, causas, præcepta, ac considerationes vere politicas, deueniemus. Quæ quidem res, ne ornamentis suis careat, exemplis suo loco (nam quis in subtilitate ista Aristotelis, vbi verba potius quam res examinat, quèmadmodum, exempli causa, vbi cum Platone in principio contendit, & communionem ejus acutissime oppugnat, aliisque in locis vbi satis erit mentem assequi autoris, id requirat?) illustrabitur. Condimentum enim hujus disciplinæ, & quasi anima ac vita, est Historia. Quod si vobis gratum esse intelligemus, nec labori necessario nec operæ parcemus. De tota autem facultate, ratione ejus in tradendo ac ordine, in primis autem, an & quatenus doceri possit, justa alias, vt quidem spero, dissertatione agemus.

ORATIO XX.

De Ciuili sapientia. Habita cum Secundum Aristotelis Politicorum interpretari inciperet.

QVemadmodum, Auditores Nobilissimi, proprium hoc diuinitatis esse omnes concedimus, quod immensam hanc Rempublicam ac ciuitatem, quæ ex rerum vniuersitate & præsertim ex humano constat genere, ita regit ac gubernat, vt diversas disiunctasque voluntates omnium ad conseruationem referat eorum quibus præest, idque quia ipsa sapientia, prudentia, ac ratio, est Deus immortalis; ita nihil mihi homine videtur dignius quam vt eam doceat ac tradat disciplinam, qua diuinæ rationis particeps, in ordinem homo redigitur, & ab ipsa ratione, cujus totum hoc est opus, leges eas accipit, quibus ea lege & conditione paret ac minorem se gerit, vt incolumis permaneat ac conseruetur, aut, quem finem recte hujus disciplinæ Aristoteles existimat, vt beatus sit ac felix, & ad summum suum in hac vita perducatur bonum. Nam si ipsi homines in vita nihil agunt frustra, sed ad bonum aliquod supremum mores suos dirigunt & vitam: quanto maius esse id oportet, ad quod ciuitatis, hoc est, hominum multorum, qui iisdem legibus tenentur, actiones omnes diriguntur ac voluntates? Vnde & maximus Philosophorum, postquam in præclaris,

quos

quos de Moribus inscripsit libris, virum optimum formauit, ac instituit, parum præstitisse seexistimauit, nisi ciuem quoque optimum ac ciuitatis principem formaret. Quippe quod a summo maximoque præceptore suo factum meminisset. Qui cum in Lachete, de fortitudine, in Charmide de temperantia, in Lysi de de amicitia, in Philebo de voluptate, in Menone de virtute tota, qua verborum est fœcunditate ac inuentionum, more illo suo, qui ab Aristotelis docendi ac dicendi ratione quantum dici potest alienus ac diuersus est, fusissime egisset, tandem de Rep. & ciuitate tota, decem libris prolixe disputauit. Quibus duodecim De legibus, vnum De supremo ciuitatis hominisque bono, qui Epinomis inscribitur, subjunxit. Mihi vero sic videtur, hoc, vt alia non pauca, vnius Dei beneficium ac donum esse, quod, vt omnes quæ singulos perficiunt virtutes, ita optimum totius ciuitatis constituendæ ac formandæ modum, à duobus summis sapientiæ magistris, cum quibus quod componat neque ætas nostra neque tota habuit antiquitas, tradi ac expoliri voluerit. Quare qui doceri hanc scientiam non posse existimat, quid & quantum in his vterque libris præstiterit, non satis animum aduertit. Nam qui nihil præter vmbraticos fuisse doctores, nullam Reipublicæ partem attigisse eos arbitratur, ideoque quibus

fides in his habeatur, parum dignos esse, næ is, Auditores, in historia, omnique antiqua peregrinatur memoria. Nam & Dionysius tyrannus, is qui recte gubernandæ ac constituendæ Reipublicæ scientiam haurire a Platone voluit, si quis, vafer ac versutus fuit: Philippus autem, cujus in gremio ac sinu, magnum Alexandrum, quantus fuit postea cum orbi vniuerso imperaret, Aristoteles formauit ac instituit, non armis, neque militari robore & inuicta manu, sed calliditate ac ingenii solertia, & quas nunc nonnulli in Republica præcipue requirunt, fraudulentis artibus, non vnam alteramque ciuitatem, sed totius Græciæ imperium paulatim sibi vindicauit. Vt mihi ea tempestate Græci omnes, quoties in rationes ac simplicitatem ejus populi intueor, vni homini ludibrium ac risum debuisse, aut, tanquam in certamine impari, manibus demissis fugientes, prudentiæ ciuilis laudem detulisse videantur. Qui cum omnes de libertate inter se contenderent, vnus ille, omnium contentiones callide alendo, & infirmioribus auxilium suppeditando, sine armis & vi vlla, pariter & potentissimos detriuit, & vtrosque sibi docuit seruire. In hoc denique homine apparuit, grande, robustum ac horrendum, addo & in speciem honestum esse animal leonem: cæterum vulpeculam non paulo amplius pollere, vbi non justitiæ sed dominationis causa

cauſa, omnia & fiunt & dicuntur. A qua vbi ſemel quis receſſerit, & ad æuum anteactum ſe conuerterit, facile videbit, nihil a Politicis hoc tempore doceri, quod non ante Macedonia inuenerit. Prodeat huc aliquis ex iſtis, qui has artes, non in Academiis, in quibus nihil niſi quod honeſtum eſt docetur, ſed in media Republica aut aula profitentur, & in illum mentem oculoſq; principem conjiciat, ſi lubet. Fatebitur, quod maxime metuere videntur illi, nunquam magis fraudulentum, & fortaſſe, etiam improbiorem ſe, fuiſſe. Quis ex antiquitate tota nulli vnquam credidit, omnibus diffidit? Philippus. Quis diſſimulationes ſuas ita callide diſſimulauit, vt ad laudem innocentiæ cum vellet, omniũ judicio admitteretur? Philippus. Quis religionem, quis Deorum reverentiam ac cultum ita commode adhibuit, vt ab vniuerſis, vbi opus eſſet, Græcis, ſacrilegiorum vindex, pietatis ac Deorum vnicus aſſertor crederetur; & quod omnibus his majus eſt, hoſtem conſcientia impietatis, tanquam machina, euerteret? Philippus. Quis perjuriis non aliter quam teſſeris aut alea ſe oblectauit, alios decepit? Philippus. Quis eodem tempore & ſocios & hoſtes, omnia dicendo aliter ac faciendo, circumuenit? Philippus. Quis Phocenſium prudentiam, Thebanorum magnanimitatem, Lacedæmoniorum maſculam virtutem, ſapientiam Athenienſium, fraude

& ver-

& versutia ciuili, non aliter quam pueros, quorum ætas improuida, vt loquitur Poëta, mellis gustu ludificatur, solertissime decepit? Philippus. Tonabat in Philippum, totoque eloquentiæ impetu, totis enthymematum suorum viribus, tota illa grauitate ac scientiarum densitate fulminabat ac ruebat, cœlum denique ac terram Athenienſis Iupiter Demosthenes miscebat. Ille quid? Ciuitatis ejus principes, in primis, Æschinem, vt volunt, aliud agendo sibi junxerat, & jam vrbem inimicam, quanquam absens, quanquam sine armis, auro expugnauerat: securus voti & jam ejus compos. Circumuolitabant passim rumigeruli Athenienses, qui in triuiis ac angiportis suis promiscue rumores de Philippo ac sermones aut captabant aut loquebantur; nihil præter illum cogitabant, nihil aliud timebant. Qui in omnibus conciliis sententias eorum digerebat ac suffragia, neque in ciuitate tantum, sed in ipsis Reipublicæ medullis ac visceribus hærebat. Vrbem, quod persuadebant sibi, sine dubio aduersus omnem hostem, inprimis autem omnem vim armorum, valide munierant Olynthii. Ille pejerando vrbem capit: &, ne successores regni in posterum timeret, fratres qui in ciuitate erant, ante reliquos trucidat, mox Olynthios excindit, eodemq; tempore securitatis causa cum religione violata parricidium conjungit. In magna denique

denique pecuniarum egestate, aurum suum Thessalis, Thracibus argentum, arte & solertia extorquet. Dicas vnum illud semper esse meditatum

Aditum nocendi perfido præstat fides.

In hac aula, sub principe tam vafro, tanquam stipitem aut fungum Aristotelem sedisse, & cucurbitas pinxisse, ea solertia judicioque, in hac præsertim disciplina, virum; illum, qui vmbraticam philosophorum sapientiam non semel pungit ac traducit; illum, inquam, virum, nihil præter animalia dissecuisse, & pulmonis modo situm, modo jecoris ac cordis, quod nonnulli tradiderunt, explorasse, credat si quis volet: mihi, vt quod res est dicam, vero simile haud videtur. Cum præsertim Lucianus, autor, si quis, vafer ac versutus, nihil præter machinas ciuiles & calliditates meras, Aristoteli impingat. vt qui foro vti sciret, & ad genium Philippi natus, ipso Alexandro & prudentior natura esset & callidior. Alexander quippe manu promptus, cætera apertus animi ac simplex, nihil minus quam ad technas natus fuit. Hic quoque similis Achilli, qui ad prolixissimam vaferrimamque Vlyssis, in quo plenum nobis ac perfectum hominis politici exemplum tota proposuit antiquitas, orationem, nihil præter divinum hoc reponit,

Odi illum haud minus atque horrendi limen Averni,

Quoi aliud celat mens clausum, aliudque profatur.

Fallere enim aut mentiri nescit, neque clam, sed spectante populo, aut hostem cædit, aut cum Agamemnone contendit. Ibi vero quicquid cogitat iratus, non tam dicit quam effundit. Si vim animi ingentem sermo deficit aut ira vincit, ecce tibi gladius aut Pelias in manu. Eodemque modo Pyrrhus. Qui cum clam in Philoctete & cum astu, sicut veterani illi solent, cuncta gereret Vlysses, idemque illi quoque his verbis autor esset,

Sed prouidendum & comminiscendum tibi,
Inuictum ut arcum & tela clam vindex clepas.
Quanquam indolem noui tuam, nec scire te
Aut eloqui ista, aut fraude moliri malum:
Sed nil potita dulcius victoria est.
Aude ergo: justum fasque postilla coles.
Nunc ad diei pollulam partem vnius
Præbe impudentem te mihi. dein perpetim
Pietatis audi cultor vsque maximus.

Respondet ille,

Ego vero Vlysseu, dicta qua non audiam
Animo lubenti, facere semper oderim.
Non sum suendas natus ad fallacias
Technasque, talis nec mihi fuit parens.

Talis quippe animus, quia majorem se neminem existimat, neminem tanti esse putat vt illius causa ab ingenio recedat. Neminem tam magnum esse judicat, cujus causa simulandum quic-

quicquam aut dissimulandum arbitretur. Vi si quid gerendum, loco non recedit: sanguinem autem illi prius expresseris quam fraudem. Idem si decipiatur, gaudet quia non decepit, neque ita damno commouetur aut deprimitur, vt non altius assurgat, quia nihil se indignum commisit. Mentis enim imbecillitatem fraudis vsum judicat. Nec profecto sine causa. Fraudes enim in comœdiis & doli seruulis plerumque aut ancillis tribuuntur. In quibus Pythias sæpe aliqua aut Dorias, bonæ & erectæ indolis adolescentem, aut honestum senem, miris artibus emungit & victoriam in scena canit. Quis enim, non vir dicam, sed puella procax & arguta est, quæ circumuenire aliquem non possit modo velit? Cum nonnunquam meretricula, quæ catellam sibi raptam queritur aut periscelidem, toti, vt ille ait, viciniæ imponat. Ab his semper alienus ingens animus, eos qui luduntur in Republica & ludunt, tanquam histriones quosdam intuetur. Imitari eum hoc si velis, ita agas, vt si ab illustri senatore postules, vt caueam relinquat, & in scena Sosiæ, aut Tranionis, aut Syrisci, habitu, Simonem aut Chremetem populo spectante circumducat. Talis fuit Alexandri ille domitor terrarum animus, qui vt nihil clam, ita vi & aperto Marte omnia gerebat. Multum dissimilis Philippo. Quare & subinde vino frontem pariter ac animum exporri-

porrigebat, quod inprimis cauent vafri isti: semper enim timent ne quid excidat quod nolint. Contra, si quem ipsi explorare velint, poculis deponunt. At vero Aristotelis ingenium, cereum natura ac vafrum, recte si excutias, videbis ne in scriptis quidem iis se abstinuisse artibus, quas Politicas nunc vocant. Quoties enim, ô Musæ & Apollo, aliud agendo aduersarios supplantat, & si quid doloſe agit, vltro eos callide accusat quos euertit. De Parmenide, Melisso, Anaxagora ac aliis, quod Philosophiæ genera confundant, conqueritur non semel: sed ne accusetur ipse dum hoc agit. cum quæ Theologice sunt dicta, naturalibus quas ipse ponit rationibus confutat. Platonem vero quam doloſe & quoties oppugnat: vel cum ponit alia quam dixit, vel cum sensu alio interpretatur quæ dixit! Non longe abeundum est nobis. Explicate libros vestros, & videte quid de conjugum communione, de quo tantum disputandi causa Plato disseruerat, quid de Vno illo dicat, quo euerti ciuitatem probat. Ne de reliquis philosophis jam dicam, quibus mihi barbam vellere inter disputandum videtur. Hunc ego hominem, in eam cum delatus esset aulam, quæ jam orbis imperium, non armis sed prudentia sollicitabat, de Ideis aut de tribus terminis in argumento & eorum medio concinne disponendo, aut de ostreorum putaminibus ac testis cogi-

cogitasse tantum vt existimem ? Non possum, Auditores. Iterum hoc dico, Non possum. Idem judicabit, qui non, vt plerique pædagogi, triuiale ac ineptum, sed acre ac viuidum ad scripta ejus adferet ingenium. Ille vero, si quid ego judico, non tam in animalium viscеribus & extis quam in Regis sui actionibus & dictis mẽtem pariter defixam & oculos habebat. Scilicet Machiauellus aliquis, Adolescentes, scriba e thymelico recoctus, acris vir ingenii, nullarum tamen literarũ, paucis annis obseruare ea potuit aut scire, quæ non posset Aristoteles: cujus industriæ ac institutioni princeps tantus filium committeret, quem ab omnibus arcanis regni ac consiliis, annos octo, vt antiqui notant, esse voluit. vir, qui ad hanc scientiam reliquis omnibus accederet instructus: qui Stagiram legibus donauit: euersam ac collapsam iterum restituit: quem postremo tam illustri ipse prosecutus laude est, vt natum ejus tempore Alexandrum sibi gtatulatus sit. *Habeo*, inquit, *Diis gratiam. non proinde quia natus est mihi filius, quam pro eo quod temporibus tuis nasci eum contigit. Spero enim fore, vt eductus eruditusque abs te, dignus existat & nobis, & istarum successione rerum.* Scilicet, vt dignus Philippo, vt rerum tantarum successor, vt Græciæ totius, tot illustrium Regnorum ac Rerumpublicarum hæres euaderet, de prædicamentis, credo, ac prædicabilibus, de syllogismo ejusque partibus,

tibus, de materia, de forma ac priuatione, cæteriſq; rerum naturalium principiis, de motu, quiete, loco, acinani, audire eum voluit, ſcire autem ea, quibus parenti ſimillimus euaderet, non voluit. Quid quod ipſum aiunt Alexandrum, cum quid callide aut dictum alibi aut factum deprehenderet, ſtatim cum riſu, ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ τὸ ΣΟΦΙΣΜΑ, dixiſſe. Ponamus vero, rudem in his talibus ac imperitum Ariſtotelem fuiſſe, etiam Philippum fuiſſe credimus? Mihi vero credite, Adoleſcentes Nobiliſſimi, neque Ariſtotelis ingenium non æſtimauit ac expendit princeps verſutiſſimus, neque adulari aut ad ambitum priuati hominis qui nihil præter ſapientiam doceret, dicere aliquid Rex tantus potuit. Quemadmodum nec vllo modo mihi quidem perſuaderi poteſt, noluiſſe iis artibus hæredem informari, quibus ipſe regnum conſecutus eſſet: iis autem voluiſſe, quæ vt omnibus ſunt dignæ, ita nihil faciunt ad principatum. Quid ergo? Multa, quod jam ſæpe dixi, de ciuili ſapientia conſcripſit Ariſtoteles. Nam & omnes ſui temporis Reſpublicas ac ciuitatum formas, vt e diligenti ſingularum poſtea collatione vnam aliquam quam ſuam eſſe vellet in medium proponeret, delineauerat cum cura ac deſcripſerat. Qui & alia non pauca, titulis diuerſa ac inſcriptionibus, ejuſdē tamen argumenti ſcripſit. Scripſit, quod ab antiquiſſimis lauda-

laudatur, De Regno opus. Scripsit Politicas (ita enim vocant) ad Philippum Epistolas. In quibus multa callida, & illo principe fuerunt digna. Ejus vero in scribendo rationem qui perspectam habent, aut qua optime Ciuilis tradatur scientia intelligunt, ita mecum judicabunt: Alia fuisse ejus viri scripta popularia ac omnibus exposita, in quibus vsitato sibi modo ac docendi via, generalia præcepta quædam de ciuili disciplina traderet, quæ omnes pariter, qui Reipublicæ præessent, scire ex æquo oporteret: Alia ab his diuersa, quibus imperii arcana & occultas illas artes, quæ in vita nunc ciuili & in aula paginam vtramque faciunt, complexus erat. Quas vel soli Alexandro, vel cum eo paucis voluit patere. Magna enim pars prudentiæ ciuilis est, prudenter hic versari, & cum vnum principem instituas ac formes, dare operam, vt vnus sciat, quæ non prosunt si cum cæteris communicentur: ideoq; in animis ac principũ pectoribus haud paulo quam in chartis efficacius scribuntur. Quod præceptor noster optime intelligebat, qui Philippo soli, soli Alexandro illa, quæ vocabat Acroamata, clam instillabat. Putabat enim homo callidissimus, perire sibi instituti rationem; nisi ignorarent cæteri quæ vnus intelligeret. Sed & euenturum videbat, vt si diu ea premeret, & in paucorum tamen manibus versari pateretur, vt ingenium humanum est,

majus

majus sui desiderium paulatim excitarent. Tandem vero cum vulgaret, & obscure, & stricte, & tot modis inuolute edidit, vt cum eo nomine ab Alexandro notaretur, edita, nec tamen edita versute responderet. quæ, nimirum, quamuis legerentur, capi a pauciſſimis intelligique possent. In quibus omnibus circumspectius doctore Hetrusco egisse, quis non videt? Et in homine tam vafro (talis enim merito ab omnibus habetur) ipsum hoc simplicitatis meræ est, quod arcana regni contra quam aut Aristoteles aut Plato, sine ambage vlla, sine vllo velo diuulgauit. Neque enim solus ista sciuit, Auditores, sed eliminauit primus. Et plerumque tam ingeniosus est ac solers, vt, quemadmodum Grammatici, poëtis suis quos interpretantur, multa quæ in mentem illis non venerunt sæpe attribuunt, ita hic Fabriciis, si Diis placet, & Camillis, aliisque in Republica Romana, magnis quidem illis sed honestis tamen viris, artes quas excogitauit ipse, asscribat. quasi ex Achille Vlysses, aut ex Alexandro possit fieri post obitum Philippus. Tum, quod maxime abominandum est, Iustitiæ & numinis contemptum profitetur. Quæ profecto, vt omittam si quæ grauius de eo dici possunt, mera est incogitantia. Omnes enim quos formauit, doctiores præceptore, tales esse malunt quam videri. Itaq; & miser, vt illius populares annotarunt, & contemptus, ac propemo-

pemodum famelicus extinctus est : vno par principibus quos format, quod se pro Rep. deuouit. Eo quippe rem deduxit, vt qui eum maxime mirantur, satis sint prudentes si non nimium commendent, neque quicquam magis quam prudentia judiciumq; professori ejus defuisse videatur. Quale in scriptis Aristotelis & vita nihil obseruabitis. Opulétus enim & justitiæ patronus, & auctoritate nemini secundus, postquam vrbem suam legibus fundasset, expirauit. Habebat enim Aristoteles, habebat, Auditores, mentem illam, quam actiuam ipse vocat, cui cum judicium accedit & experientia, virtus autem antecedit, ibi illa rerum humanarum princeps, illa ciuitatum domina atque imperatrix nascitur prudentia : rarum sane bonum, & quam multis defuisse e philosophis, præclare judicauit ipse. Alii enim nihil, præter communes quosdam locos, & præclara quæ ad vitam emendandam facerent scriptis suis inserebant præcepta. ea autem ipsa, quomodo ad vitam applicanda essent, prorsus non videbant. Quos si ad Rempublicam vocasses, nihil præter togam ac barbam & inutilem hanc attulissent sapientiam. Quæ nisi sæpe mutet vultum, nisi formas induat quascunque, nisi se cum rebus, cum temporibus ac singulis nonunquam mutet casibus, nisi ignorantiam interdum quoque ac simplicitatem induat, & hoc ipsum prope

quod est esse desinat , vsum jam in ciuitate amisit. Alii, cum diu in Rep. vixissent, nec philosophiam, quam pletique negligunt, adhibuissent, singula quæ obseruassent, ad præcepta & effata quædam reuocare generalia non poterant. Quod philosophi est munus, & diuinitus ab Aristotele hic factum videbitis. Nisi forte vos existimetis, omnes eos qui Rempublicam tractarunt, aut in aulis principum quotidie versantur , eadem cum Aristotele præstare posse. Absit vero, Auditores, absit. Sensu enim alii plerique in humanis omnibus vtuntur, solus, vt judicio sic mente vtitur philosophus. Qui & singula dijudicat, & ex multis vnum aliquid constituit, &, quod proprium illius est, in ipsas rerum formas ac naturam, quasi mentis aciem immergit. Sicut autem plantam agricola cum videt, nihil præter externa ejus videt, nullo autem modo penetrat essentiam aut capit, ita actiones & hæc singula quæ fiunt, multi in Republica obseruant, qui, quod in his libris Aristoteles quæsiuit, ipsam ejus formam, nunquam assequentur. Ne hic de secundo dicam, in quo tanquam judex maximus pro tribunali sedet, in quo omnes sui temporis clarissimas Respublicas ac ciuitates , omnes qui de iis scripserant philosophos, ad partes vocat. Quod est maximum humanæ mentis opus. Hoc autem , neque fasces, neque purpura , sed sola tribuit philosophia,

sophia. Quare quemadmodum pauciſſimi è ſcholis, niſi prudentiæ magiſtra paulatim acceſſerit experientia, cum laude Reipublicæ præeſſe poſſunt, ita pauci e Rep. munus hac in parte philoſophi implebunt: etiam qui eas profitentur artes, ſine quibus imperare poſſe neminem exiſtimant. In quibus ad improbitatem vſque Ariſtotelem excelluiſſe ſunt qui velint. Nec diſſentit Lucianus. Nos de magno viro melius ſentimus. In his autem libris, quod in primis dignum fuit ſapiente, hoc vnum egit, vt aut nunquam, aut rariſſime a via regia ac leuiter deflecteret. Quod vt ſalutare eſt, ita principi vaferrimo gratiſſimum fuiſſe certum eſt. Omnes enim in officio ac ſimplicis honeſti obſeruatione contineri nemo magis optat quam qui nunquam ad honeſtum oculos conuertunt. Quin & coram populo juſtitiam laudari, grande imperii arcanum habent; imo regni munimentum. Vtramque autem viam cognitiſſimam fuiſſe ſibi, & ſi vlli hodie perſpectam, in his quoque libris, cum de Rerumpublicarum conſeruatione ac euerſione earumq; cauſis agit, ſatis, niſi fallor, manifeſte probat. Videte, vt alia omittam, quomodo occultas & vbique tamen vſitatas tyrannorum artes, in apricum producat, quam & callide depingat eas & excutiat, quomodo de iis judicet. Iuro vobis, Optimi Adoleſcentes, nihil ſimile vſquam in hoc genere legetis. Idem mira

arte ac calliditate à Platone primo de Republica est factum. qui cum nihil se eorum, quibus isti qui ad imperantis bonum omnia referre solent, etiam hoc tempore nituntur, ignorare ostenderet, inuidiam totius disputationis in Thrasymachum rejecit. Atque ita miro instituto, simul odium ejusdem rei & scientiam professus est. Cujus generis sunt ista: *Summum ciuitatis bonum, imperantis esse vtilitatem. Semper esse vtilem regnanti injustitiam. Ab eadem esse veram in Republica scientiam, cum Iustitia simplicitas sit mera ac stoliditas.* Quæ ibi Socrates mirando plane & suauissimo dicendi genere sic refutauit, vt mihi sæpius, non olim, neque Athenis, sed in aliqua Republica hac tempestate, non cum Thrasymacho, sed eodem hoc Machiauello, cujus tota domus & structura istis tibicinibus suffulta est, disputationem hanc instituisse videatur. Qui prudentiam, non virginem, sed imminutam jam in aula ac corruptam, mango nobilissimus, Floralibus produxit. De quo homine, vt quod nunc in mentem venit, apud vos deponam, ita judicare soleo. Quemadmodū in fœmina pulcherrima, in qua siue formam, siue mores, siue indolem videas, nihil est non admiratione dignum, partes tamen quædam sunt pudendæ, quas velari & honestas, & ratio, & consuetudo postulat, propter quas fortasse a singulis speratur: ita in prudentia hac nostra, postquam ab honesto, singulorū vitio

vitio in ciuitate, vtilitas deduci cœpit, partes quædam inhoneſtæ cœperunt eſſe, &, ſi verum volumus fateri, etiam obſcœnæ, neque minus tamen neceſſariæ. Has diuinus Plato leuiter deſcripſit, Ariſtoteles produxit, ita tamen vt velaret: nouus autem iſte, veſte in publico ſublata, omnibus oſtendit. Alii ergo, (quod in tali ſpectaculo hoc tempore expectandum eſt) qui improbitatem quanquam profitentur, tamen celant, maxima cum voluptate oculos attollunt: paulo verecundiores, nollent illi quidem, ſed demittunt: alii, cum voluptate, ſed quam ſerio diſſimulant, obnubunt: quidam vero limis, ſicut amatores ſolent, quorum magnus ſane eſt numerus ac turba, ita poſitam aſpiciunt ac intuentur, neque palam, ſed in animo & ſecum, idem quod Homeri illi ſenes, cum formoſum Helenæ intuerentur vultum,

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,

clam muſſitant. Vt & illud,

Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Plerique vero, Facinus indignum, clamant. Factum quoque, vt auſteri quidam & jam vieti ſeneciones, nollent. ideoque ad ſpectaculum ſe contrahunt, horrent, tremunt. Et indignum ſane facinus philoſopho, Adoleſcentes, quamuis forte non indignum illo; qui in vita

histrio ciuilis, comicus in scena esset: hac in parte Aristophani collegæ suo, qui personas cum pudendis primus coram populo produxit, non dissimilis. Sicut autem pictor virginem velatam qui exhibet, non ignorat ideo quæ latent, non profecto magis quam si nudam depinxisset: ita Plato, & fortasse Socrates, non minus ista quæ quotidie eueniunt, cum intelligerent, prudentius celarunt. Intelligebat, inquam, siue Plato siue is cui tribuit sermonem, senex festiuissimus, humanæ vitæ censor merus ac acerrimus irrisor, idē Principi in ciuitate quod in vita viro bono, commendari ante omnia debere, Ne vtilitatem, nempe, ab honesto separari patiatur ac diuelli. Quæ doctrina nisi imbibatur, nisi semper inculcetur, nisi in Republica & animis radices agat, nullis armis, nullis legibus ac institutis, multo autem minus fraudibus ac technis, ciuitatem conseruari posse. Quas vt aliquis admittat, nemo vnquam tuto docuit. Et si omnes æque permittantur, non Rempublicam, sed lanienam, aut conuentum aliquem effeceris latronum Qui nec ipse satis se tuebitur, nisi, quod præclare a Platone dictum est, partem aliquam justitiæ agnoscat. Nam, vt recte in his libris pronunciat philosophus, Nullum tam pernicioſum est animal quam homo, si improbitate ratio armetur, neque legibus & pœnis, ad imaginem virtutis saltem ac justitiæ flectatur.

Hoc

Hoc ſpectauit Ariſtoteles, hoc intellexit Plato: hæc eſt cauſa, cur juſtitiam vbique & honeſtum illud ciuibus commendent. Vt & tutus ſit, quem imperare par eſt: & ab eo contra conſeruentur, quos obſequio vel leges vel natura deſtinarunt. Accedit, quod ſi aliquam admiſeris, aut injuſtitiam commendes, in quam per ſe quiſque inclinat, & quam ſine vlla diſciplina ſponte improbitas inducit, totam tollere juſtitiam cogaris: quæ paulatim tollitur licentia ac vſu, niſi diligenti inculcetur diſciplina. Quid ergo? An qui iſta profitentur, artes omnes tollunt, neq; ciues tantum, ſed & Principes illorum omnium ignaros eſſe volunt, quæ vel minimum à fraude trahunt, & augendæ tuendæque majeſtati, ac interdum Reipublicæ, conducunt? Optarent hercule id quidem. Cæterum, quemadmodum in Dialecticis, non modo veritatem demonſtrationis, & quæ probabilitatis habent ſpeciem, ſed ſtrophas quoq; Sophiſtarũ ſcire oportet, vel vt iis callide vtare, vel ne forte ab aliis decipiaris: ita qui ciuiles tradunt diſciplinas, nollent illi quidem fraudi eſſe locum; quia tamen ſacra iſta aliter non conſtant, de quibuſdam maximo cum fructu monent, quaſdam etiam commendant, quaſdam timide admittunt, quaſdam deteſtantur. De quibus fuſe alias agendi erit locus. Hoc ſi accurate fieri non poteſt, aut ſi pluſculum improbitati largiendum fuerit,

potius juſtitiæ adhæreant & ab ea pedem latum ne recedant. Non enim Lucifer aut Heſperus, vt præclare in libris De moribus exclamat Ariſtoteles, magis quam juſtitia conducit. Cujus primus maximuſque in omni ciuitate vſus eſt. In qua minimam improbitatem ſi admittas, ad majorem ſemper viam ſternas, maximam vix improbare videaris. Tum ne juventuti iſta ingerantur, quæ ad regiam virtutis viam, diſciplina, quaſi manu, deducenda eſt. quo ſi vos cum Ariſtotele deduxero, me quidem voti compotem, vos autem ſatis eruditos arbitrabor. Credite, & vobis perſuadete, Rempubl. omnino nullam eſſe, cujus non ſupremus magiſtratus Deus immortalis ſit. Totus enim orbis, imperium vnius eſt. Qui ſimplicitatem amat, prudentiam non odit, fraudes omnes deteſtatur. Eſt enim ipſa veritas. Sed nec fallitur: corda enim penetrat: Tum vero illud cogitate, florentiſſima fuiſſe ea regna eaſque ciuitates, quæ nil præter honeſtatem & virtutem ſimplicem ſecutæ ſunt. Quam Romanis Spartaniſque, veris inuictiſque viris, omnis autor, omnis tribuit antiquitas. Quibus admodum diſſimiles ſunt iſti quos Andromache Euripidea *fabros falſitatis*, *doli artifices* vocauit. Quos ſemper aliud ſentire, aliud proferre ait. Sed & cogitate, in qua gente hæc dicamus. quæ cum fraude hoſtium ac dolo, manu hactenus & probitate pugnat. In qua ciuitate,

tate. Quæ niſi ad Reipublicæ ſalutem referenda omnia exiſtimaſſet, nunquam fame eam ſingulorum ac penuria emiſſet. Poſtremo hoc a me habete, OPTIMVM ESSE CIVEM QVI SIT HONESTISSIMVS: VTILITATEM AVTEM PVBLICAM, BONVM ESSE SINGVLORVM. Iſta tam trita, tam vſitata, quæſo vos, ne faſtidite. Nam ad ea quæ majora vobis nunc videntur, metuere nolite, ne & ætas, & vſus, & exempla aliorum, maturius quam æquum eſſet, ſatis vos ſuperque erudiant, ac penitus perficiant. Simul enim pedem in Republica ponetis, ubique occurrent vobis iſtæ artes, quas non Ariſtoteles & Plato, ſed vtilitas & dominationis amor vnumquemque docent. Hæ ſunt quæ perpetuo in vrbibus & fiunt & vetantur: quas nonnulli clam exercent, & a quibus palam euertuntur. Quarum nec numerus nec ratio iniri, nec perfecta vlla tradi aut excogitari diſciplina poteſt. Nam quotidie naſcuntur. Iſtis autem rudimentis ſi improbitati locum dederis, eo ipſo ad majora peruenitur, quorum admirabilem hoc ſæculo progreſſum ac abominandam ſegetem videmus. Quod vt ſæpe Gallia experta eſt, ita parum abfuit, quin nuper experta ſit Britannia. Senſim quippe eo & per gradus peruenitur. Primo enim ciui inculcatur, vt tyrannum, aut, quod nunc eſt efficacius, hæreticum, vt viſum eſt, definiat ac ſibi fingat. Ne-

que quiſquam intercedit quo minus vindi-
ctam ad ſe quiſque pertinere credat. Aliquid
& e Theologia admiſcetur, cujus in Republi-
ca autoritas ac vſus merum hodie venenum
eſſe cœpit, Animæ ſalutem in hoc verti. Nam
ante omnia contemptus Dei, cujus regnum
non eſt de hoc mundo, tanquam omnium im-
probitatum ac calliditatum quibus pulchra
illa nititur doctrina, fons & origo juuentut
inſtillatur. Ita primum Deus & Iuſtitia ex ani
mis, deinde Princeps tollitur e ciuitate. Nun
quam enim vbi cœpit deſinit improbitas. Eſt
enim, quod Pythagoras dicebat, infinita: ideo
que in nulla ejus parte conniuendum. Qui
gliſcit ſemper, & neglecta ſerpit. Quod vb
fit, non ſenſim modo Reſpublica euertitur
ſed & imperii vacuitas inducitur. Quam ſcien
tiam, Platonis Dionyſius, Philippus Ariſtote
lis, probabat. Eſt quippe expedita non ad li
bertatem ſed ad dominationem via ac confu
ſionem. Cæterum nec Plato eam neque Ari
ſtoteles aut docet aut neſciuit. Noſtra ver
cathedra & hæc toga, iſtam diſciplinam auer
ſatur. In qua jam (ô ſæculum ô mores!) vſqu
ad parricidium profecimus.

*Præfationem, quæ hic ſequebatur, in finem reje
cimus.*

ORA

ORATIO XXI.

Socrates, siue De doctrina & moribus Socratis. Habita, cum vitam illius philosophi à Diogene Laërtio descriptam, inchoaturus esset.

IN corpore hoc nostro, nihil animo præstantius, in isto nihil majus sapientia immensus ille rerum artifex ac architectus collocauit. Quæ non aliter quam homo, per ætates suas deuoluta, primum apud Barbaros producta, mox à Græcis educata ac exculta, vires cum autoribus ac robur publice accepit. Habitum quoque ac ornatum pro ingeniis eorum qui in ea exornanda omne vitæ tempus posuerunt, sæpenumero mutauit. Poëtæ quippe fabulis, Pythagoras breuissimis quibusdam dictis, Heraclitus, variis cum rerum tum verborum tricis inuolutam ac ambagibus; & ne quid de pudore illius profanorum delibarent oculi, obnuptam flammeo ac virginali habitu, in publicum produxit. Vt, quemadmodum in sacris solet fieri, horrorem quendam ac religionem in discipulorum animis obscuritas conciliaret: quam plerumque aspectus tollit & familiaritas. Donec tandem ad Athenienses venit, & in Socratis vrbanitate constitit. Qui vir, cũ in cœlo versaretur, ac pulcherrimo spectaculo intenta, Solem, Lunam, ortus siderum ac lapsus, interualla omnium ac magnitudines examinaret, vim naturæ ac causas inspiceret, hominum autem vel oblita vel pertæsa, ter-

ras

ras & humanas actiones, ne curaret quidem, primus, tanquam pronubus, in terram & ad homines deduxit. Quo cum deduxisset, flammeum detraxit, ac, ne quisquam vultum ejus ignoraret, ipsam quoque, qualis erat, omnibus spectandam dedit. Fluctuantes & in vita oberrantes misere mortales, ejus beneficio in viam ab erroribus reduxit, domos ac familias instituit, Respublicas formauit, & vt omnes ita singulos ad altiora vexit ac promouit: mores omnium ac singulorum, perlustrauit, censuit, purgauit: vitæ amorem, metum ac terrorem mortis, quæ non raro mentes hominum ac voluntates, à virtute auertunt, saluberrimis præceptis emendauit. Curas hominum ac cogitationes, ab incertis ac inertibus fortunæ bonis, ad tranquillitatem mentis & officia viuendi reuocauit. Felicitatem, & supremum illud ad quod homines contendunt, bonum, in virtute, in ratione, in animo ponendum ac quærendum esse docuit. Qui, vt dux atque imperator vitæ est, ita cuncta solus administrat: Solem quoque ac Lunam, & æternos illos ignes, quibus tum pleriq; adhærebant, dignitate excedit. De hoc autem homine, cum pauca nobis post Platonem sint dicenda, non facundiæ fiducia aut eruditionis, sed vt argumēti magnitudine, omnes partim ad assiduam ac diligentem ejus lectionem, partim ad exemplum accendamus, tum ne non initiati, vitam maximi philo-

philoſophorum, quæ in manibus deinceps nobis erit, contemplemur, peto, vt quantum nobis deeſt eloquentiæ (deeſt autem plurimum) tantum ab humanitate veſtra ac benevolentia accedat. Ne ſi ſecus fiat, non vnius viri, ſed ipſius ſapientiæ interceſſiſſe laudibus ac commendationi videamur, quæ autorem ac propemodum parentem, iſtum habet. Fuit ergo Socrates, domo Athenienſis, tribu humili, patre lapicida, matre obſtetrice natus. Patrimonium ſi numeres, exiguum prope ac nullum; ſin ex ratione æſtimes, ſupra omnium Craſſorum atque Licinorum ampliſſimum poſſedit. Nihil enim requirebat. Quæ res, non in auro & argento, auaritiæ elementis, ſed in animo conſiſtit. Primo lapides cum patre, tandem homines formare cum philoſophis incepit. In qua arte, incredibili judicio, ſingulari ingenio, animo inuicto, verſatus eſt. In furorem plebis ac potentiam multorum, cum non ratione ſed cupiditate populari cuncta miſcerentur, tanquam in profundum quoddam mare incidit. Nulli poſt hominum memoriam negotii plus fuit. Quocunque ſe conuerteret, hoſtem illi aliquem inuiſa generi humano virtus ac ſapientia pepeperat. Foris Hippiam ac Gorgiam, Prodicum ac Polum, Thraſymachum ac Protagoram, miſerrima arrogantiæ mancipia, in theatro Ariſtophanem, domi Xantippen habebat.

Rem-

Rempublicam triginta tyranni, vitia innumẽra inuaserant. In qua, (ô miseriam!) ne Deos quidem sui similes, hoc est, honestos atque probos, rẽpperit. Iouem adulterum, furem Mercurium, Martem homicidam, Liberum, furiosum hominem ac petulantem, immortalitate vulgi donauerat opinio. His delubra, templa, aras, gemmas, aurum, ac donaria id genus dedicabant. His priuata publicaque, his salutem suam suorumque commendabant. Animos præclaros nobilesque cæca superstitio inuaserat, vultusque pariter ac mentes, ad naturam veri & ipsius Dei, qui est prima veritas, in terram penitus depresserat. Accedebat blanda Siren, quæ dicendi meretricia suauitate quadam ac lepore, homines propemodum in pecudes conuerterat: Poëtice nimirum. Vt cœleste numen, & immensam illam majestatem, quæ cum cœlum sibi vindicet, vbique tamen est diffusa, humi quærerent, aut repræsentari posse ab arte existimarent. Iam vero, ad philosophos si ires, & remedium ab iis expectares, vt quos sapere plus crederes, quæ ibi, Deum immortalem, vel diuersitas opinionum vel futilitas! Verissimum jurares quod a veteri scriptore proditum memoriæ est, Nihil vnquam ægrum somniasse quod non aliquis philosophorum crederet aut alios doceret. Deum alii esse nullum, alii ignem, alii astra, alii aliud quid somniabant. Solem, quidam

dam inter illos, glebam igneam, quidam ignem mente præditum, nonnulli (ô ineptiæ!) non vnum esse statuebant. Nonnulli animam cum corpore extingui, pauci superesse corpori existimabant. & hi conjecturis nitebantur. Erant (ô prodigium!) qui nullam esse vsquam dicerent. Dicæarchus, scilicet, & Aristoxenus. Plerique in non necessariis hærebant: qui seueram Reipublicæ ac vitæ emendationem, quatum maxime opus erat, sui muneris non esse existimarent. Cui rei succurrendum esse Socrates putauit. Qui vt juxta eloquentiam ac sapientiam colebat, non morosо aut obscuro disputandi genere, vt plerique, sed amœna quadam ac suauissima agendi ratione, vitia atque errores hominum tollebat: ipsos autem, non tam arguendo quam interrogando, assentiri sibi leniter cogebat. Sicut autem medici, priusquam ad reddendam ægro valetudinem se conferunt, humores praua, vt loquuntur, qualitate affectos, vbi sponte id fieri non potest, arte euacuant ac tollunt: ita verus ille ac perfectus morum medicus, primo omnium a perturbationum expurgatione, diuinam nobilissimamq; inchoabat artem. Nulla major animorum pestis est quam ἀφεόσυνη. Quę cum semel mentem hominis inuasit, cum se, quod plerunque fieri consueuit, falsis rationibus muniuit, ægre admodum curatur. Hac cum ciuem Atticum Aristodemum laborare intel-

intellexiſſet, hominem, vt ſolebat, protinus accedit, humaniſſime compellat, & amica quadam vi in partes ſuas trahit: pertractum curat ac reſtituit: reſtitutum ac curatum dimittit. Quas concluſiones Xenophon diuino quodam melle ac nectare verborum expreſſit. Non iraſci enim, ſed mederi vitiis ſolebat: vt domeſticus plerunque ac familiaris medicus conſueuit. qui cum ſordes ac reliquias contrectat, non corrugat frontem, nec cum indignatione eas auerſatur, ſed ad ſanitatem omnia & ſalutem refert. Moroſitatem quoque ægrorum, melle interdum ſaluberrime eludit, vt amara proſint, dulcia delectent. Phreneticum vt ſeruet, plurima indulget. Imaginoſum morbum, cum helleboro non poſſit, arte & prudentia expugnat. Interdum & conſpuitur aut vapulat, neque minus tolerantia quam cura obtinet. Aqua inter cutē laboranti, potum, quamuis noceat, non eripit, ſed ſenſim ſubducit. Vinum quoque ſæpe temperari mauult quam non dari, vt contrariis afflicto ſuccurrat. Non quod illa per ſe proſint, ſed vt recte adhibeantur. In hoc magno vniuerſo, non eſt vnum morbi genus. Infinitis laboratur. Alium ebrietas affligit & inſanus poculorum amor. Alium libido, non in ſexum modo ſequiorem, ſed, vt tum Athenienſes erant, etiam in mares turpiter effuſa. Alium ambitio aut auaritia, alium non flaua ſed inſana bilis torquet.

torquet. Quidam inuidia, nonnulli faſtu laborabt. Valetudinarium eſt hic orbis: in quo non decumbunt ægri, ſed pro ſanis ambulant. Pauci morbum ſuum vident: omnes amant. Ad hanc turbam, ſi videtur, grauem ac moroſum aliquem philoſophum adducas, qui e ſchola nunquam ſit egreſſus, qui tonſorem pejus quam latronem oderit; & in barbæ majeſtate ac amplitudine, ſcientiæ fiduciam ac ſapientiæ repoſuit. Qui, vtcunque graui ac ſeuero vultu, altero depreſſo, altero elato paulum ſupercilio, in mores plurima declamet, & auſteram, quantum volet, eloquentiam, cum caſtigatione morũ grauiter exerceat; nonnullis quidem ſapere, pleriſque vero inſanire cum ratione videbitur. At verſutus ille, qui cum Socrate faciat, nuſquam minus quam in ſchola verſabitur. In viis, in compitis, in foro, in theatro, in porticibus, in templis, occurret: in Solem, in puluerem prodibit. Sicut vmbra corpus, hominem ſequetur. Mores ſingulorum callide aſſumet, vt emendet: vitia cum opus erit, imitabitur, vt tollat: voluptatem denique vt ex animo eliminet, ſubſidium ab ipſa petet. Ita leno generis humani, quod profitebatur noſter, fiet. Arrogantiam non armis, ſed humilitatis ſtratagemate, inuadet. Nunc ſe ſcire aliquid negabit, vt oſtendat: nunc diſſimulabit vires, vt reſumat. Et vt animalia nonnulla corpus contrahunt, vt pugnent;

gnent; ita ille sapientiam prudentiamq; occultabit, vt putiditatem callide expugnet. Ipsam quoque veritatem non obtrudet, sed paulatim animis infundet. Quam vbique per vestigia latentem indagabit, ac, vt obstetrix, in lucem sedulo producet. Sæpe vt disputet ex arte, non vt aliquid concludat: sæpe vt arrogantem lepide exerceat, aut ignorantiæ conuincat: sæpe vt ludat in vtramque partem, & certamen, tanquam præpilatis, vrbanissimum instituat. Non vt renitentem lædat aut offendat, sed titillet, quod amantes solent, potius ac vellicet, magisque desiderio scientiæ accendat quam erudiendo satiet. Laqueos interrogationum & occulta vincula disponet: quibus reluctari neque optes cum possis, serum autem sit cum velis. Per notissima & sensibus comperta, viam ad ignota sibi struet. non vt trahat quidem, sed vt vinctum sua sponte & intricatum, ac volentem, quo libuerit, perducat. Muros animorum, non aperta vi, sed sensim, oppugnabit, & quemadmodum Trojanos ajunt, non per portas vrbis, sed in machina intrasse; ita ille per cuniculos inductionũ mentem non perfringet, sed ludendo occupabit. In familias ac domos, non virorum modo, sed & fœminarũ, callide se dabit. Ne ad mensam quidem si vocetur, non accedet. In qua, ipso quoq; luxu ac hilaritate abutetur. Simul enim animũ patere & diffundi inter vina sensérit, & vrba-

no

no quodam joco, aut lepore non quæsito, sed ibidem nato, sapientiæ amorem affricabit, & in animis, quos tanget, simul desiderium virtutis & aculeum relinquet. Denique, vt piscator hamo suo escam, ita ille sapientiæ ac disciplinæ comitatem, elegantiam, amœnitatem, ac suadam quandam delinificam imponet. Sic in Agathonis mensa, sic in Calliæ, hoc de quo loquimur prodigium se gerit. Quod & Xenophon & Plato expresserunt. qui lepores ejus & festiuitates, miris ac poëticis coloribus depingunt. Quippe in altera earum, cum hilaritatem epuli minutis primum, mox majusculis paulatim poculis oriri, atque ab ambitu eorum aliquam jam imminere intemperiem videret, ne hic quidem deserendam esse stationem arbitratus, vt modimperator quidam signum omnibus sustollit. Nam, *O optimi suauissimique*, inquit, *viri, ego quoque hercules bibendum arbitror. Vinum enim cum in animum diffunditur, mandragoræ in morem curas omnes sopit ac componit. Cæterum quod plantis, idem euenit & nobis. Illæ quippe plusculum si bibant, concidunt ac jacent: sin paulatim, quantumque satis est, id faciant, assurgunt & tepentis halitum Fauonii admittunt. Ita & nobiscum agi mementote. Quippe humorem istum si confertim admittamus, neque corpus neque animus constabit. Sin frequenter parua quidem sed rorantia circumferantur pocula festiua madidaq; mente ad hilaritatis portum salui atque incolumes perueniemus.*

In eadem ſeſe, & lenonem generis humani profitetur, & in formam ipſe ſuam, lepide ac feſtiue plurima jocatur. In illa autem quam deſcripſit Plato, quas non Veneres, ô Muſæ, ac præſtigias effundit! quæ irritamenta ac illecebras virtutis non excogitat! Amorem illum, verum ac æternum, quibus rationibus ac verbis, quibus fabularum inuolucris ac amœnitatibus inuoluit! Nam cum fœda ac præpoſtera libido ea tempeſtate omnium afflaſſet animos, jucunda quadam ac feſtiua ratione, morbum hunc tollendum arbitratus eſt. Pro eo igitur diuinam ac ſuauiſſimam amandi artem introducit. Quid expectas? Procum profitetur. Pulchros incipit ſectari. quorum in vultu oculiſque, notas quaſdam ac diuinitatis ſemina rimari ſe aiebat. Ex his tanquam aſtris, formam animi interiorem ac præclaram conſtitutionem denotare: quæ imbutum iſtis atque initiatũ ſacris, fallere non ponſſint. Sicut enim ſub initium Auroræ atque aduentum, fulgor quidam tremulus ac criſpus in ſupremis montium culminibus appatet, qui venturum Solem nunciat ac ſpondet; ita formæ venuſtatem, veræ pulchritudinis, quam ætas tenera promittit, plenior abſoluit, vadem ac ſponſorem eſſe. Hoc amore accenſus, exultare ſibi animum, attolli corpus, furere ac bacchari ſe exclamat. Hoc amore accenſus, Charmidem ſectatur, ad Autolycum ſe confert, in quorum vulti-

vultibus imago animi, in animis diuinitatis elucebant radii. Hoc amore accensus, lineam se albam pulchri ac amussim, hoc accensus, omnium formarum spectatorem arbitrumque elegantem aliquoties se vocat. Hoc accensus, Phædrum elegantis formæ juuenem, complectitur ac tenet, penduloſque pueri capillos manu leniter demulcet. quem ad aquam limpidiſſimam, quam nunciæ muſarum (ita enim vocat) voce tinnula lætaque perſonabant vndique cicadæ, ſecum ſub vmbroſum platani hoſpitium abducit. vbi venuſtiſſime de pulchro commentatur: tanto animi ardore, vt hominem ſubinde exuat, ac in cœlum vſque aſcendat. Sed vt ad Conuiuium Platonis redeamus. Erat tum Athenis Alcibiades, ingenio ac forma nemini ſecundus. Accedebant opes luculentæ, neque minor opibus nobilitas, quæ vel ſolæ acrem inflammare ſolent animum. Quid multis? Luxus primum, mox ambitio, ingentem, &, qui ſolus aut prodeſſe patriæ tum poſſet aut obeſſe, juuenem inuadunt. Totos ergo dies epulis ac vino indulgere. Si quid poſt hæc temporis ſuperſit, ſcorta ſibi vindicant ac luſtra. Sicyonia in pedibus, in capite corollæ eſſe: fama vacillare, res dilabi, vadimonia fieri. Nihil Hipponicus ſocer, nihil tutor hic Pericles poſſe Ætatem in omnia præcipitem ac pronam, amatorum, quod tum ibi vſitatum, agmen impellebat. Vna ſpes reſtabat.

ſtabat, Socratem accedunt. Ille vt ægrum videt, formam intuetur, indolem explorat. Qua, ex arte quam profitebatur, captum ſe fateri: juuenem amare: cæterorum ſe riualem profiteri. Ita primum impudicos ſemouet, mox arcet. Alcibiadem, quocunque ſe conferret, ſequitur: in theatrum, in palæſtram, in gymnaſium deducit. Nuſquam ſine Socrate Alcibiades, ſine Alcibiade videri Socrates. Cibum vna capere ac potum: vbi fert occaſio, dormire propter. Vna domi ac militiæ verſari: juueni haud pauca indulgere ac largiri: lenonem induere: philoſophum diſſimulare. Solus aquam e fonte aut fluuio haurire: cum adoleſcente pluſculum ſe inuitare. Bacchum, omnium facetiarum Patrem: ſcyphos & crateras, inſtrumenta gaudii vocare. Neq; juueni eorum interdicere vſu, ipſe autem bonum nomen eſſe. Interdum & capacem, ſicut juſſus erat, ſine reſpiratione, more militum educit. Hæc mirari adoleſcens, neque viri mediocris officia putare. Ita amore primo vitiorum oppugnatur, mox capitur. quibus ipſis ad virtutem perducitur. Paulatim enim de diuinitate animorum quædam interſerere: Homeri aut Heſiodi verſiculum, ſubinde & fabellam, inſpergere incipit: leonem ex Republica Æſopi aut vulpeculam admiſcet. Quid patriæ, quid Deo, quid propinquis debeatur, lepida oratione ac feſtiua, qua humanas ille mentes excantabat,

tabat, inter fercula percurrit. Nonnunquam de origine vniuerſi ac noſtra, quo plerunque illuſtres eriguntur animæ, nonnulla delibat. Poſtremo ſibi juuenem oſtendit. Opes fortunæ dotem eſſe: quæ diuortium cum facit, ſua ſecum tollit. Formam ætatis eſſe ſpolium: quam elabi nemo, ſed elapſam eſſe ſentit. Rideri hæc a ſapiente & contemni, qui in animo ejuſque functione omne bonum habeat. Sicut autem pueri lapillos ſæpe aut talos, ex opinione æſtimant & amant, quos deinde viri, nec aſpectu dignantur: ita hoc æs, hoc argentum, quod in titulos diſtinctum & neſcio quos vultus, paſſim circumfertur, minus eſſe quam crepundia virorum. Aurum illud, quod tantopere admirantur omnes, terræ eſſe partem, quam opinio & color diſtinguat. Hæc dum ſæpius inſtillat, jam virtutis pariter ac Socratis amore inflammatur Alcibiades. Reliquos ne videt quidem. Socrati hæret, Socratem cogitat, Socratem ſequitur, Socratis amore contabeſcit. Itaque in Conuiuio Platonis, cum ad Agathonem nocte ſera temulentus admodum veniſſet, Socrate conſpecto, quem adeſſe ignorabat, furere ac vaticinari. Vittas ergo quas habebat ſecum tæniaſque, quod amantes tum ſolebant, bello Sophroniſci filio imponit, ac diuinum illud caput delicatis violarum vinculis inuoluit. Eius quippe linguæ veneficio effaſcinari ſibi mentem, vo-

cem eripi ac tolli, lacrimas quotidie excuti fatetur. Pati denique quod Corybantes solent, aut quos vipera momordit. Nam accendi,& afflatu corripi , & e potestate sua se exire, & audire semper velle , quæ audita nollet. De cognitione sui , de contemptu rerum , de ambitione, & luxu. Scire enim vera esse quæ dicuntur, & fateri,& manus dare, & displicere se sibi,& indignum hac luce videri. Neque posse in homuncione tali , simo, recaluastro, fœdo ac deformi, Sileno denique,non homine, hoc illicium verborum , illam in dicendo insolentiam ferre ac procacitatem. Quare ad incitas redactum se quidem , neque reperire quid hoc monstro sit facturus : quem neque pudeat jam quicquam , neque legem vllam se tenere putet ; vafrum,contumeliosum, tinnulum,dicacem. Qui se scire neget quicquam, neque quicquam rerum omnium ignoret:pulchros omnes ac formosos citra Venerem depereat,aut ipse vrat: vino quicquid vsquam est mortalium , nec ebrius nec madidus , & semper sui similis, deponat.Iuuenes honesto loco natos,candidos ac rerum imperitos,technis & præstigiis quibusdam callide obrepens , pungat ac irritet , tandem vero saucios a se dimittat. Ac optare quidem sæpe se ne viueret , ne esset,ne extaret vsquam. Quod si eueniret, se quoque ex hac luce abiturum. Cætera enim omnia perferre posse se ac pati : sine Socrate autem

autem ſuo, deliciis ſuis, ſuis amoribus, eſſe quidem ſe non poſſe. Neque poſſe ſine iſto intueri hunc Solem. cum illius tamen nec ſermones, nec aſpectum ferre didiciſſet. Ideoque, quod in bello profligati ſolent, manibus demiſſis, cum adeſſe audiret, fugere aut abire. Quin & iſta ratione vix elabi. Periculum enim imminere, ne inuitus ſapere cogatur. tantam ejus eſſe vim in diſputando ac potentiam. Quæ miraculoſo quodam genere dicendi Plato proſecutus eſt; alumnus hujus diſciplinæ & decus. Hæc eſt illa ars diuina, quam ad emendandam hanc ætatem conferebat. Nunc ad mores viri & viuendi rationem veniamus: vt pro rei dignitate, noſtra quoque ſe attollat oratio. Primum ergo non in dolio, vt Cynicus, viuebat: nec vxorem nunquam duxit, vt Thales: neque ad Rempublicam non acceſſit, vt Anaxagoras. Bellum pacis tempore diſſuaſit: in ipſo, patriæ non defuit. Vbique autem ineffabilem ac ſibi propriam illam animi conſtantiam ſeruauit, quam ad Stoicos pulcherrima hæreditate tranſmiſit. Vxoris intemperiem, aut fortiter ferebat, aut venuſto ſubinde illudebat dicteriolo. De quo alii non pauca. In vita, ſicut habitu, ita vultu eodem ſemper verſabatur. Quem non ira, non gaudium, non mœror, non calumnia, aut contumelia, immutaret. Videres in oculis, in ſermone, in geſtibus, magnum illud proxi-

mumque Deo, NON MOVERI. Autor Plato eſt, cum ſe contemplationi tradidiſſet, & a ſenſibus externis mentem ſeuocaſſet, prope biduum eodem loco, ſummo cum ſtupore omnium ſtetiſſe. Ariſtophanes cum magno omnium concurſu Nebulas doceret, & in ejus ſapientiam ac mores impuriſſimum os ſolueret, proximus aſſedit, neque vt læſus e theatro, ſed vt ocioſus aliquis ſpectator diſceſſit. Addidit, probari ſibi vehementer hoc ſpectaculum. Et cum cauſam quæreret nonnemo, Si falſa, inquit, ſunt quæ dicunt, vt contemnas: ſi vera, vitam vt emendes. In Republica auro, in militia ferro inuictum atque inexpugnabilem ſe geſſit. Salaminio Leone viro innocente, judicum ſententiis oppreſſo, ſolus non acceſſit. Thraſyllum & Eraſinidem cum ſuis, populo jubente ac magnatibus vt calculo damnaret, nec vi, nec minis, nec terrore mortis eo potuit adduci. In caſtris fortiter quæ geſſit, aut conſtanter tulit, fidem prope excedunt. Cum Potidææ miles hybernaret, hoſtem armis, ſuos tolerantia vincebat. Nam cum pilis pellibuſque corpus vniuerſum, maxime autem pedes cæteri munirent, ille palliaſtro, ſine affectatione & ex more, indutus, nudis pedibus per glaciem ac niuem incedebat. Vt commilitones irrideri ac contemni ſe ab eo crederent, hoſtis autem profligatum eſſe bellum ante prœlium exiſti-

existimaret. Quis enim virum excepisset, quem nec Iupiter iratus, vt tum loquebantur, debellare poterat? qui superbus prope ac contumelioſus tempestatis vim eliderer? minas cœli, inclementiam hyemis, venti rabiem, immanem niuis ac pruinæ impotentiam, non corporis integumento, vt plebs militaris, sed inuicta mentis pertinacia calcaret. Dedisses illi comitem Epicureum aliquem, hominem molliculum, imbecillem, ignauum, qui e balneo, aut lectulo, aut e scortilli gremio, tremente corpore, dentibus crepitantibus prodiret: homo semiuiuus, ante hostium congressum, ad vnius auræ afflatum aut friguſculum, obriguisset. Nam in ipsa acie, mucronem quomodo intueretur, aut aduersum toleraret vulnus, qui ne apis quidem sine maximo dolore ferre aculeum in schola didicisset? Ejus autem vultum oculosque quis tulisset, quem nec vitia nec vitiosi ferre poterant? Quis non cognitum visumque protinus exhorruisset? Robustum atque inexpugnabilem athletam, qui non in Olympico certamine aut Pythico, non in stadio Græcorum aut palæstra, manus atque humeros, sed in supplantandis perturbationibus, inuictum immotumque obdurarat animum. Qui non suem Erymanthium aut aprum, vt poëticus nugator, aut leonem Nemeæum, sed immanes animorum feras, iram ac vindictæ lubidinem, quotidie vince-

vincebat. Qui cum ſpe ac metu, cum dolore ac voluptate, longum ſine miſſione inſtituerat certamen, neque clypeum, vt reliqui, aut peltam, ſed terrore omni vacuam atque expeditam hoſtibus tranquillitatem mentis opponebat ac conſtantiam. Qui immotus animo atq; inconcuſſus, cæli corruentis impetum ſuſtinuiſſet, & labente hoc mundo, vno conſcientiæ ſuffultus tibicine, ſecutus ſuique ſimilis, cũ vniuerſo cecidiſſet. Quem vero timuiſſet, qui nec mortem poterat timere? quam qui ſpernit, mori poteſt, vinci nondum poteſt. Quippe vt totum Xerxis aut Darii agmen, vt tot equitum cohortes peditumq;, quot ad expugnandam olim vniuerſam conueniſſe Græciam dicuntur, ſolus excipiat; naturæ tantum cedet: cui Deus immortalis, vltra corporis atque animæ ſolutionem, nihil de homine indulſit. Nam de reliquis, confoſſus, lacer, ac in partes totidem quot membra attulit diſcerptus, etiam poſt fata triumphabit: libertatem vero ſartam atque tectam, vltra ſpiritum cum ſanguine producet. Hoc philoſophus ac miles intereſt. cui pro audacia temeritas, pro virtute ſpes præmii, pro excelſo atque inuicto animo, ſæpe iracundia eſt. Quæ ferarum fortitudo eſt, non hominum. Multo minus ſapientis. qui non tam aduerſus hoſtem arma ſumit, quam pro patria: nec Ducem ſequitur, ſed cauſam.

Hæc

Hæc illius viri disciplina, qui ad honestatem cuncta referebat, nec ad palum more Romanorum militem tironem, sed in vita exercebat. Quæ cum alibi vbique, tum in bello vsum habet maximum. Quid enim refert, Dii atque homines, colum manu teneas an hastam, si timere non dedidicisti? Nudus an armatus confligas cum hoste, si inertem atque imbellem attulisti animum? qui non chalybe, non ferro, sed contemptu mortis muniendus est. Hanc diuinam armaturam, non in Alexandri castris aut Philippi, non in Xerxis aut Darii, sed in schola Socratis invenies. Hanc Homericus Vulcanus, clypei cœlestis artifex ac machinator, non excogitarat. Nec Homerus ipse. Qui cum Martem suũ adamantino thorace induisset, paulo post fœdissime plorantem, postquam fœde vapulasset, autor tanti nominis inducit. Ille vero & eiulat, & lamentatur, & in cœlum sese confert, & parenti vulnus suum delicatus pusio ostendit. qui tam tenero misellus ac exili esset corpore, vt collapsus humi, nouem terræ jugera æquaret. Casu autem (ô calamitatem!) Venus abest: quæ festiua manu, salsam bellatori maximo lachrimulam abstergeret, & armorum recordationem, pæto illo vultu suo, è plorantis animo deleret. Dicas, non è bello, sed è gynæceo aut popina quadam optimum prodire Deum, qui cum mori, scilicet, non posset, ne contemne-

re

re dolorem quidem poterat, quem in partu sæpe muliercula contemnit. Quanto autem fœdius est flere, quam non esse! cum alterum imbelliæ, alterum necessitatis sit. Quam cum declinare atque euadere vir fortis non possit, subdit sibi atque in ordinem cogit. Sanguinem autem cum oportet, lachrimas ne in ipsa quidem morte emittit. Cadit aliquando, nunquam cedit. Hujus viri disciplinam si sectari Athenienses, quam autorem ejus tollere ac damnare maluissent; orbi imperare poterant. Miseri atque infelices Græci, quid de prœliis rebusque vestris Pythiam consulitis? quid ad naues confugitis? quid in armis omne præsidium habetis? in foro autem quid obambulatis? omnes auras de adventu hostium aut apparatu studiose pariter & timide captatis? Ad Silenum vestrum ite. Socratem consulite. Dicet vobis, animam non mori: corpus sua sponte periturum. Hoc subduci bello quidem posse, terræ ac corruptioni non posse. Vitam esse, non quæ in hoc spiritu & mole, sed quæ in memoria posteritatis, in existimatione sęculorum omnium ac temporum consistit. Hujus desiderio erectas ac illustres animas accendi, hanc interdiu, hanc in somnis cogitare. Quæ vt cœlum illud vnde oriuntur in se desinit, ita in æternitate ipsa terminatur. Alteram, calorem quendam esse, qui momento perit atque extingui-

tur,

tur, qui in media nonnunquam voluptate, non abrumpitur sed desinit. Mortem ipsam per se neque in bonis neque in malis numerandam: honestam vero, etiam dolore omni atque cruciatu redimendam esse. Nunc dum sapientiam negligitis, cum imperio amissum eam itis, & felicitate vestra alios armatis. Hac opinione imbuti magni illi Romuli nepotes, imperium Oceano, famam atque existimationem astris terminarunt. qui non tam ariete aut ballista, portas vrbium ac muros, quam contemptu mortis perruperunt. Ex hac, Thraseæ Heluidiique, magnæ robustæque animæ, afflictis rebus, prodierunt. quæ in seruitute, libertatem, in tyrannide, honestatem vitæ ad extremum vsque halitum retinuerunt. Hac se Cato muniebat: qui dum duo de hoc vniuerso dimicarent, ac insatiabili ambitione omnia miscerent, solus libertatem sequi maluit quam partem. Qui Pompeio jam extincto, cum superior euadere non posset, libertati superesse multo minus potuit. Omnia in vnius potestatem jam concesserant: vrbes, oppida, castra, propugnacula, homines. omnes aditus ac viæ, fluvii omnes ac maria, obsessa erant. Cæsar diuisum cum cœlo imperium habebat. Solus adhuc Cato restabat; non appendix victoriæ, sed pretium. Quem familiæ ac domus, cui se dicarat, splendor ac majestas, vitæ anteactæ dictorum-

ctorumque ac factorum conscientia, orbe expugnato, conclamata libertate, sine armis ac præsidiis in tutum collocarant. Aderat jam imperator, terra victor pariter ac mari, qui successu suo ac fortuna plenus, nihil præter vnum jam Catonem cogitabat. Cujus caput sordidum, vt in reatu, ac afflictum, contueri, quam Pompei amputatum, malebat. cum alterum de vno viro, alterum de sapientia parari crederet triumphum. Iam, canitiem illam venerandam, illum vultum, in quo sæculi calamitatem tanquam literis ac ductibus, quibusdam, consignatam quasi ac conscriptam legeres, illam barbam, è qua sectæ dignitatem æstimares, illam linguam, quæ victorem pariter damnauerat ac victum, illud pectus, in quod post ciuile bellum ipsa virtus, tanquam in delubrum quoddam ac sacrarium, confugerat, in quo grauitas, justitia, seueritasque, domicilium posuerant ac sedem, illum virum, à quo semper inferior fortuna recesserat, voluptas autem nihil vnquam extorsisset, supplicem, miserabilem, abjectum, ad genua, ad pedes, adfuturum sibi expectabat. Advenisse jam existimabat diem, cum decreta Stoicorum & magniloquentiam, nihil præter voces & inanem quendam esse strepitum, non prolixis & ex vmbra disputationibus ac argumentis, sed victore gentium ac populorum gladio euinceret. Neque dubitandum,

tandum, quin ſpe veniæ aut vitæ, aliquid jam remiſſurus eſſet. Damnari quoque ab vno cauſam amplius non poſſe, quam ſucceſſus & victoria abſoluerent. Ille animo inuictus, cum adeſſe hoſtem intelligeret, timere cœpit ne viuendum ſibi eſſet. Igitur, vt illi qui exire foras vehementius contendunt, neque poſſunt tamen, poſtes ſæpenumero ac cardines vi maxima conuellunt; ita ille, cum diuinam Socratis de animæ æternitate diſputationem cupide ac diligenter perlegiſſet, rupto primum mox & lacerato corpore, ingẽtem inuictumq; ſpiritum per vulnus fortiter emiſit, atque in cœlos iter dedit. Hoſtem ſuum expectabant ſinguli: Cato vt ſubuerteretur, Cæſar & Fortuna conſpirarant. Ille vtrique par, dolorem quoque prouocauit. qui cum mori placide per medicum non poſſet, nouam fortitudinis materiam inuenit. Corpus quod pupugerat, diſcerpſit; partes autem, vt iratus ac moroſus, Fortunæ in oculos impegit. Magno quidem animo, quod mortem fortiter contempſit: injuſſu vero Dei quod exceſſit, nec Socratice, nec recte. Quippe qui, quemadmodum in caſtris, duce ſummo vel inuito vel ignaro, ſtatione non egrediendum, ſic e vita, niſi vitæ imperator id injungat, minime excedendum eſſe, ſemper docuit. Quare nec timendam nec accerſendam eſſe mortem. Nam timere quidem, nec philoſophi nec viri eſſe. Cuius rei plurima

exempla ipſe Socrates reliquit. Quippe ad Delium cum militaret, equo lapſum Xenophontem ſuſtulit; lapſum in humeros ſuſcepit, geſſit, conſeruauit. Fugientibus autem cunctis, ipſe paſſu lento, manu oculiſque in hoſtem conuerſis, retro pedetentim incedebat. Proditus ac derelictus, vniuerſos ſuſtinere cum non poſſet, ſolus ſine vllo mortis metu, adhuc ſingulos vincebat. Iam cum milites plerique corpus animamque drachmis aliquot venalem habeant, duces principeſque, ſummum rei bene geſtæ precium, honorem ac gloriam exiſtiment; ne iſta quidem ſibi vindicauit. Ne ex virtute quicquam, præter ipſam & ſalutem patriæ, petendum eſſe, exemplo ſuo cuiquam perſuaderet. Vnde cum ad Potidæam, ſummam manu rem geſſiſſet, ſimul & victoriæ mercedem & exiſtimationem Alcibiadi reliquit: ſibi vero, nihil præter facti conſcientiam ſeruauit. Quo adoleſcentem, tanquam manu, ad virtutem duxit. Nam vt venatores, cum jam præda ſunt potiti, & in ſanguine ſe volutantis feræ, cultro viſcera aperuerunt, catulos recenter hac militia imbutos, adhuc feſſos, adhuc anhelantes conuocant, ac belluam oſtentant, cujus vel cruorem, vel interdum ipſam, multum geſtientibus relinquunt: ita diuinus ille vir, inflammatam gloriæ cupiditate adoleſcentis mentem, cum virtute nondum poſſet, præmio illius inflammauit, & ſupremum

prèmum Græciæ totius militem, inſtitutione hac & prudentia perfecit. O ingentem atque inuictum animum, qui cum hoſtem ſuperaſſet, de ambitione triumphare maluit! Quod vix vniverſa Græcia (Græciam quid dico?) nullus Imperaror potuit Romanus. Qui cum triumphali veſte, Iouis inſtar, quem ſtellata toga referebat, ſupra capriuorum agmina incederet, eodem curru ſecum ſeruulum habebat; qui, VT ESSE HOMINEM SE MEMINISSET, tacite monebat. Adeo, niſi aliena vteretur memoria, periculum erat, ne hoc ignoraret. O humanam vanitatem! O dementiam anilem, & in tanta gente ne ferendam quidem! Vlluſne hiſtrio in ſcena, Agamemnonem ſe eſſe, aut Priamum, aut Iouem, cum id aliis perſuaſit, ipſe quoque credit? Quid enim? Toga picta, & armillæ, & coronæ, & effuſi Quirites, & fercula, & diuitiarum pompa, & ex parte veræ, ex parte ſimulatæ gentes, & inſanæ vulgi acclamationes, aliud, quam puerilis atque inanis apparatus fuit? qui nec meliorem quenquam nec beatiorem efficeret. Et vt toro vitæ tempore contingerer, mortis tamen ad arbitrium ponendus eſſet. Quæ jus ſuum non remittit, neque Deum quenquam eſſe credit; eſſe autem hominem facillime euincit. Hæc perſonam exuit, laruam detrahit, quanti quiſque ſit fatetur. Quod & vidit optime & intellexit Socra-

tes. Quare si tam bene cum humanis rebus ageretur, vt in publica hac omnium dementia, vllus saltē vel precario daretur sapienti locus, in hoc curru, e quo prædam ac thesauros orbis vniuersi, aurum & argentum, ebur ac conchylia, & quicquid pretio aut opere admirandum victæ gentes habuissent, imperator ostendebat; vnum adhuc, pace populi Romani, defuit: homuncio deformis, facie agresti, hebeti aspectu ac taurino, cultu nullo, ac propemodum pudendo, qui hæc omnia contemneret. Qui in toga semilacera ac semitrita, nunc in hanc nunc in illam partem oculos conuertens, suauiter obambularet: cuncta, quæ ædificant, quæ aranthomines ac nauigant, quorum causa currunt, æstuant ac sudant, vt minora se despiceret, ac lepide rideret. Qui honores omnes, omnes dignitates, opes omnes ac possessiones, toto vitæ tempore, irretortis oculis præteriisset: omnes autem vitæ illecêbras, omnes libidinum igniculos ac faces, omnia cupiditatis semina ac flammas, restinxisset. Huic laurum, huic Sapientia imponeret coronam: hunc victorem generis humani, voce publica pronunciaret. Qui si Cæsares, Pompeios, Scipiones (at quæ nomina, quos viros!) in hoc ludo occupatos serio videret, suum illud cum cachinno occentaret,

Τάδ' ἀργυρώματ' ἐστὶν ἢ πορφύρα·
Εἰς σοῦ τραγῳδὸς χρήζιμ', οὐκ εἰς τὸν βίον.

Argen-

Argentum & aurum, nobiliſque purpura,
Decent tragœdos; vitam honeſtam non decent.

Quantum autem verus imperator vbique captiuorum agmen aſpiceret! Non Sicambros aliquot aut Gothos, Perſas aut Medos, Æthiopas aut Indos, ſed mortales prope ſingulos & omnes. Quorum alios mollis, alios dura, alios laxa, alios ſtricta, pleroſque argentea aut aurea, omnes aliqua conſtringeret catena. Alium auaritia, alium luxus, alium amor, alium ſpecioſum quidem ſed moleſtum ambitionis vinculum: quæ pleriſque, & quidem maximis ſummiſq; viris, ſpecie virtutis placet aut blanditur. Denique incederent

—victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam veſtis & armis.

In fronte autem pompæ, non Cleopatram aliquam, præfractam, meretriculam atque animoſam (quamuis ne hoc quidem Cæſar poſſet) ſed Fortunam ipſam, Fortunam dico ipſam, arrogantem ac ferocem generis humani dominam, Regum principumque ſpoliis onuſtam, oſtentaret. Cujus ille regnum animi conſtantia euertit, manus exarmauit. Quem obſcena pellex ac laſciua, veſte varia ac laxa, vultu lubrico ac molli, oculis natantibus ac fractis, comptis ac madentibus capillis, ſequeretur: copa quædam generis humani ac lena. Cujus impetum nec magnus Alexander, neque milites Græcorum, vt fatentur ipſi, ſuſti-

nere potuerunt. Voluptatem vocant homines. Quæ magistros quoque sapientiæ seduxit. vt supremum maximumque in ea vitæ bonum collocarent. Quod e lustris, e popinis, e scortorum prope halitu ac gremio, e vino, e sagina, ad sudorem, ad honestas actiones, ad contemptum voluptatis ac doloris, ad tranquillitatem animi ac bonam mentem, primus Socrates traduxit, & in locum suum collocauit. Qui vt scopum vitæ suum reddidit, ita ipsam saluberrimis præceptis illustrauit. Quam non, vt Apollo Delphis, vanis ac ambiguis, sed certis ac perspicuis oraculis instruxit. DEVM IMMORTALEM NOSSE OMNIA. FALLI HVNC AB HOMINE NON POSSE. HONESTATEM AB VTILITATE SEPARANDAM NON ESSE. BONVM VNICVM SCIENTIAM, MALVM VNICVM ESSE IGNORANTIAM. LIBERTATEM SITAM ESSE IN ANIMO. EVM EXTINGVI NON POSSE. SAPIENTI QVIDVIS ESSE SATIS, DESIPIENTI NIHIL. NVLLA RE EGERE, DEI; PAVCIS, DIVINI VIRI ESSE. quæ & publice & privatim, & in foro non minus quam in Academia canebat. Quam suauissimam illius musicam, non hyems, non autumnus, non tempestas vlla, sed plebeius furor & cicuta abrupit. Hanc in vinculis, in ferro, in lictorum manu, vt cicadæ, si in ipso cantu capiantur, sine vlla vultus commutatione aut querela, vsque ad exitum per-

perduxit. Cujus rei ſine maximo dolore recordari non poſſum. Vir innocentiſſimus probiſſimuſque, aduerſus nemini aut grauis, morum ac viuendi publicus magiſter, in Republica ac vita inculpatus, domi ac militiæ inuictus, ad quem juuentutem gratis emendandam tota vrbs mittebat, paucis diſplicere incipit. Accuſatur, creditur. In vincula conjicitur. Ipſe quid? Non cauſidicum e foro, callidumac vafrum, legum aucupem ac ſyllabarum, præconem formularum ac cantorem, quales ibi erant plurimi, producit. Non vxorem ejulantem, non infantes vagientes, ipſe ſordidus ſqualore, lachrimis confectus, metu ac pallore exanguis ac propemodum exanimatus, judici oſtendit. Quid ergo? Innocentiam opponit: mortem ſimul ac defenſionem ſpernit. Lyſias orationem ſcribit: ille ſcriptam laudat, non admittit tamen. Conuenire enim ſibi negat. Nihil quippe deprecandum, nihil excuſandum ſibi eſſe, qui non pœnæ metu ſed virtutis cauſa, nunquam ab honeſto receſſiſſet. Id ſi perſuaderi populo non poſſet, mortem contemnendam eſſe, quam qui ferre didiciſſet, eſſe miſerum non poſſe. Plato pulpitum, vt memorant, conſcendit, ſed exſibilatus ſuperſedit. Mihi vero ipſa Sapientia, diuini hujus viri patrocinium ſuſcipere eo tempore videtur debuiſſe. Quæ hoc modo plebem & corruptos peſſima opinione judi-

ces, affari potuit. Viri Athenienſes, quas res geritis? Socratem hunc Sophroniſci filium, Melitus accuſat, Anytus oppugnat, Lyco perſequitur, Ariſtophanes calumniatur. Vos vero quid? credo damnabitis. Crimen ergo quod adfertur? Nouos Deos introducit. Atqui veſtri ne ſunt Dii quidem. Edunt, bibunt, pugnant, rident, plorant. denique ſi veſtræ credimus Theologiæ, cœlum deſerunt, abnoctant, virgines imminuũt. Iuuentutẽ hanc corrumpit. quamne ad pietatem, temperantiam, ac frugem, gratis toto vitæ tempore vocauit? Libertatem ferre non poteſtis. at majorem in comœdia laudatis. De ſupplicio nunc videamus. In exilium mittetur. Ille vbique natum ſe exiſtimat. Vos Alopecenſem eſſe creditis, vni populo aſtringitis. Iuro vobis, ne Athenienſis quidem eſt. Ciuem vniuerſi hic videtis. Quocunque ablegabitis, cœlum hoc, digniſſimum philoſopho ſpectaculum habebit: Solem hunc, hanc Lunam intuebitur: in ſublimem illum, &, quacunque parte aſpicias, ſimillimum ſibi aërem, mentem & oculos immerget. Quocunque autem veniet, terram aliquam calcabit, aquam bibet. Animum inuictum, immobilem, ingentem, excelſum, infatigabilem habet; omni loco, omni vitæ ac fortunæ parem. Bona ſubducentur. ne poſſedit quidem vlla vnquam: vnam togam, calceos plerunque nullos habet. Ecce nudis

dis pedibus incedit. Etiam hoc tempore quo reus est, fortunam profitetur, non accusat. Postremo, sola virtus diuitem, paupertas efficit securum. Huic quicquam eripi non potest, ista detrahi non potest. In carcerem conjicietur. ille Academiam putabit. De æternitate animorum, de felicitate post hanc vitam, vt Athenis solet, lætus ac securus disputabit. Compedes ac vincula iniicientur. ille liber animo, non ciuitatem modo vestram, sed & campos beatorum, quos Elysios vocatis, peruagabitur ac suauiter describet. Venenum propinabitur. quid si tanquam vinum hauriet? Mors sequetur. quid si hanc felicitatis portum, toto vitæ tempore vocauit? Memoriam delebitis. in omnium jam eam animis impressit. Alii vos crudeles, barbaros, immites judicabunt: nulla dies, nulla ætas, nulla temporum vis, notam hanc delebit. Ille quid? Si vel nunc audire verum didicistis, pueros existimauit semper. Faba judicem creatis, calculo virtutem aut damnatis, aut quibusdam testulis proscribitis. Sic Miltiades à vobis, sic Themistocles, sic Aristides, ex hac urbe ejecti sunt. Socrates, ut leges vestræ ferunt, poculum exhauriet. Ille vero, ô inepti, morem geret vobis. & vt inter ebrios ac temulentos vestros, nemo Regi se opponit, cujus omne imperium cum mensa tollitur: ita ille, tanquam à conuiuii magistro nunc damnatus, morem, in-

quam,geret vobis. Bibet.Paulo post à vobis se subducet, ac in locum omnibus communem, hinc secedet. Vbi neque pacta, neque stipulatiunculas,neque fabas,neque testas, neq; calculos, nec familiare domesticumq; vobis animal, sycophantam amplius videbit. Vbi legem,non Draconis vestri aut Solonis,sed qua mundus iste gubernatur ac regitur, inveniet. Ex qua lege actor Socrates,rei sunt Athenienses. Hæc si ipsa Sapientia dixisset,vera quidem sed nil profutura in communi ista rabie dixisset. Sola quippe pœnitentia sanantur, quos sanare ratio non potest. Ille igitur invictus ac immotus,mortem subiit,invidiæ concessit, vrbem ac Rempublicam ingratam, voce ac conspectu saluberrimo priuauit. Poculum veneni, tanquam aquam qua delectabatur,hausit. post exhaustum, ne jocari quidem desiit. Quippe cum ad pectus usque vim cicutæ defluxisse jam videret, & in ipsa morte versaretur, gallum Æsculapio mactari jussit, quod post morbum fieri solebat. Et cum dicto expiravit. Despectos ac illusos se ab eo judices conquerebantur. ille vero morti quoque illusit: vitam autem, tanquam febrim aut gangrænam, vna cum sceleſtis civibus reliquit. Qui non multo post gravissime ereptum doluere: domos omnes, omnes officinas, ut in luctu publico,clausérunt: Anytum exilio,Melitum morte,cum jam serum esset, affecerunt.

Ejus

Ejus vero vultum, non tam Socratis quam leuitatis ſuæ, veram atque expreſſam in publico imaginem repoſuerunt. Nam ut trimulę puellæ aut quadrimulæ, ſigilla quædam habent, quibus vitam dare cum non poſſint, formam, quantum eſt in ſe, humanam donant; iis ſe oblectant, oſculantur, pectori ſubinde applicant aut intuentur: ita homines, inſani vere ac dementes, cum viventem ac ſpirantem reddere non poſſent, ſtatuam illius, arte exquiſita factam, in Pompeio dedicarunt. Puſillum ac deforme viri corpus expreſſerunt: pulchrum illum ingentemque animum, quem nec fortuna vlla, nec lubido, tetigit aut flexit, caſtitatis, temperantiæ, modeſtiæ magiſtrum, fortem, rigidum, inuictum, ſupra res humanas eminentem, perditum iuere. Nos vero, quibus abſoluta ejus viri, non tam corporis quam animi figura eſt relicta, quam non artifex Lyſippus, ſed diuinus Plato efformauit atque expreſſit, ſummo eam ſtudio, atque admiratione complectamur. Illic ſtatuam, non ære, ſed inuſitata animatam eloquentia, habemus. Illic poſt cicutam imperitos docet, inſolentes arguit, ineptos ridet, arrogantibus illudit. Illic ſuauiter jocatur, diſſerit facete, urbaniſſime diſſimulat. Nunc furore ſubito commotus, Deum equitantem videt, & arcanum omne cæli, ore audaciſſimo eliminat. Nunc Iſmenum ſuum petit, & in fonte puro

nudis

nudis pedibus obambulat, ſimulque gratam aquæ frigidiſſimæ temperiem expertus, voces homine majores effundit. Nunc Amorem, mirum & potentem Deum, mores ejus, genus ac parentes, lepide depingit. Eſt & vbi morti jam vicinus, & propemodum in ipſa, animam deſcribit, & æternam eſſe docet. In Eutyphrone de pietate, in Menone de virtute, in priore Alcibiade, de homine, in poſteriore, de precandi ratione; alibi de temperantia, alibi de amicitia, alibi de fortitudine eleganter, & pro more ſuo, diſputat Denique, ne quicquam deſit, leges ſancit & Rempublicam ædificat. Omnibus hic loquitur, omnes docet, omnibus philoſophatur. Hic cum eo mortem contemnamus, ſupra caſus omnes ac fortunam aſſurgamus, bonum non in opibus cum vulgo, ſed in animo ponamus. Qui cum ſe diſpoſuit vt debet, & cum ratione pariter ac ſecum conuenire cœpit, nullius aut expectat judicium aut timet. Dolorem non metuit, injuriam non ſentit, calamitatem non nouit: nullam pœnitentiæ lituram admittit. Plenus, perfectus, abſolutus, ſortem per ſe ſuam & conditionem excedit. Nam vt Deus immortalis, nec fortunæ bona habet ſicut Reges principeſque, neque corporis, quo caret, neque minus tamen ipſa eſt felicitas: ita ſine ſcenico & ludicro hoc apparatu, ad felicitatem & ſupremum quiuis in hac vita bonum peruenire poteſt.

poteſt. Viam Socrates oſtendit. Qui ut olim in Academia, aut amœno viridantis platani muſeo, ita nunc in ſacris myſticiſque maximi Platonis de virtute ac ſapientia ſermonibus, cuiuis de his conſulenti reſpondet.

Vobis, Ampliſſimi Clariſſimique Viri, Roche Honerdi, Apolloni Scote, Caſpar Voſbergi, maxima ſupremi Senatus lumina ac ornamenta, quodque nobis quoq; omnibus accedit, hujus olim Academiæ alumni, qui huc noſtri cauſa aduenistis, gratias quas debeo, & habeo & ago. Socrati vero gratulamur, quod vt olim iniquis Athenienſium calculis damnatus eſt, ita veſtris, ad quæ omnes prouocant, judiciis ſuffragiiſque, (de quo veſtra tum præſentia tum audiendi ſtudium, inprimis vero ea quam ignorat nemo æquitas, ac probitatis amor, dubitare nos non ſinit) iterum hoc die, & in hac corona quam videtis, publice abſolutus ſit.

ORATIO XXII.

De vtilitate, qua e lectione Tragœdiarum percipitur. Habita, cum Electram Sophoclis interpretaturus eſſet.

GOrgias ille Leontinus, Auditores, cui vires ſuas & rotunditatem quandam in dicendo antiqui oratores ſe debere fatentur, Tragœdiam definiebat, *Fallaciam, qua qui deciperet, juſtior eo qui non deciperet, qui deciperetur, ſapientior eo qui non deciperetur, eſſet.* Videtis bre-

ue

ue illud & argutum, quo tantopere delectabatur, differendi genus. Oraculum autem verius, nec ille, nec Apollo Delphicus, pronuntiauit vnquam. Nam cum aspera & amœna minus sit virtutis semita, qui inusitata quadam docendi ratione & apparatu, ita flectere, & quasi incantare, humanos possunt animos, vt inuiti, & cum voluptate tamen quadam, sapientiam sequantur, quemadmodum prudenter, ita juste infelicitati humanæ imponunt, neque minus necessaria quam salutari quadam fraude vtuntur. Cæterum à tantis viris posse decipi, paucorum est: & illorum fere tantum, qui præstantiam eorum, si non assequi re ipsa, mente ac intellectu æstimare ac complecti possunt. qui cum aliquo judicio decipiuntur. Equidem, quoties theatri veteris ornatum, quoties stupendam illam opulentiam ac apparatum, illos modos, gestus, cantus & saltationes, quæ extrinsecus adhibebantur, (quę spectaculorum instrumenta Aristoteles pręclare dixit,) recte considero; veneficium quoddam & doctissimas præstigias fuisse Tragœdiam judico: quibus multo efficacius quam legibus Solonis sui, ad repræsentationes tragicas pertraherentur. Contra autem Sophoclem in manus cum sumo, cum seueram illam, grauem, sobriam, splendidam, prudentem, castigatam, semperque sui similem orationis formam, sed præcipue sententiarum densi-

denſitatem æſtimare incipio ac pondus; non tam hominem profecto, quam cœleſtem aliquem virtutis genium, audire videor: qui inferiora hæc, in quibus volutamur, nunquam pede his ſordibus contaminatus, preſſerit, ſed in alto aliquo & publico theatro, humanæ clades ac calamitates vitæ deſpexerit, atque obſeruarit: ibi natus, ibi educatus, vni huic rei ſemper fuerit intentus. Cujus ſpectatores non Athenienſes, ſed humanum genus eſſe oporteat: quique linguæ ſuæ gnaros, Occidentem pariter atque Orientem habuiſſe mereatur. Neque enim, quę ad vniuerſam vitam, quæ ad vniuerſos ſpectant homines, quæque grauitate tanta, caſtitate ac prudentia, de omnibus dicuntur, tam anguſtis cõtineri debuiſſe finibus exiſtimo. Quæ vt penitus examinare, neque noſtri nunc eſt otii neque inſtituti, vt qui linguæ venuſtatem, mores ac antiquitates explicandas obiter atque illuſtrandas nunc ſuſcepimus, ita nefas duco, in minutis ſic hærere, vt ad illa quæ majora ſunt, neq; animum nec oculos ſubinde attollas. Nam vt magnam ac pręſtantem regiam, è vulgo aliquis ſi videat, tabulas in ea pictor, muros, lacunaria, topiaria, peritus horum æſtimabit, cætera geometræ, qui de proportione judicare ſolent, melius videbunt: ita cum in Sophocle, Rhetor, Grammacicus, Poëta, ſinguli virtutes ſuas inuenerunt, plus Philoſophis relinquunt.

Non

Non de Dialecticis jam loquor: qui acute disputare quam prudenter malunt vivere. Neq; Physicos intelligo: qui in aëre, in terræ superficie aut penetralibus cum viuant, domi & in terris peregrini sunt, non ciues. Non de Mathematicis quos dicunt. qui cum diligenter animum intenderint, nondum aliquid egerunt. Sed de hac, quæ reliquorum imperattix dicitur ab Aristotele. quæ tum singulos, vt homines, tum omnes, tanquam ciues, quid sit sui muneris in vrbe docet. Et quod longe est præcipuum, sortem humanam vere ac concinne ob oculos ponit. Quid est homo? Somnium vmbræ, respondebit Pindarus. Quid est homo? simulachrum quoddam, dicet Sophocles. Quid est homo? ipsa calamitas, dicet Herodotus. Quid est homo? occasio miseriarum, dicet Philemon. Quid est homo? folium caducum, dicet Homerus. Quid est homo? imbecillitatis exemplum, temporis spolium, lusus fortunæ, mutationis imago, inuidiæ & calamitatis trutina; præter illa, nihil aliud, nisi pituitæ aliquantulum & bilis, dicet, & jam olim dixit Aristoteles. Hoc siue animal, siue monstrum potius, cujus totus orbis ambitionem non capit, fletu spectatorem salutat, neque oratione primas agit partes sed lachrimis. Quam in spem à natura porro educatur. Prologum videtis: mutum hercules omnino, nisi quatenus vagire solet. Vnde & infantem

Latini,

Latini, Græci νήπιον dixerunt. Donec tandem fari sensim, & interpretatione linguæ, miseram conditionem suam, nondum quidem explicare (nam quis satis eam nouit?) sed fateri tamen incipit. Ita ad magistros ablegatur, quorum ferulis ac virgis patientiam indulget: sæpe truculentis, sæpe immanibus ac barbaris. Nam & hic Ajaces sunt qui flagra gestant, non in scena tantum. Rem tamen agi credas. Literarum nexus atq; syllabarum, mox & verborum, discunt. Addo &, vt magno postea labore disciplinas discant, prius cum majore in linguis diu versantur. Atque hic sane Protasis, quæ prima pars tragœdiæ, ponatur. Sequitur secunda, plane vt in tragœdia videmus: in qua turbæ aliæ ex aliis nascuntur. Plerique enim, simul atq; ad pubertatem est deuentum, quasi non virorum sit vbique satis quibus ocium ac libertatem suam mancipare possint, inseruire fœminis incipiunt: quæ his moribus ac corruptela, ab ætatis anno decimo & quarto, dominæ vocantur. Plane id quod sunt, ac optimo cum jure; non imperiosæ modo, sed procaces quoq; nostro vitio ac insolentes. Ibi jam desidiose ætas agitur ac misere. Obsidendæ fores, salutandi multi, plures metuendi: ancillarum quoque nutus ac seruorum, diligenter obseruandi iis qui ad dominas affectant viam. Adde, quod plerunque quæ amari nostro vitio se didicit ac intellexit, non minores a calamitate

noſtra, quam ab opibus aut forma ſua ſpiritus aſſumit.

At lachrimans excluſus amator, limina ſæpe
Floribus & ſertis operit: poſtiſque ſuperbos
Vngit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Quodque magis admireris, ex his vere comicis ineptiis miſeriiſque, optima tragœdiarum argumenta naſcuntur. Defunctos iſto malo, domi malum ſæpe grauius, foris innumera excipiunt. Quippe hic militis, iſte mercatoris, alius agricolæ, alius cauſidici perſonam agit. quiſque ita ſuam, vt felicem alienam exiſtimet. Faſtidioſi hiſtriones, & cum aliis moleſti, tum ſibi. Porro ſi quis altiora ſtruit, & ambitioni pedem laxat, inter ſpes & vota rem cum cura gerit: id eſt, vigilando ſomniat. Vel dum non conſequitur quæ optat, vel quod conſecutus magna, ideo majora jam ſperare audet. Ille filii obitum deplorat: iſte, ſed cum lachrimis, moleſte optat. Huic domi eſt Medea; non ad horam, vt in ſcena, ſed ad vitam comes. Illum nunquam fortuna melior reſpexit: illum diu, ſed vt ſubito relinquat; interdum & ludibrio exponat. Nam cum aliqui ſe ſemper miſeros fuiſſe clament, longe tamen eſt miſerrimus, qui ſemper felix fuit. Hinc ſuſpiria, hinc lachrimæ, hinc luctus, hinc tragœdiæ infelix illud condimentum, heu heu: quod in vita paginam vtramque facit. Iam ſi ad Ajaces noſtros & Oedipodas eamus; propria

pria eorum vt in scena, ita & in vita est calamitas. qui quot satellitibus, tot curis, tot molestiis stipantur, neque cadunt vt resurgant, sed vt semper jaceant ac deprimantur. Sicut enim animalcula leuia, vel altissimo e loco impune labuntur, majora, casus quilibet comminuit & frangit: ita sceptra ac fasces, opes ac potentiæ, & inania ista rerum, vt stantibus dignitatem addunt, ita lapsos pondere ipso premunt & comminuunt. Partem vltimam, vt in tragœdia, ita raro inuenias in vita. Quotusquisque enim senectutem attingit? quæ & hic Catastrophe vocari meretur. Vltima quippe ætas, officina luctus, fæx vitæ, portus calamitatum est. quam vt omnes optant, ita nemo consecutus, ea gaudet. optima cum expectatur, cum advênit, onerosa sibi, aliis molesta. Instat enim diu viuentibus natura. quæ, vt creditor immitis, aut danista importunus, jus suum sibi flagitat. Itaque, si nimiũ cuncteris, huic oculum, illi dentem, illi sensum aliquem, aut omnes simul, tanquam pignus, eripit ac tollit. Vt qui modo omnia excelsa spirat, jam imago sui aut cadauer viuum inter homines oberret. Quanquam fabulam vt plurimum mors ipsa, rerum linea ac finis vltimus, absoluit: cujus machinæ, vt olim histriones loquebantur, plurimæ. Quosdam enim ferrum, quosdam mare, alios lubido propria absumit: pleroſque nihil tale cogitantes,

quasi e postscenio inuadit, vt non vitam modo, sed & spes in medio abrumpat. Plenam suis partibus tragœdiam habetis: cujus Deus est choragus, argumentum luctus ac calamitas, histriones miseri mortales, chorus, fœminæ & viri, apparatus; aurum & argentum, vestes variæ & magno precio conductæ: aliena omnia ac mutuata, sæpe autem subito reddenda. Theatrum est hic orbis, in quo hominem natura collocauit. qui, si nos respicias, diffusus, si hãc terram quaqua panditur, angustus; si immensum illud cœlum, quod hanc ambit vndiq; & inuoluit, puncti instar est. Quẽ cum magnus Alexander integrum vicisset, paulo post sex pedes occupauit. Reliqua inter se flamma ferroque hæredes diuisêre. cum ex iis nemo esse, qui tam amplum possidere patrimonium ex asse posset. Quod si aliquis despiceret e cœlo, forte quæreret, nec inueniret. Ite nunc, ô histriones nostri, ite, & personam suam quisque agat, vt videtur. Tu qui purpuram & sceptrum geris, quem cum multi cingant, plures timent, nemo non extinctum vellet, orbem animo inuade: spes tuas & insaniam votorum, quantum lubet ac videtur, erige aut extende: aliquid humana sorte majus concipe animo ac volue: hostem magno animo inuade: militem conscribe: aciem dispone: montes maximos complana: latifundia & turres præstina ac cole. sed, ô nostes, finis instat,

ſtat, & jam vela ſcenæ complicantur. Tu, cui opes contigerunt, ſpecioſum illud, ſi videtur, lutum, quod choragi munere ad tempus accepiſti, oculis & mente, quantum potes, contemplare: hujus gratia, dum viuis, curre, rape, ſuda, ara, nauiga, ac vigila: cauſas in judicio ac foro, quantum voce vales & lateribus, declama: orbos ac pupillos circumſcribe, viduas emunge: huic denique inſerui, & diuinam animæ cœleſtis partem, ipſam, inquam, rationem, rei quæ nec ſentit nec intelligit, ſubmitte: huic penitus inhære. aut, ne tange quidem, ſi hoc placet (& quis multis hoc placere neget?) ſed in terra alibi depone; ſecuturus ipſe. Finis quippe inſtat fabulæ, quam agis: & jam ornamenta flagitat qui dedit. Dedit, dico? imo mutauit. Breuem, vt nouiſtis, ambitum tragœdię, ac ſtrictum, Rex philoſophorum ponit. noſter, ſi æternitatem ſpectes, nullus dici poteſt. Nullum enim ſpatium aut interuallum habet. Omnia momento hic geruntur. Quod infantiam ac ſenectutem vulgo vocant, & hoc ipſum quo hæc diuiduntur ſpacium, aut potius momentum, anni Platonici vix hora eſt. Ex quo ipſo ſomnus, tanquam publicanus quidam, maximum vectigal ſibi petit; mortis fidejuſſor quidam, & quaſi anteambulo. Qui quotidie nos docet, id quod aliquando ſemper eſt futurum. Hæc inculcant Tragici, hæc monent: hæc exemplis, hæc ſententiis

confirmant. Hæc in Academia eâdem tempestate Socrates, qua in theatro Euripides docebat. sed sublimius vtroque Sophocles, plerumque & efficacius. Vt qui in Republica personam egit, dux Athenienſium & prætor. Vere vbique magnus: domi imperator pariter & foris. Hæc doctrina primum animis cum cura infigenda est: reliqua deinde & secundo loco. Quod facturi sumus. Multum enim didicit, qui sortem suam ac conditionem intellexit, qui personam bene, & vt breui aliud acturus, egit: qui ex decoro gemuit ac luxit. Nisi quod hic vero gemitu ac ejulatu opus est. Nam vt omnium Philosophorum scripta euoluatis, neminem prudentius scripsisse judicabitis quam Heraclitus flevit.

ORATIO XXIII.

De Stoica Philosophia.

SIcut illi, Auditores, qui in rupem aliquam sublimem editamque enituntur, sensim, & per gradus quasi, peruenire eo solent: ita nos paulatim ad auguſtam masculamque Stoicorum sapientiam peruenimus. Ante menses enim paucos, Socratem, ejusque disciplinam, vobis exhibuimus: qui cum incredibilem leporem in docendo ac Venerem, ad eam artuliſſet partem, quæ in describendis hominum officiis ac moribus versatur; omnes tamen fortitudine, constantia, cæteriſque viro dignis

dignis & robuſtioribus virtutibus, exceſſit. Quas, cum cætera prætermiſiſſent, ita Stoici amplexi ſunt, vt cum ſola honeſtate, cui primas quoque deferebat Socrates, cum a reliquis diuortium feciſſent, in manum conuenirent, neque vſu tantum, ſed, vt matrem familias, coemptione ſibi vindicarent: functiones animi intenderent: ipſum autem, quaſi humeris ſublatum, ſupra corporis imperium in corpore, ſupra dignitates & honores in Republica, ſupra omnia fortuita, in hoc orbe collocarent: ſoli imperium, ſoli principatum rerum omnium deferrent: in ſolo libertatis ac felicitatis noſtræ fundamenta, ac diuinitatis quædam ſemina & igniculos, concluderent. Qui cum aut non agunt, aut non crebra contemplatione excitantur, protinus opinionem, peſtem omnibus familiarem, naſci. quæ terrarum orbem, ac præcipue plebeias mentes, ſicut morbi, qui graſſari populariter a medicis dicuntur, peſſima contagione inuadit. Hanc in foro, in Republica, in aula, paſſim denique & vbique, in rationis locum ſucceſſiſſe. Quæ cum læſa ab opinione eſt aut corrupta, appetitum inflammari: a quo omnes animi calamitates, tanquam fonte quodam publico, naſcuntur. In hac cæcitate omnes, præter ſolum ſapientiæ conſultum, verſari. qui, quod olim in nocturnis fieri ſolebat ſacris, rationis facem omnibus attollit. Quod quo

pacto fieri ab iis soleat, studiose quæso attenteque audite. Primo ergo, Stoicus parentem vnum, vnum dominum agnoscit: Deum immortalem nempe. Quem cognatum suum & affinem, cum ad animum respiciunt, heroes nostri vocant. Hunc immensum, infinitum, ac æternum, sed inprimis prouidum, vbique profitentur. Non vt quædam moderetur ac dispenset, quædam vero vel remota in his terris, vel minuta nimium in homine, vel curam ejus vel tutelam hic excedant: verum, vt ad omnia vbiq; se extendat. De Socrate ipsi notãt, quem in ore, vt doctrinæ suæ inuentorem, semper habent, quoties vel solus esset, vel acturus aliquid ad implorandam Dei opem confugeret, frequenter in hæc verba prorupisse: NE MOTVS QVIDEM MEOS SCIO TE LATERE POSSE. Quam sententiam, Vlyssi quoque Homerico asscribit Epictetus. Ad intelligendam hujus, vt oportet, rationem prouidentiæ, duo in homine requirunt. Primo vt res singulas, in quibus maxime versatur, diligenter & cum cura intueatur: tum vt gratum memoremque animum, ad eam afferat. Quia nihil frustra, pleraque autem causa hominis & fecit & disponit. Patriam vero sapientis, non vnius ciuitatis mœnibus aut muris, sed totius cœli ambitu describunt. Ne tam magnæ vrbis incola ac ciuis, tum ipsius Dei filius ac popularis, quicquam humile aut abjectum cogitaret: rele-

relegationes autem, exilia, atque alia id genus, non naturæ sed opinionis mala esse sciret: & ad cœlum vsque, supra vulgum, magno animo assurgeret. Eum ipsum quippe ab eodem rerum omnium parente, liberum ab omni perturbatione ac immunem factum atque huic corpori infusum esse. Instrumentum autem ejus esse corpus: longe ab eo, cujus instrumentum est, diuersum. Ipsum autem hominem, hoc esse, quod est ratio, ac animus. Quare quæ illius bona sunt aut mala, bona hominis aut mala esse: cætera, extra eum esse, & ad hominis felicitatem, nisi velit aut non recte opinetur, pondus ac momẽtum non adferre. Cæterum, vt recte opinetur, maximum illius bonum esse: quemadmodum, vt contra, omnium miseriarum ac calamitatum esse fontem, quæ tranquillitatem mentis nostræ ac felicitatem perturbate possunt. Iam cum omnibus natura sit innatum, bonum vt sequamur, malum fugiamus, quoties eorum alterum offertur, duos nasci motus, qui & ipsi sint in potestate nostra. Appetitum nempe, & declinandi studium, seu voluntatem. Quod si purus, si simplex, si nulla corporis contagione corruptus ac pollutus, si suæ spontis ac liber, sit animus, bona sua petere, mala autem declinare. Sua autem esse, quæ in potestate sua habet, vt vel consequatur, si velit, vel declinet, si non velit. Rursus autem, quæ in potestate sua non ha-

bet, neque appetere, si bona videantur, quia aliena sunt; vt fortunæ quæ vocantur, vt quæ corporis, & alia id genus: quæ extra mentem sunt ac rationem: ideoque nihil ad naturam ac perfectionem nostram, quæ in his consistit. Neque declinare, si mala videantur: vt aduersa quæ dicuntur, dolor, paupertas & morbi: aliaque id genus. In quibus miseriam ac calamitatem suam, præter solum sapientem, qui non fallitur, sitam esse, omnes arbitrantur. Ita semper liberum, semper felicem, semper tranquillum, semper hilarem, semper sui similem esse. Quippe & optare quæ vult, quod est libertatis: & optare quæ oportet, quod est bene opinantis: & optare quæ consequitur, quod supremæ felicitatis esse, omnes fatentur. Eodem quoque modo, fugere ac declinare. Non dolorem aut mortem: mala enim esse corporis, non sua. Ideoque cum sint aliena, ne vitari quidem posse. Quare ne deberi quidem. Ne liberrima, videlicet, pars animi impediatur vsquam: aut non possit id quod velit, qui non potest velle præter vnum id quod debet. Appetitus enim si impediatur in bono, declinationem, si in malo, perturbationem sequi ac luctum: aut si dolor altius descendat, lamentationes quoque ac fletus: quæ natura muliebri addidit ingenio. in præclarum autem virum ac constantem, absit omen quoque vt cadant. Quare verus ille sapiens

sapiens,&qualem Stoici requirunt,absolutus, supra ignorantiam, opinionem, ac persuasionem, supra dignitates, honores, ac potentias, supra casum omnem,fortunã ac calamitatem, supra morbos omnes ac dolores, quæ externa esse nouit, animo assurgit : cujus sola semper bona sequitur, sola semper mala declinat. Et vtrumque potest. Animum excolit, animum format, animum quam maxime ad diuinitatis normam componit. Quem cum supra omnia evexit, ipsum Deo fortiter submittit. Quicquid autem vulgus & ignara veritatis turba, casum aut fortunam vocat, soli Deo ac æternæ ejus sapientiæ ascribit. Quare orbitatem ac amissionem liberorum, exilium ac fugam, morbos denique ac dolores, & quæcunque frustra fugiuntur, frustra metuuntur,mala esse negat. Siquidem ab optimo consilio procedunt. Isto robore ac constantia munitus, tanquam voluntarius athleta, pedem in arena ponere incipit; securus quicquid euenit ac tutus. Nihil enim, vt vult,fieri optat,qui, quæcunque fiunt, velle discit. Sicut autem nautæ pluuias ac niues, & quæcunque eueniunt quotidie natura,nec mirantur,nec molestè ferunt,ac ne vitant quidem : ita illæ vitæ tempestates,inter necessaria & vsitata,& quotidiana, habet. Si quid grauius eueniat; protinus ad se recurrit. Si fortuna totis viribus incubuit, constantiam; si periculum aut labor,tolerantiam;

tiam; si quod detrimentum valetudo patitur, rectam ilico opinionem promit. Scit quoscunque medici curare solent, alium pulmonis, alium capitis, alium abdominis, alium ventris esse morbum: nullum animi. Pedem claudicatio offendit. num & rectam ideo opinionem? Manum impedire potest chiragra. numquid desiderium aut voluntatem? Nullum denique extra animum & extra semet bonum, nullum propter animum & extra semet malum esse judicat. Hanc autem, non Zenonis aut Chrysippi, non Cleanthis aut Cratetis, non vnius hominis aut sectæ, sed naturæ & præstantium virorum esse sapientiam: cujus ab ætate omni ac tempore, aliqua vbique vestigia fuisse. De quo ipso, ad Homerum, sicut summum, ita vetustissimum autorem prouocant. In quo, vt Vlyssem, ita Herculem potissimum mirantur: quos patronos sectæ suæ, ac opinionum quasi tutelares, ipsi illi rigidi e porticu magistri fecerunt. quod vterq; ad miserias, calamitates, ac labores, natus videretur. Quorum alterum, in littore, egenum omnium ac nudum, sine amicis, ac externo vllo apparatu, cum naufragio ejectus esset, summus poëtarum introduxit. Qui diuinum istum virum Stoicum fuisse negant, locum illum serio expendant. Furit Neptunus ac insanit, mare ac cœlum vires suas jungunt conferuntque, vt vnum hominem euertant. Quid autem? Ille

cum

cum amittat quæ habuit, propria & ſua tantum ſeruat. Quare haud ſecus ac ſi de re herciſcunda ageretur, ſemel cum Fortuna omnia partitur. Comites, amicos, remiges, aurum, ac argentũ, hæc concedi ſibi poſtulat. Ille lubens igitur volenſque dominæ volenti tradit. Veſtem poni jubet: eam quoque exuit. Magnum hercle ac inuictum libertatis & felicitatis argumentum, quas in ſolo animo, vt ſacrum aliquod depoſitum, non ſine cauſa Stoici concludunt. Vtriuſque autem fundamentum, rectam eſſe opinionem ſtatuũt ac veram. Si quis enim opes ac honores, & externa iſta, vera eſſe bona opinatur, ea non appetere non poſſe. omnem enim appetitum ſuum ſequi bonum. Qui vero appetit, ſicut gaudet cum aſſequitur quod optat, ita dolet cum amittit. Si dolere poteſt, miſer & infelix eſſe poteſt. Poteſt enim aliquid non conſequi quod vellet, qui amare poteſt aliquid non ſuum. Animi autem motus & opiniones rectæ, verum ſolidumque bonum, ſicut ſunt a nobis, ita propria, & noſtra, & in noſtra poteſtate non eſſe non poſſunt. Vt in alienam autem veniant, Dii atque homines prohibeant. quippe a quibus actiones noſtræ omnes ac judicia dependent. Vlyſſem quidem, vt in mare cadat, vt in eo madeat, & natet, ac in dubiũ de vita veniat, quod cogere Fortuna poſſis, nunc expertus ſui, nunquam autem dubitaui. Proram illidere ac puppim, eri-

eripere de manu gubernaculum quod tenet, miscere aquam cum cœlo, cœlum per tonitrua ac fulmina demittere in aquam potes: impingere ipsum scopulo, si lubet, potes: frustillatim discerpere ac dilaniare, si videtur, potes. Vt autem ejulet & ploret, vt se infelicem ipse dicat, ut hæc mala fateatur, vt opinionem mutet, vt ad genua tibi accidat, nisi velit, non potes. Fateor, inquiet, felices eos judicaui, qui ad Troiam mortem fortiter agendo meruerunt. Non in patria enim, sed pro incolumitate ac dignitate ejus expirare volui. Fateor tibi, fluctus ac scopulos, ventos ac procellas, postquam semel mari me commisi, declinare non potui: non enim inter mea eram. Alienum erat in quo eram: Dei erat. Ideo nec declinare volui: nihil enim velle, quod non possem, debui. Quæcunque autem declinare potui, ea vero sedulo vitaui. ignominiam ac turpitudinem, metum ac imbelliam. Tu vt mihi magnitudinem animi, tu vt patriæ amorem, tu vt humanarum rerum tolerantiam, vt fortitudinem, vt fidem, tu vt ea, quibus res Græcorum te inuita stetit hactenus, extorqueas consilia? Quod si non potes, quid vis tibi? Vt infelix sim ac miser? Num quid tibi in opinionem meam, num in eam partem qua appetere aut declinare soleo, quicquam juris fuit hactenus? Opes abstulisti? Quid si has ne inter bona quidem numerauí?

Quid

Quid enim? Num quod iis precium me posuisse meministi? Num felicitatem istis meam circumscripsi? Si nec feci ista, nec vt faciam adduci possum, liber ac inuictus, &, si verum vis audire, felix post naufragium incedo. Semina mearum actionum ac principia, in isto pectore concluſa gero, ad quæ nondum peruenisti. non profecto magis quam hoc mare, quod facilius terrarum orbem quam huncanimum mouebit. Ad quæ autem peruenire potuisti, aliena sunt, externa sunt, in potestate tua sunt. ad me autem, quia mea non sunt, nondum pertinent. Cæterum, supra omnem sapientiam Cynicum Diogenem posuerunt: rigidum fortasse, &, vt primo intuentibus videri solet, durum ac morosum, cæterum illustre, &, vt viri isti judicare solent, quibus nihil humile aut vulgare vnquam placuit, perfectum, & ad flagellandas hominum opiniones ac insaniam, à Diis immortalibus inuentum, & excogitatum quasi, sapientiæ exemplum. Nam cum nemo extitisset vnquam, qui non plura possideret, nemo vnquam fuit qui non pluribus egeret. Quicquid homini est opus, quicquid sapienti expetendum Stoici fatentur, non in domum sed in dolium contraxerat. cujus magnam partem ipse occupabat. Quæ mirantur autem cæteri aut habent, nec habebat ipse, nec optabat. Ajunt autem, magnum Alexandrum, cum ad expugnandum orbem

spei

ſpei ac fiduciæ pleniſſimus, incederet, teſtam præterîſſe, in quo hoc prodigium latebat. Admiratus primum, ſenem triſti pallidoq; vultu, haud abſimilem mendico, ſuauiter in Sole apricantem videt. Adeo nec ſtrepitum armorum, neque militum concurſum, quicquam ad ſe pertinere exiſtimabat. Ibi vero magis admiratus, Num quid a ſe poſceret, rogare. Ego vero, Ne in Sole iſto meo quicquam, inquit ille, tibi vindices. Mox deinde, cum, quis eſſet Alexander, & quid ageret, ex ipſo cognouiſſet, quædam, quæ ad poſteros non peruenerunt, addidiſſe fertur. Mihi autem, magnus ille dolii habitator, more Stoicorum, qui conciſam ac conſtrictam amplectuntur breuitatem, cæterum & rebus & ſententiis abundant, hunc in modum diſputationem ſuam merito inſtituere potuiſſe videtur: *Miſerrime mortalis, cujus ſpes ne orbis quidem capit quem affectas: quod nec euenturum cogitaſti, fortunatum hominem hic vides. Tanti autem animi, vt cœlum quoque & terram, & hunc ipſum Solem, inter ſua numerare audeat. Hoc ſi parum eſſe credis, orbis candidate, in his ſordibus ac panno, vere liberum & omni ſeruitute immunem inueniſti: quem nec cogere nec impedire quiſquam poteſt. Cujus conatibus ac votis, nemo interceſſit hactenus. Ne Fortuna quidem ipſa, quam vos rerum dominam vocatis. Num quid enim quod optarem impetrare hactenus non potui, qui nec minimum optaui, quod vt impetrarem, non in mea poteſtate*

poteſtate eſſet? Num quid declinare non potui, qui hactenus nil declinaui quod euadere non poſſem? Hanc ſi libertatem negas, age veram nobis monſtra: ſi fateris, ſeruum quidem eſſe te concedis. Nam poſt expugnatum orbem, tamen aliquid optabis, qui & hactenus profecto, niſi verum non vis confiteri, plurima optaſti. Quæ ſi conſecutus es, non conſequi tum poteras, nonnulla autem nunquam conſequêris. Morbos vero ac calamitates, &, quam vos præcipue timetis, mortem, ſemper dabis operam vt fugias. Quod non eſſe in tua poteſtate, ne negabis quidem ipſe. Atqui ſi is vere eſt liber, qui nec volēs prohibetur neq; nolens cogi poteſt, ô te miſerum ac infelicem, etiam cum cuncta poßidebis, præter bona animi ac tua. Quæ ſi vera bona ſunt ac ſola, quid vbique fruſtra ea quæris? Quid ad Scythiam & Herculis columnas, tanquam aliquid acturus, abis? Quid delubra omnia ac fana petis & oracula Deorum emendicas? Audi certum ex hoc dolio, ſi lubet. Libertatem in te ac felicitatem habes. Quid ſi etiam imperium ac ſceptrum? Quiſque noſtrûm ad regnandum natus eſt. Iracundiæ, lubidini, dolori imperare ac voluptati, ſapientis regnum eſt. Num ad iſta militem, aut purpuram, requiri arbitraris? Bene Deus immortalis, qui non libertatem modo ac felicitatem, ſed & inſtrumenta quoque earum nuſquam quam in nobis collocauit: incredibilem ac notum pauciſſimis theſaurum. Si formido animum inuadit, fortitudinem inuenies: ſi voluptas aut lubido, temperantiam videbis: ſi familiare tibi malum, ira, manſuetudinem. Si regni cupiditas, cuncta iſta ſimul adhibe: regnabis.

Me vero miserum si credis, o te dignum hac felicitate quam affectas. Nam honores, imperia, ac opes, quæ vos prima rerum judicatis, vt in bonis esse credam, numquid cogere potestis? non putem. vt numquid impedire vos potestis? si non puto, ne optare quidem ea possum. Quod si possum, nonne sine iis felix esse possum? Ego vero possum, o miserrime. & vt posse scias, numquid te carere non didici? Tune inter supplices aut parasitos tuos, vnquam hunc Diogenem vidisti? Ego istam dexteram, hoc genu, aut hoc mentum vnquam prehensaui? Nisi viuere Diogenem anguste arbitraris, qui hoc orbe fruitur vt suo? quem tu quia alienum esse credis, nunquam totum possidebis. Simulac ex isto dolio excessi, mundum habito. Hæc sidera, hunc Solem, tanquam ciuis magnæ hujus vrbis video. Ipse vero nusquam ciuis, nusquam hospes, & vbiq; meus sum. Omnia autem ista, tanquam mea ac domestica, contemplor. Tu cum moles ædium immensas, turres excelsissimas, in cœlum vsque (ita enim loqui vos soletis) produxisti, numquid cœlum ipsum excessisti, quod Diogenem & Alexandrum pariter inuoluit? Velis nolis, pares nos natura edidit. Nulli quicquam ad felicitatem homini accessit: nihil illa salua ac incolumi discedit. Cum hoc vniuersum Alexander occupauerit, & terram, & aquam, & aërem Diogeni relinquet. Aiunt te a Ioue, & hoc rerum omnium parente, genus ac familiam deducere, idque vnum tantis agere laboribus, vt parentem tuum quis sit aut inuenias aut probes. Fatue ac rerum imperite, an non meus quoque est Iupiter? An non gradus totidem a Ioue Optimo ac Maximo distamus?

mus? Omnium mortalium propinquus & agnatus, Deus immortalis est; bonorum vero, etiam domesticus ac hospes. Nihil enim praeter mentem intuetur; ipse mens & animus. Opes vero, gloriam, & corpus ne respexit quidem vnquam. Extra mentem enim esse putat, intra quam felicitas consistit. Nihil possideo. Sed nec egeo cujusquam. Bene cum Deo, bene mecum, bene cum Natura, bene cum corpusculo hoc mihi conuenit. Quod ne quidem meum esse puto, nisi propter animum. Affirmo tibi: nasci etiam absque eo praetulissem. Hoc quia Deus noluit, minimum indulgeo. Vestitum illi ego ad mensuram, vos ad luxum & opinionem praebetis. quae cum semel limitem excessit, modum postea non habet. Frigus, pluuias ac niues, & quaecunque cœli inclementia minatur, ferre malo quam arcere: quia ferre didici cum voluptate. Ventri, nisi ad necessitatem, nihil hactenus concessi. Porrum, cicer, fabam, aut lactucam, & quaecunque viliora quidem, sed ad vitam tamen satis esse possunt, a Fortuna etiam irata & aduersa, impetrare possum. Si haec negat: ecce lentem vides. Audiuisti sape, aliquos Deorum immortalium conuiuas dici: vt Pollucem, Castorem, ac Herculem. His Diogenem annumeres licebit. Quicquid sponte prouenit, Deorum cibus est. quicquid voluptatem veram ac solidam afferre esurienti potest, ambrosia vocatur. Hercules ille, quem tu semper imitaris, nullum cibi condimentum, praeter sudorem & sanguinem habebat. Vtroque madidus, sicut Diogenes, in ripa accumbebat: neque quicquam dulce illi erat, quam quod nihil fastidiret. Spartani quoque adolescentes,

famem à palæstra, non a coquo voluptatem petebant. Terra ecce neminem excludit. quicquid habet, cupientibus apponit. Ad hanc mensam publicam, ac omnibus paratam, quales sunt magnatum, ne vocatus quidem, vt familiares ac domestici, Diogenes accedit: non vt parasiti vestri, sed vt satrapæ ac Reges. nulli certus adulari, nulli ad obsequium aut nutum loqui. Cui hæc sufficere non possunt, eum nec luxuries explebit. Infinitum enim est quod petit, qui plus petit quam quod deest. Vos ad morbũ, ego ad satietatem sitim, quamuis maximam, produco. Quid vero refert, fictili an argentea, lignea an gemmea vtar patera; qui & nulla vti possum? Manus enim ista sufficit. I nunc, magne domitor terrarum, cui orbis vnus nimium angustus est, quantum potes Graciam relinque, Persas voluptatis optimos autores, protenus expugna; mox ab iis expugnandus. Quicquid inter orientem & extremum occidentem jacet, tot laboribus, tot armis, tantis stragibus inuolue. nunquam plura possidebit Alexander, quam Diogenes contemnet. Hæc dixisse quidem aut similia, existimamus, vt qui Regi maximo confessionem hanc extorserit, Nisi Alexander essem, Diogenis fortunam optarem. Et profecto, si quis, quod propositum vbique Stoicis videtur, ab opinione ad rationem prouocet, pauciſſimos felices, paucos non miserrimos videbit. Nam vt primo ad honorem veniamus, quis in potestate sua vnquam hunc putauit esse, quem in manu tribuentis esse, ratio euincit? non qui exhibetur tantum a minori, sed &

qui

qui conferri a ſuperiori ſolet. Quod concedunt etiam qui nondum didicerunt, ſemper extra ſapientem, imo extra hominem, hunc eſſe. Omnes iſtos pallidos ac macros, qui in poteſtate aliorum ipſi eſſe ſe fatentur, aliquantum mihi cogita. Operæ enim eſt videre, quomodo in aulis Regum Principumque, aut in viis publicis, nunc huc nunc illuc circumcurſent, ſudent, æſtuent, auras omnes captent ac rumuſculos: quid ſuperiori die, quid hoc ipſo actum ſit, exquirant. Alii in limine morantur, alii in atrio deambulant, alii fores agminatim circumſiſtunt: quæ non minus arrogantes quam earum domini, paulatim, neque totæ, patent. Poſtquam diu itum ibi eſt ac reditum, prodit ſeſquicato quidam, quem riuales mei ſuo quiſque ordine ſequuntur, meditantem aliquid aut aliud agentem: ſæpe ad faſtum tantum, non ex vero. Inter hæc, ſi forte circumſpexit, ecce tibi totum agmen. Hic ſiniſtram, ille dextram, quidam, Hiſpanorum more, genua inuadunt: minor aliquis aut pauper, cui cum palliolo ac toga minus bene conuenit, eminus ac longe aſſectatur. Subinde autem euenire ſolet, vt ex iis nemo, nunquam vero, vt, quod petunt, omnes conſequantur. Cæteri igitur mœrentes, & propemodum exanimati, capite demiſſo, vultu, quali Marſyas in ſtatuis ſpectatur, cum temeritatis ſuæ pœnas Apollini perſoluit, domum eunt. Qui hoc

vnum omnes probant, ſolum ſapientem judicare, recte eligere, recte appetere, ideoque ſolum eſſe infelicem non poſſe. Ad honorem enim ambiendum cum accedit, ſcit nec inter prima eſſe bona nec ſecunda id quod ambit, ideoque nec reuera bonum, ſed promiſcuum vocari. Solus ſecum cogitat, quid petat, ſolus recte intelligit, quo excidat; ſui in vtroque ſimilis: & vt animo, ita vultu in vtroque ſibi conſtans. Deſiderium immodicum, aut ſtudium, aut ſpem, aut ambitum, non affert: ne ſi cauſas libertatis aut felicitatis ſuæ cuiquam hominum permittat, neque quæ in aliena poteſtate ſunt, fortaſſe conſequatur; vera autem propriaque bona, prodat aut amittat. Quippe quod impenſe aut deſideres aut ſperes, id in aliena manu ſitum ſi impediatur, luctus ſequitur, calamitas, & perturbatio. Quæ in ſapientis animum non cadunt. Quare vtrum ſibi quidem euenturum ſit, nonnihil forte ad opinionem de ſe vulgi & judicia coronæ, ad felicitatem autem & naturæ ſuæ bona, quæ majora aut minora fieri non poſſunt, nihil intereſſe arbitratur. Honorum autem notas ac inſignia quæ vocant, ſalutari crebro, primam tori occupare partem, loco diſcedi ſibi ac aſſurgi, infra curam puerorum eſſe judicat: tantum abeſt, vt præclari viri grauitatem ac conſtantiam inflectere aut mouere poſſint. Magnum & excelſum ingenium, non cogitat quo

loco aut ſedeat aut eat. Ne enim dii ſiuerint atque homines, vt eo contineri ſe ſpatio exiſtimet quod occupat, vt ſe tanti eſſe, quanti qui præcedunt aut ſequuntur, judicant, exiſtimet; vt ad has ineptias deueniat, aut potius deſcendat. Cum ſe contra hæc externa, vt oportet, præparauit, locum ſibi dat, non accipit: quantus aut quis ſit, ab alio non diſcit: proprium tuetur, alterius non reſpicit: ſuo contentus, alieno non inuidet: denique, quod omnibus his majus, cum poſtremus ambulat aut ſedet, primum fortiter contemnit. Inter eos qui majores minoreſque ſe exiſtimant, vt immota quædam rupes incedit. Opinione enim vera, tanquam firmo ſolidoque fundamento, nititur. Si ad dignitatem ſuam reſpicit: hominem eſſe ſe nouit; proximum a Deo animal. Si ad patriam: totum hoc, quod vulgo vocant vniuerſum, cogitat, in quo primum locum tenet: ſi ad mentem & quouſque ſe diffundat: totum tempus, totam vnico intuitu poſteritatem videt. neque pulpita modo cathedraſq;, & Academiarum curas ac anguſtias, ſed & honores omnes, omnes dignitates, & quæcunque hominem non tangunt, nec miratur, nec affectat, ſed ſecurus præterit. Niſi eo noſter animus aſſurgat, ſemper jacet & infirmus eſt: male de aliis, male de ſe judicat. Virtutes proprias extollit: alienas non videt. Falſa in ſe bona æſtimat; vera in aliis non ponderat.

derat. Quæ tam puerilis leuitas ac imbecillitas, doctorum quoque cathedras inuasit. Hic Latinam ; ille Græcam linguam docet : hic Grammaticus est aut historicus: ille iurisconsultus. Est qui multa edit , est qui tantum docet,nihil autem scribit.Itaque hic agmen claudat,iste ducat,ille medius incedat.Iam si prodeundum sit in publicum, sunt qui pallent,æstuant ac sudant, qui in omnes sese facies conuertunt:neque aliter,quam si de capite eorum aut salute agatur,quid futurum sit se, circumspiciunt. Nisi autem jubeas interiores ire , in triumphum se deduci arbitrantur. Quid miserius est tam pusillo animo, tam fracto ? Armentis quoque ac pecudibus humanum sensum dares , nonne has ineptias riderent? Quæ pastori suo locum principem concedunt, ipsa autem nullum inter se distinguunt. At perfectus ille & ex omni parte sibi constans animus , duos tantum in hoc vniuerso ordines distinguit. Alter est fatalis ille ac æternus,cujus causæ certa ac immota serie cohærent : qui mutari vt non potest , ita neque debet. Hunc, quandoquidem a Deo esse nouit , volens sequitur ac lubens : non vt qui constricti eunt, sed vt qui soluti ambulant. Quicquid euenire potest, vultu semper accipit eodem,quia euenire debuit : sequi enim maluit quam trahi. Scit , hunc orbem , hanc terram , hoc mare,hunc Solem atque hanc Lunam,ista lege secum

cum pariter teneri: scit, sub ista & in ea, natum se; neq; alia conditione, in amplissimam hanc ciuitatem esse asscriptum, quam vt municipale jus agnosceret. Alter est, quem Deus immortalis singulis præscripsit. Huic, vt aret, huic vt nauiget: huic vt militet, huic vt regnum, huic vt rempubl. gubernet: huic vt discat: huic vt paucos, huic vt posteritatem & tot sæcula post sese doceat ac formet: magnum & illustre munus. In his omnibus se gerere vt oportet, ordo singulorũ est. Hunc si turbas aut confundis, rem indignam sapiente facis: alienum aut alium si optas, bis peccas. Nam & munus tuum negligis aut spernis, & aduersus Deum es ingratus. Qui vbique locum sapienti dedit, qui vbique vsum sapientiæ ac stationem liberam reliquit. In familia, in regno, in Republica, in Academia. Cætera, ne erres, ab opinione sunt. An tu Deum immortalem, cum hoc vniuersum conderet, huic dextrum alteri sinistrum assignasse locum arbitratis? Quid si hæc quoq; ab opinione, cujus infinita est potestas? ab opinione, cujus sacramento, præter vnum sapientem omnes dicunt. Quæ cum se explicare cœpit ac diffundi, ad inepta primum, mox ad puerilia delabitur. Bona nostra esse in nobis sita, qui nescire aut obliuisci potuit, vbique frustra ea quærit, & a se recedit, vt inueniat quæ habet. Primo enim in honore ac dignitate posita existimat. Hac opinione imbutus, vide

quantum abeat à vero ac discedat. Inter locum hunc aut illum, scamnum hoc aut illud, interesse aliquid existimat. Et hoc ipsum magnanimitatem vocat. Atqui, magnum, sine vero solidoque bono, nihil est. Inprimis vero animus humanus. Quem hoc vno talem censet sapiens ac habet. qui cum semel hoc in se inuenit, nihil admiratur amplius aut quærit: nihil enim putat majus quam quod habet: contra vero omnia minora credit quam quæ possidet. Vt qui in supremo jam felicitatis culmine versatur. Sicut neminem contemnit, ita neminem feliciorem quam est ipse, arbitratur: nihil optat, nihil petit: neque Deo neque hominibus molestus est. Dignitates autem ac honores, & quæcunque magna sunt opinione tantum, scit quo loco sint habenda: scit quis locus iis debeatur qui hæc possident. Pecuniarum apparatum, neque se miserum putat, nisi consequatur, neque fortunatum, si eueniat. Externum autem esse meminit, non suum. Quare nihil ad felicitatem hominis aut libertatem, nihil ad tranquillitatem animi conferre. quæ in animo ac ratione sapientis, non in arca diuitis quærenda sunt. Sed & ab opinione precium eorum esse intelligit. Aurum ac argentum, ferrum ac plumbum, vsu hominum ac instituto; nummum, cujus causa sacrum à profano vulgus non distinguit, lege principum ac consuetudine censeri:

censeri : neutrum vsu suo aut natura. Quæ si essent quod videntur, idem & vbique essent. Vt constantia, vt fortitudo, vt prudentia, vt temperantia, vt fides. quæ per se sunt quod dicuntur, & vbique idem valent. Aurum vero, quod in populi felicitate paginam vtramque facit, vel e Barbaris nonnulli, (cujus rei testes esse nautæ nostri possunt,) ne nouerunt quidem : quidam vero ex antiquis ne in ciuitatem quidem admiserunt. Vt Lycurgus olim. Et quis vnquam egestatem Lacedæmoni, quis ejus ciuibus objecit? Infelices autem quis fuisse putat, quorum res præclare gestas sine horrore nemo legit? Quisquam autem liberos fuisse non concedet, qui non mœnibus, vt alii, nec vallis, sed virtute & pectoribus aduersis, contra hostium incursus, libertatem suam per tot annos conseruarunt? Et tamen, valeant hæc quantum possunt. Honores conferant ac dignitates, leges figant ac refigant, sint opinione plebis quantum volunt : dum ne animum philosophi inflectant, dum ne ad felicitatem ejus, aut omnino hominis, conferre quicquam videantur. Qui si possidere diuitias non potest, contemnere eas potest : si impetrare non potest, non optare eas potest. Qui, cum in fortunæ manu cætera sint sita, hoc ex animo depromit : quem inuictum contra hæc externa semper habet. Quod decretum, nec moueri, nec impelli, aut ab vllo homine, aut a Fortuna

tuna poteſt. Omnis enim viri magni, in electione ſua ac decreto, & libertas & felicitas conſiſtit. Qui idcirco proximus a Deo, qui nec æſtimat diuitias nec habet. Nunc ad ea quæ timere homines ac declinare ſolent, veniamus. In quibus par libertas ſapientis ac felicitas. Quippe ſicut artifex materiam non mutat, ſed cum formam addat, ad hanc omnia accommodat ac flectit: ita quæ ex lege Dei & neceſſitate veniunt æterna, iis inſtrumenta ſua ſapiens adaptat. Sicut nauta mare in quo nauigandum ſibi videt, terram agricola quam colit, ne mutari quidem optat, ſed ex arte ſua petit quod opponat tempeſtati & ex animo: ita in hoc vniuerſo ſapiens verſatur. Pater ereptus eſt aut mater, filius extinctus eſt aut filia, ſeges ſpem mentitur, ab amico nihil tale meritus exhæredatur. Nunquid iſta ſi euenerint, non euenisſe poſſunt, aut mutari poſtquam euenerunt? Quid ad iſta ergo? Sicut optimi familiarum patres, ſupellectilem in domo, non paratam modo ſed & ordine diſpoſitam conſeruant, vt vtantur, ſi occaſio ſic ferat: ita inſtrumenta ſua ſapiens in animo diſponit, vt, quod ante dicebamus, promere indidem, ſi videatur, poſſit. Ecce tibi igitur opinionem veram quam opponit. Quicquid fieri neceſſe fuit, fieri ſic vult, vt factum videt. Deum enim immortalem ſequitur, non ducit: quod vt non inuitus faciat, ad libertatem ac tranquillitatem ſuam intereſſe

esse nouit. Si quem alium accedat, cui hæc molesta esse videt, Optime virorum, inquiet, quid vis tibi? Patris luges obitum ac matris? Fratrem quoque & sororem, & cognatum, si vis, adde, ac amicũ. Cum hæc omnia enumerasti; numquid aliud quam hominem dixisti? Qui si fato, si naturæ morem gessit. fecit id quod debuit. Si mortalem non vis mori, senem diutius vis superesse, quin tu Deum & Naturam quoque accusas, quod non rosas hyeme producat, vere fruges: quod æstate niuem tibi neget, qua calorem vini tui, magnus imperator, frangas? Vin tu tecum, vin cum Deo, iterum in gratiam redire? Vis beatus, vis tranquillus esse? Id quod es, quod semper eris, esse te memento: ciuem in hac vrbe, non præfectum: aliquem ex iis qui vehũtur in hac naui, non gubernatorem: militem postremo in his castris, non ducem. Quæ si parum posse arbitretur, sicut faber opus ad amussim, ita quod evênit ad hanc regulam componet: Quicquid sine voluntate tua fit aut euênit, neque malum est, nec esse potest. At si magno animo id feras, si constanti, si infracto, jam perfectum & ex voluntate tua habes bonum. Fortitudinem nimirum. Itaq; aut malum non est, quod sic fiat: aut jam bonum est, quod eo sic vtaris. Ecce tibi senex noster Epictetus, quem Natura rerum, tanquam mater crudelissima, exposuit, ac prope abjecit. Nobilitatem illi nullam, nullas dedit opes. Si conditionem

nem quæris seruus fuit, sed perpetuus. Si formam habitumque, corpus illi mutilum contigerat, ac prope fœdum. Parentes ejus nemo celebrauit vnquam: domum, foribus egressus, ne claudebat quidem; in qua nihil foribus relictum esset. Neroni herus ejus seruiebat, hero ipse: claudicabat denique quo alii incedunt. At si voluntatem ejus, si opinionem, si sublimem, si excelsam; si inuictam in abjecto isto corpore intueris mentem, reges omnes principesque tanto antecessit, quanto illi reliquis anteire se existimant. Animi nobilitatem spectas? Dei filium, propinquum, & cognatum esse vbique prædicat. Diuitias? Nullius rei se egere dicet: quod reipsa omnibus probauit. Quæ & summa, &, si recte rationem ineas, verissima diuitiarum est mensura. Libertatem? Quid si hic triumphet, hic magnifice se efferat, neque Epaphroditos modo, sed Nerones ipsos, & miserrimos terrarum dominos, transcendat? Quis est liber? qui inuitus nihil dicit, nihil sentit, nihil vult, nihil agit. Quis est liber? qui non trepidat, non metuit, non sperat. Quis est liber? qui nec auro, nec argento, nec crudelitati, nec libidini, nec voluptati, libertatem animi transcripsit. Nihil enim refert, rerum seruus sis an hominum: nisi quod hic corpus, ibi impeditur ratio. Quæ & vera seruitus & sola: quod negare nemo potest, nisi qui principia nostrarum actionum, non in ani-

animo defixa, sed in corpore, quod nemo dicat, arbitratur. Quod diuinum munus, nulla vis hostilis, nulla lex naturæ aut necessitas, nulla insolentia tyranni aut potestas, sapienti extorquebit vnquam. Nero, sub judicibus ludorum tremit, æstuat, ac pallet: legibus eorum ita morem gerit, vt vix exscreare ausus, etiam sudorem frontis, brachio detergat. Fac hunc liberum, si audes, fac non seruum. Ecce egregio terrarum domino, modo imperat libido vt cum matre concumbat, modo crudelitas vt tollat, nunc stultitia vt currum regat, aduersarios obseruet, blandiatur, metuat, ad eorum prope pedes se prosternat. Et hic libertatem, si Dîs placet, etiam provinciis conferre audet. Senem vero nostrum, animo inuictū, vitiis majorem, voluntatis suæ ac opinionis dominum, ac plane liberum seruire vni voluit natura. Quid si ita Deo visum? Quid si ipsi? Quid si ne seruiuit quidē? Quid si ne seruire quidem potest quisquam & non cogi, quemadmodum nec liber esse & cogi? Audi vocem ejus magnam, & triumphis omnibus superiorem: *Nemo*, inquit, *seruus esse potest, qui sit liber voluntate.* Quid, Fortuna, inquit, vis tibi? Vt non liber viuat Epictetus? Atqui hoc in potestate mea Deus immortalis esse voluit: a quo libertatem consecutus sum. Quam me amisisse credis, quia seruum vides: ego me non amisisse credo, quia non inuitus sum quod jussit.

sit. Age, hunc orbem, in quo nihil frustra, omnia præclare constituta sunt, si lubet, mecum vide. Huic Regis, huic consulis, huic quæstoris, huic agricolæ, huic munus medici impositum videbis. Epictetum idem vniuersi princeps seruum esse maluit. Num detrectat? num recusat? num se infelicem, num deteriorem ideo, num minus liberum aut sapientem judicat? Ille vero promptus ei morem ac paratus gerit. Ne infelix sit, qui esse aliter non potest: ne seruire incipiat, qui liber hactenus in seruitute vixit. Nemo enim seruit, nisi qui non sponte hoc agit. Corpus hoc in potestate mea esse noluisti, quod ne meum quidem esse existimaui vnquam. An propterea nec animum? Voluisti claudicare hunc pedem. An & sapientiam cum eo, an opinionem? an judiciū ac voluntatem? Ego vero grates tibi quantas possum ago, quod quæ sine libertatis detrimento aliis seruire possunt, ea nihil ad me pertinere voluisti: quæ autem sola libertatem conseruare possunt, eis effeciſti vt imperem. Diogenem, Platonem, alioſq;, vere liberos ac sapientes, seruiisse olim, fama refert. His accedat Epictetus: quem seruire cum fortuna vellet, sapientia emancipauit. Iam vt ordine ad reliqua eamus: calumnias nonnulli improborum ac judicia horrescunt; etiam præclari, & qui in Republica versantur viri. Arqui magnus ille sapiens ac vetus, qualem Stoici describunt,

ſcribunt, cum agendum aliquid perſuaſit ſibi, nec judicium cujuſquam nec opinionem pertimeſcit. Quolibet ſpectante, quod agendum eſſe exiſtimat, hoc agit. Nam ſi recte quicquid eſt facturus, fieri non poteſt, ne agendum quidem putat: quod ſi poteſt, nihil eos timet, qui non recte reprehendunt. Quicquid vero cæteri opponunt, nihil ad ſe pertinere arbitratur; immobilis vbique & inconcuſſus. Quonam autem pacto poteſt fieri, vt ægritudinem ex obtrectatione iſta contrahat, aut animum demittat? cum in poteſtate maneat alterius, vt maledicat; in illius, maledici ſibi ne exiſtimet. in illius enim poteſtate eſt, ne debeat. Sicut autem niſi ſponte ſua & ex voluntate nihil agit, ita, niſi velit, nihil patitur aut ſubit. Quippe, niſi perturbatur, niſi dolet, niſi commouetur, quæ in eo & ab eo ſint neceſſe eſt, peti ab improbitate poteſt, tangi aut affligi non poteſt. At ſi poteſtatem ſuam alteri concedit, ſi demiſſo animo ac fracto, ad cauillum pauet, ad calumniam mouetur, ad conuitium horreſcit; ecce tibi miſerum, ecce infelicem, ecce abjectum, ecce in aliena poteſtate poſitum. Ita enim agit, vt qui corpus ſuum alteri cædendum præbet. Voluntatis enim libertatem, magnum ac cœleſte bonum, quæ in animo conſiſtit, alteri in manum tradit: ac ſic alteri ſe ſubdit. Nam opinionem veram, bonum

maximum ac propium abjecit. ideoque & perdidit. Spartanos scimus, viros vere inuictos, si quis clypeum in bello abjeciſſet, eum qui cum reliquis in ciuitate viueret, indignum judicaſſe; neque aliter quam carnem morticinam, aut cadauer fulgurîtum, fugere ac vitare occurſum ejus conſueuiſſe. Donec tædio vivendi ac mœrore victus, mortem tali vitæ anteferret. Videbant enim homines, cœleſti ac prope ineffabili virtute, nihil fortiter ab eo aut præclare poſſe geri, qui quod munimentum corporis a duce accepiſſet, id in alienam poteſtatem viuo ſe venire paſſus eſſet. Et tu, quiſquis es, ô noſter, cum a Deo immortali, ſummo vitæ ac malitiæ præfecto, clypeum opinionis rectæ ac conſtantiæ impenetrabilem acceperis, eum ad cujuſlibet occurſum ita protinus abjicies ac trades, vt tranquillitatem ac felicitatem tuam, cuiuis vulnerandam præbeas? vt in hominis ſceleſti, vt in meretriculæ ſit poteſtate, miſer ſis an felix, hilaris an triſtis, mente cadas an conſiſtas? Eodem quoque modo de dolore judicat. Sicut in cujuſuis poteſtate eſt, doloris inſtrumenta admovere ſapienti, ita in illius eſſe, ne tormenti aut doloris vim ac impotẽtiam in animum admittat. Non jam illud agimus, vt, qui ſit præditus virtute, eſſe miſerum non poſſe in dolore, oſtendamus. Quod & ratio, & Stoicorum omnium conſenſus, & quæcunque poſita ſunt hactenus principia, euin-

euincunt. Quippe si in corpore est dolor, animus autem, vt vaticinatur Plato, illud est quod quisque est, non corpus, quis non videt, malum aut non esse, aut jam esse corporis, non nostrum? Quod si animi felicitas est virtus, (& quis hoc negauit vnquam?) miser esse, qui sit felix, quomodo, per Deum immortalem, aut qua tandem ratione potest? modo solum esse bonum id quod est honestum, solum esse malum, quod cum turpitudine est conjunctum, firmiter existimet? Quod non modo Stoici, sed omnes omnium ætatum magni semper viri crediderunt, & fortasse aliter ne vulgus quidem sentit. Qui de Regulo, de Socrate, de Mucio, magnisque aliis ac summis viris, qui dolorem non inuiti, non coacti, sed cum libero judicio ac voluntate subierunt, cum loquuntur, fortes, non calamitosos dicunt. Quippe miserum non esse, qui sit suæ spontis, vt nec infelicē esse, cui nihil quod non voluit, euênit, sicut eruditis ratio, sic veritas extorquet imperitis. Aliquanto longius, si placet, ab opinione populari abeamus. Solam enim rationem, quæ non raro cum hac pugnat, Stoici sequuntur. Solent principes ac reges, Auditores, & potissimum tyranni, quotquot aut cum hoste bellum gerunt, aut immanitate ac crudelitate eo deuenerunt, vt se hostes totidem habere arbitrentur, quot habere poterant amicos, nisi tales essent, arcem

loco ſitam opportuno , omni ita ratione ac opere munire , vt arte nulla , nullis machinis aut armis expugnari poſſit. Talem eſſe ſapientis animum , non ſine cauſa tota porticus affirmat. Excelſum , ingentem , inſuperabilem,munitum : conſtantia , virtute, dolorum omnium contemptu , tanquam turrim quandam cinctum ac exaggeratum.quem non aries calamitatum, non balliſta paupertatis ,non vis vlla tormentorum,frangere aut debilitare poſſit.qui non foſſa, vallo, aggere, aut muro, ſed opinione recta,ſed propoſito inuicto,pertinaci,ac immobili,a corpore ſejunctus,ſeparatus, atque abſtráctus ſit : quem philoſophiæ finem eſſe,etiam Platonici teſtantur.Qui præclari ac ingentes viri, ita ſtatuebant, Animum humanum , in quo vires ac nobilitatem noſtram Deus immortalis poſuiſſet,in hoc corpus,tanquam in cuſtodiam,demiſſum eſſe. A qua niſi vindicetur, perpetuo ſeruire. Eam autem libertatem eſſe duplicem. Alteram naturæ,cum hæc duo diſſoluuntur quæ cohærent , quam nos mortem dicimus:alteram ipſius ſapientiæ. Eam autem comparari , cum exercitatione longa , crebra meditatione , animus a conſuetudine , mens a ſenſibus ac corpore abducta, vitam ſuam viuit , neque ab vlla ejus parte in conſenſũ trahi poteſt.Non jam cogitur ſed cogit, non jam ſequitur ſed ducit, non jam regitur ſed regit,non jam paret ſed præſcribit,non

optat,

optat, sperat, metuit, aut dolet: neque amplius affectionibus illius, sicut lignum mobile alieno neruo, rapitur aut perturbatur. Siquidem quod Deus est in mundo, hoc in corpore est animus: non illius pars, sed imperator. Quantum ista vitæ ratio, & vt sic dicam, modus valeat ac possit, verbis exprimi non potest, neque argumentis, sed exemplis confirmandum. quæ illudi per cauillum, sicut cætera, non possunt. Quicquid enim factum esse vides, velis nolis, posse fieri necesse est vt concedas. Socrates in carcere, in squallore ac pedore, inter vndecim lictores, liber mente ac solutus, totum illud tempus quo judicium differtur, vt in Academia solebat, cum Cebete suo disserit. Mors denunciatur: ille legem non recusat. Infunditur venenum: ille poculum eodem vultu sumit & educit. Corpus obrigescit, membra torpent ac deficiunt, cor occupatur: animus in statione, tanquam imperator, manet & persistit. Inter mortem simul & dolorem constitutus, saluum esse se exclamat & cum dicteriolo discedit. Libertatem enim voluntatis, quæ a corpore non cogitur, nec vsquam seruit, magnum & inuictum bonum, longo vsu & exercitatione, consecutus erat, Cato, de quo sæpe sed non nimis multa Stoici loquuntur, post amissam libertatem, voluntatis suæ rex ac imperator, ita semper vixerat, vt in corpore isto tanquam in domo sua versaretur:

cujus partes si ruinam ducant aut deficiant paulatim, spectat dominus, non sentit: nihil enim quæ diuisa sunt ac separata inter se communicant. Cum jam autem vinci nemo recusaret, & adesset Cæsar, solus instituti sui memor, disputationem Socratis, de qua jam diximus, in manum sumit. Quam cum diligenter excussisset, non prolixo commentario, quod plurimi fecerunt, sed exemplo eam nobilissimo illustrat. Manus voluntatis administra, non jam corporis ancilla, librum ponit, gladium, qui juxta erat, accipit. Quem cum læsa antea & sanguine conspersa, neque satis firma, parum alte infixisset pectori, volente ita ac jubente animo eodem, ne qui mortem jam contempserat, doloris stimulos horreret, tanquam penulam aut vestem, corpus totum lacerat: illum autem qua volebat, non vt inquilinum, sed, vt dominum, dimittit. Democritum, quem inter sapientes sui temporis vel principē fuisse Hippocrates testatur, cum diu hanc viuendi assecutus esset rationem, vt a corporis imperio sejunctam quasi ac emancipatam animam haberet, oculum vtrumque, quod in contemplando aliquantum impediri se videret, manu eruisse, ac sine vllo gemitu aut vlulatu juxta se depósuisse ferunt: sicut qui in domo, fenestrarum lumina aut tollunt cum necesse est, aut mutant. Quid metuere, per Deum immortalem, animus

mus hic potuit, qui in corpore non viueret, sed habitaret tantum? qui contemptu rerum omnium, longoque contemplandi vsu, consecutus erat, vt nec voluptatem nec dolorem amplius cum corpore communem jam haberet; instrumenta autem animi, officia, ac motus, tanquam manu circumferret. His & aliud accedit, quod in promptu semper habet sapiens: Omnes partes corporis, vt inter se disiunctæ sunt; ita functiones suas esse cuique, quæ ab aliis non possint impediri. Animo autem suas, non ab omnibus tantum, sed a toto corpore diuersas esse. quæ, dum suo, vt oportet, munere funguntur, longe infra ditionem ejus ac imperium, necesse, vt vel dolor grauissimus consistat. Pedem tolle aut offende: num cum eo visus tollitur aut impeditur? manus præcidantur: num incessum lædi sentis, aut tardari? Num, si audiendi instrumenta corrumpantur, etiam sermonis vsus perit aut adimitur? Num si ista simul, rector ipse ac imperator animus non agit? Num illius functiones pariter tolluntur? Num ex aliis dependet? Num ab aliis mouetur? Ille vero voluntatem ac opinionem liberam, intactam, atque inuictam, inter compedes ac vincula, lictores ac carnifices, tyrannos & artifices crudelitatis, ad extremum vsque halitum conseruat. Rota, candens ferrum, laminæ, fidiculæ, equuleus, cum tunica molesta, & quæcunque ad sæuitiam

tiam excogitantur, in carnificis & poteſtate & manu ſunt. Num quod voluntatis aut opinionis inſtrumentum habet? Ferrum, chalybem, ſaxa, ignem, in hanc pellem, in hunc follem, corticem, veſtem, qua inuoluor, poſſe plurimum non nego. Num aduerſus animum hæc valent? Num is laceratur, frangitur, aut ſcinditur? Num ardere aut abſumi igne poteſt? Si non poteſt, ne inflecti quidem, niſi velit, aut moueri poteſt. Mucius, literarum imperitus, ſed ingenti vir animo, cum fortunam ſuam, vt Romanus, a qua peſſime deſertus fuerat, abſoluere non vellet, manum igni imponit. Vt conſtaret, quod cœpiſſet, quanto animo geſſiſſet, tum ne quiſquam dubitaret quin hoc vellet, ferro poſitam in foculo transfigit. Manus ardet, pellis corrugatur, adeps feruet, venæ contrahuntur, ſanguis fluit. Quid vero animus? Conſiſtit. idem autor operis & approbator. Quam tu hujus rei cauſam dices? Voluntatem puto. Vult ardere manum; commoueri non vult. Et vtrumq; in poteſtate illius eſſe pariter & ratio & factum probat. Anaxarchus, longe major, vt qui ſapientiæ conſultus eſſet, cum in crudeliſſimi tyranni incidiſſet manus, de quo alias liberrime locutus erat, nudo corpore in ſaxum excauatum conjicitur. Adſtant vndique crudelitatis adminiſtri, qui injectum ferreis piſtillis tundant. Caro laceratur, oſſa conteruntur, corpus vniuerſum fran-

frangitur. Quid vero animus ? Quia munimentum corporis non habet, proprium, constantiam ac rectam de dolore opinionem, protinus assumit. Quibus cinctus vndique & involutus, caput lacerum ac comminutum, oculos cruore plenos, & in ipsa morte jam natantes, toruo admodum diroque vultu tollit, ac conversus in tyrannum, Anaxarchi, inquit, follem tundis. Animi hic vocem, vocem Anaxarchi audis. qui a corpore jamdudum cum diuortium fecisset, in quo adhuc tenebatur, Tunde, inquit, quantum voles, Anaxarchum nunquam tanges. Nam opinionem ejus non mutabis. Nihil Anaxarchus vnquam bonum esse credidit, quod animi non esset: nihil malum, quod ad animum non pertineret. Fac, si potes, vt dolorem malum esse existimet: vt gemitu, vt lamentatione, vt voce flebili, hoc fateatur. Quod si potes, jam vicisti. Atqui, ô sceleste & omnium ignare, non pistillis frangitur opinio, sed ratione. Quæ si recta est ac vera, quod tu semper ignorasti, immobilis quoque ac inuicta, omni adamante, nedum omni ære durior ac ferro est. Ego vt dolorem ferre nondum possim, cum id pertinacia sceleſtis, consuetudo pueris, mos fœminis, alia quotidie aliis persuadeant ? cum hoc ipsa rerum experientia euincat? Id quod omnes possunt, solus sapiens non poterit? Quod in illis aut lubido, aut spes lucri, aut honoris ardor potest, id in

nobis ſola ratio non poterit ? Ego vero id exiſtimaui nunquam, neq; vt in opinione vel tam fatua vel tam peruerſa nunc expirem, Dii ſiritis vnquam. Hæc & his majora, Anaxarcho tum veniſſe in mentem, non eſt dubitandum. Nam quemadmodum athletæ, cum in nobili certamine verſantur, & ſub ictibus ſtant, animos a plagis ſumunt: ita verus ſapiens ac diu exercitatus, a tormentis robur, a dolore tolerantiam ac fortitudinem deſumit. Sicut autem nihil vnquam patitur inuitus (ſcit enim ſe athletam eſſe & in vitam iſtam, certa lege, tanquam in gymnaſium, veniſſe) ita quædam nouit eſſe quæ vitare mallet; maximum dolorem & extremos puta cruciatus: nihil autem, a quo cogi aut inuitus ſuperari poſſit. Quantum enim eſt, quod fures, quod latrones, aut, quod noſtro tempore non raro euenire ſolet, Regum parricidæ poſſunt: quibus prius animam extorqueas quam gemitum ? Spartanorum pueros, ſi lubet, vide, qui diſcerpi virgis ac dilacerari corpus, ſine vllo vel leuiſſimo doloris motu, conſtantiſſime ac fortiſſime ferebant: fœminas, Arrias, Porcias, Leænas vide: Indorum conjuges, ſi lubet, vide, quæ in rogum maritalem (tantus illis animus) feruntur: quicquid ratio debebat, pudor ſaltem impetrabit. Ratione autem nemo præter ſapientem vtitur. Quæ ſi recta, ſuperari a dolore, niſi ipſa fallit ratio, non debet: ſi immota eſt, ac fir-

ac firma, nisi eadem nos decipit, non potest. Iam vero, si, quod Socrates dicebat, idem velle debet sapiens quod Deus, etiam in dolore, etiam in morte: neque vinci a dolore potest, qui non male secum agi arbitratur (nihil enim frustra agit Deus, nihil male) neque miser esse potest, qui inuitus nihil subit. Mortem autem quomodo timebit, ô Dii boni, qui diuinam senis nostri, tam in vita necessariam, quam veram cogitabit vocem, NON RES IPSÆ SED OPINIO DE REBVS PERTVRBATIONEM ADFERT. Neque mors profecto metuenda, quam tantopere timetis, sed quod sic de ea judicatis. Quippe, si natura formidabilis mors esset, omnibus hoc videretur. Sicut ignē omnes judicant calere, glaciem frigere, gladiū secare. At nec Socrati videtur talis, nec Catoni, aliisq; magnis ac præclaris viris: qui in alia opinione semper sunt versati: & hanc veram esse docuerūt. Quid quod alii natura mortem non formidant, sicut Celtæ: alii habitu hoc consequuntur, sicut veterani: alii ab institutione ac consuetudine, vt Spartani olim; summi diuinique viri? Apud quos contemptus mortis, moribus receptus, in naturam sic mutarat, vt pro mœnibus hoc vterentur. Audiuistis masculam & vere animosam Stoicorum disciplinam, cæterarum dominam ac principem: audiuistis, quid seueri illi & e porticu docuerint magistri: qui dum animos humanos pes-

simis

simis opinionibus imbutos, inter spem ac metum, inter voluptates ac dolores, cæteraſque perturbationes, agitatos miſere ac fluctuantes, ad priorem vitam, in qua poſiti a Deo & creati fuerant, attollunt, & in portũ ſuum iterum reducunt. quin, ſi verum loqui licet (quod pro veritate quid ni liceat?) grauiſſima oppreſſos ſeruitute, neque aliud quam ſeruos ineptiſſimarum, quas cum lacte hauſimus, opinionum, ad pileum ac animi tranquillitatem vocant. Hominem in animo, humanum autem bonum nuſquam quam in ipſo ponunt. Quo vt quiſque maxime excellit, ita ad parentem ſuum, Deum immortalem, maxime accedit. Hæc ſi recte intelligantur, neque optabit quiſquam, niſi quod optandum: nec vitare aut declinare volet, niſi quod vitandum eſt ac fugiendum. Animi habenas voluntatem eſſe ſciet. quas dum ſibi ſeruat, liberum, beatum, ac felicem ſe futurum: ſi in poteſtatem alteri committit, libertate hoc ipſo excidiſſe. Supra iſtam, ſolum Deum immortalem ſtare, cui beneficium hoc debet: cui ſuam penitus permittit: cujus tum benignitate tum exemplo, ita format eam dirigitque, vt nec quicquam expetat non ſuum, neq; vitet quicquam, quod in poteſtate ſit cujuſquam. Quo diuina verba ſenis noſtri referenda ſunt: *Primũ eſſe in pietate ſcito, optime de Deo opinari, vt qui ſit, vt qui cuncta recte moderetur ac juſte. tum te ipſum in*

hoc ordine esse constitutum, vt in omnibus quæ fiunt, cedere, parere, ac sponte sequi illum debeas. cum ab optimo judicio ac ratione omnia proueniant. Ita quippe nec de eo conquerêris vnquam, neque vt neglectus eum accusabis. Id quod fieri non potest, nisi ea quæ in potestate nostra non sunt, omittas: in iis autem solis quæ in ea sunt, bonum tuum ponas. Vides paucis, quicquid hactenus a nobis dictum est. Hinc immensa illa, & quæ verbis exprimi non potest, tranquillitas ac gaudium. Sicut enim currum qui conscendit semel, sequitur aurigam; nauem qui ingressus semel est, gubernatorem: ita Deum in hoc orbe sapiens sequetur. Nam & prouidum ac gnarum artis suæ, & parentem suum esse sciet. Interim calamitates vndiq; inuadant, dolor ac Fortuna vires jungant pariter ac animum oppugnent, terra cœlo misceatur, cœlum sibi, aut in caput sapientis cadat; ille firmus animo ac inconcussus, voluntatis suæ conscius ac potens, Dei autem fretus, vitam, quam in maxima tranquillitate semper egit, Deo suo vel donabit, vbi jusserit, vel reddet. Ita semper vixit Epictetus: ita est locutus.

HOMILIA XXIV.

In Theophania, siue Domini Natalem. Habita XXI *Decembris, in auditorio Theologico.*

SOlent Epicuri familiares, Auditores, qui in voluptate corporis supremum hominis ponebant bonum, diuinam autem illam, qua in re-

in redemptorem ſuum mens defixa, in hac vita voluptatem percipit futuræ, ne guſtarant quidem miſeri, viceſimum cujuſque menſis diem, præceptori ſuo conſecrare; quod hoc ipſo natus videretur. Eundem hunc in annulis, in poculis, ac paſſim exprimebant in tricliniis: ne ab oculis eorum procul vnquam verſaretur, cujus meminiſſe aſſidue volebant. Hæc profani & effœminati, voluptatis ſuæ, vt exiſtimant, autori. Vnum Eccleſia aut alterum Seruatori ſuo dedicauit diem, quo natiuitatem ejus celebrare ſolet, & memoriam æternam ineffabilis myſterii conſeruat. Eum cum hoc die propter vim amoris incredibilem, in carne ſua homines acceperint, quo aduentu qui perierant ſunt reſtituti, qui a Deo fecerant diuortium, ad Deum reuocantur, legis rigor ac auctoritas diluitur, miſericordia ac gratia per vniuerſum genus hominum diffunditur, ipſe Dei filius ad hominem deſcendit, vt cum homine conjunctus, Deum pariter cum homine conjungat, ipſe Dei Spiritus in hominem deſcendit, vt exhibeat in vtero qui fuit ante ſæcula; tamen frigide alii, alii ne celebrare quidem ſolent. Alii profunditatem rei tantæ potius ſollicite ſcrutantur quam humiliter agnoſcunt, & ad rationem exigunt humanam, quod a ratione noſtra eſt diuerſum. Nos qui rei magnitudinem ſtupore pio proſequendam potius quam anxia ſubtilitate indagandam puta-

putamus, ab humilitate Seruatoris prima hic incipiamus, vt per eam ad ſublimitatẽ ejus ſic proficiamus. Videamus incunabula, videamus conceptum, natiuitatem videamus, infantem amplectamur, cogitatione ac animo tempus illud nobis proponamus, quo non tantum ſe ad hominem, ſed & ad primam hominis ætatem demiſit. Reliqua ſupplebit fides quæ ſupplere ratio nõ poteſt. quæ priora ſunt, & obiter dicenda. Dies fauſta, dies læta, dies magna, dies mente noſtra major, major omni tempore. Deus naſcitur in terra: Deus homo naſcitur. Ita vt nec deitati aliquid diſcedat quam cõſeruat, nec humanitati quicquam deſit quam aſſumit. Quid myſterii inquiris rationem? Sufficit myſterium. Nam ſi modum inueſtigas, neque finem tuum aſſequêris, & jam amiſiſti fructum. Si diuinitatem ſpectas, Deus Pater eſt qui fuit, & qui ſemper eſſe dicitur. Quod vtrumque quoque Filio tribuitur. Non enim alius eſt Deus, quamvis alius a Patre eſt Filius. Idem nempe, quamuis alius a Patre. Filius eſt qui eſt genitus: qui ex Patris eſt ſubſtantia, Patri æqualis. Hic ſi quæris quando; jam ad tempus aliquod delapſus es, quod nullum eſt in Deo. Ante tempus enim Filius hoc fuit. quia Deus eſt vt Pater. Imo extra tempus Filius hoc fuit. quia ante tempus eſt cum Patre; qui æternus eſt cum Patre. Quid in creatore tuo modum hic natiuitatis curioſe quæris, qui nec in homi-

homine hanc intelligis. Nullum tempus ante Filium, vt nullum tempus ante Patrem. Quia non post Patrem Filius, qui genitus ex Deo, genitus est Deus: ante sæcula vt Deus, nunc in tempore vt homo. qua est Deus, sine causa: qua est filius, a causa, sed æterna ab æterno. Hic humana ratio subsistit, hic flaccescit acies subtilitatis nostræ, hic indocti pariter & docti conjunguntur. Quicquid ante tempus fuit, creditur ab homine, non capitur. quia hominis excedit intellectum, id quod ante hominis naturam fuit. Vltra tempus nemo hominum intelligit, vltra tempus nemo sapit, nemo cogitat, vltra tempus nemo fuit genitus: præter illum qui hoc die nascitur, vt homo. Hunc, qua Deus est, si factum credis; jam blasphemus es: si genitum non esse credis; jam diuinitati fidem suam derogas: si natum esse negas qua est homo, conseruationis tuæ fructum amisisti. Omnia in Deo supra rationem, nihil supra fidem est. Eodem modo & in Filio, qua Deus: imo & qua homo simul est ac Deus. Manet enim totus Deus, manet totus homo. In quo totus cum sit Deus, totum non est Deus: quia est & homo. Et cum totus sit homo, totum in eodem non est homo: quia idem est & Deus. In quo hoc quoque est diuinitatis, quod cum Deo ineffabili conjunctione jungitur humanitas. Adora myste-

mysterium, ô homo, & conditionem saltem die tam illustri tuam cogita. Ab æterno fuit genitus, qui nascitur: sine causa fuit semper, qui nunc tua causa homo factus est. Nam si majestatem recte consideras in Deo, humilitatem in homine æstimas pro merito. Homo Deus fieri non poterat: Deus homo factus est. Vt potentiam agnoscas, ô homo, non vt negligas humilitatem. Age, redi ad humilitatem, ne a majestate obruaris: agedum descende a Deo, vt ad Seruatorem tuum venias. Hodie qui sine corpore erat, corpus induit: qui adspici non poterat, aspicitur: qui tangi non poterat, tangitur: qui sine tempore erat, esse incipit: Filius Dei, filius fit hominis. Hodie cum hominibus Deus, cœlum cum terra, mortales cum æternitate conjunguntur, quia cum diuinitate jungitur humanitas. *Quem constituit hæredem uniuersi Deus, per quem fecit sæcula, splendor ejus gloriæ, character substantiæ*; olim propter potentiam incomprehensibilis, nunc propter humilitatem admirabilis, descendit vt misericordia conseruet, quicquid per potentiam creauit. Olim ineffabilis majestas Dei supra cogitationem hominis immensa, terribilis, horrenda, metuenda, quam nec Angeli intelligebant, nec videbant Seraphim, nec perueştigabant Cherubim, Deus exercituum, Deus gloriæ, *cujus a facie commota est & contremuit terra, fundamenta montium sunt conturbata*, hodie id factus est

quod omnes sumus. Ineffabilis majestas Patris dirigit mysterium, ineffabilis benignitas Filii assumit carnem, ineffabilis Spiritus potentia, quæ orbe toto non concluditur, concluditur in vtero. Hodie mors perit, quia vita nascitur: hodie mendacium aufertur, quia veritas ostenditur: hodie aufertur error, quia via sternitur. Hodie cœlestis Angelorum panis, manna Dei, manna gratiæ de cœlo pluit. panis, quem qui edit, in æternum viuit. Dies fausta, dies magna, dies longa, dies sine vespera ac nocte, dies finis sæculi, initium æternitatis. Dies vere initium natiuitatis ac regenerationis nostræ: qua vt homines ex Deo nascceremur, Deus nasci voluit ex homine. Olim ad imaginem ipsius Dei factus homo est, nunc imaginem ipsius hominis assumpsit Deus. Olim Deus hominem e terra fecit: nunc illius causa ipse factus est quod fecerat. ne quod clementer fecerat, periret. Hodie humana cessat ratio, quia Dei Ratio in terris nascitur. Posthac muti loquentur, surdi audient, videbunt cœci, ambulabunt claudi, vnda se calcandam dabit, mortui resurgent protinus & viuent. idque verbo, quia Dei Verbum est qui loquitur: sed & sine verbo, quia Deus Verbum est qui imperat. Dies læta, dies plena gaudii, hilaritatis plena, plena gratiæ. qua Omnipotentis filius, humiliatione homo, humilitatis nostrûm omnium assumptione, frater noster factus est. Dies in

quo

quo natus est qui ante diem fuit: & qui diem primum fecit: & qui dixit, *Fiat lux, & facta lux est.* Dies qua suauissimum & omni melle nomen dulcius IMMANVEL, Deus cum homine, Deus inter homines, Deus in homine, Deus propter hominem, Deus homo factus est. Dies quem Abrahamus, dies quem Iacobus, dies quem Isaacus vidit, etiam cum nihil amplius videret: cum deficientibus jam oculis, Iacobo benediceret, Esauum præteriret. Hodie assurgit caro, quia Deus se demittit: caro extollitur, quia caro Verbum est factum. Hactenus filii Adami, nunc vero filii Dei; noua gens, nouus ordo, noua familia: *qui non ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ecce scala Paradisi, quam in somno viderat Iacobus, qua in cœlum vsque itur: cujus primi gradus sunt in terra, summi vsque in sinum Dei mirabiliter pertingunt. Olim omnia excelsa, omnia abrupta, omnia inuia, omnia sublimitatis ac horroris fuerant plenissima: nunc plana omnia, omnia peruia, omnia placida, omnia tranquilla, omnia familiaria sunt. Veni ad Deum, ô homo, sed per hominem. Vtrumq; enim factus est hodie Seruator tuus, vt vtrumque iterum conjungeret. O amorem incredibilem! ô misericordiam ineffabilem! o inenarrabilem gratiam! Tanta inter Patrem hactenus & Filium conjunctio ac nexus fuit, vt vterque vnum esset: vt essentia non similis

ſed eadem vtrique eſſet. Nunc qui vnum eſt cum Deo, vnum fit cum homine, vt cum creatore ſuo vnum fiat homo, ſicut vnum eſt cum creatura ſua Deus Filius. Ad Deum ergo venias, o homo, veni, ſed per hominem. Tange creatorem tuum, quia tangi poteſt. Cœli obſidem, ſalutis tuæ prædem ſimul & autorem tange. Accede ad Sponſum tuum nunc, Eccleſia, quia in amplexum tuum nunc dilectus tuus venit. Quantum inter terram intereſt & cœlum, tantum iter hodie confecit, vt ſeruaret transfugam & hoſtem. Deus manet vt te ſeruet: homo fit, vt propius accedat. Nihil tibi profuiſſet magnitudo, niſi adfuiſſet & infirmitas. Procede & occurre ei, & cum lachrymis exclama, *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam eum, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Oſculetur me oſculo oris ſui. Trahe me poſt te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Veniac cane, *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Deus fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Veni ac cane, *Expectando exſpectaui Dominum, & intendit mihi. in lectulo meo quæſiui quem deſiderat anima mea. Indica mihi quem diligit anima mea. Vbi paſcis, vbi cubas in meridie?* Intremus, videamus Seruatoris noſtri cellulam, & dulciſſimo ſpectaculo nos oblectemus. Maneant interea pro foribus ſuperbi Phariſæi. qui cum legem vrgeant vbique, autorem ejus non agnoſcunt.

ſcunt. Maneat Arrius, & in fronte ſua a diabolo humani generis tortore impreſſum geſtet illud paſſim decantatum, ERAT TEMPVS CVM NON ESSET. Quando enim non fuit is qui fuit in principio? *In Principio erat verbum.* Quando enim non fuit is, qui Deus fuit? *Et Deus erat verbum.* Quonam tempore non fuit is, qui tempora creauit? *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Maneant Noëtiani & Sabelliani, qui diuinam trinitatem confuderunt, & eſſentiam vnam, vnam pariter perſonam eſſe volunt. Maneat Samoſatenus, qui in ſinu meretriculæ, & in gynæceo barbaro, diuinam filio naturam derogare auſus fuit: qui nihil eſſe Verbum, præter ſonum mox euaniturum, cantillare non erubuit. Maneat cum Valentino & Apelles, qui humanitatem tollunt, & fuiſſe ante matrem Chriſtum etiam nunc natum crediderunt. Maneat & Marcio ſceleſtus, qui humanam Domini naturam non admiſit. Maneat Neſtorius, qui eas ſeparauit. qui non Dei filium ſed hominem, pro nobis eſſe natum ac affixum cruci, plurimis perſuaſit. Maneat ſceleſtus Ebio, qui, vt alia omittam, terrenum Seruatori noſtro patrem dare non dubitauit. Maneant & Alogi & Anomœi, & ſi qui ſimillimi ſunt illis: omnes aut diuinitatis ejus aut humanitatis hoſtes. Maneant philoſophi, & eruditi hujus ſæculi, & quicunque, vt ſapientes

videantur sæculo, profani esse volunt. Nos vero simplices ac rudes, & cum fide simul ignorantiam professi, protinus intremus ac canamus, *Lapidem quem reprobarunt ædificantes, hic in caput anguli est factus. A Domino factum est istud, & mirabile est in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit Dominus. Exultemus, & lætemur in ea.* Intremus & cantemus, *Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.* Intremus & cantemus, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.* Intremus & cantemus, *Lauda filia Sion, jubila Israel: lætare & exulta omni corde filia Ierusalem. Abstulit Dominus judicium, auertit inimicos tuos. Rex Israel, Dominus in medio tui: non timebis malum vltra.* Ecce quantillus tua causa factus est, *qui excelsior cœlo, profundior est terra.* Ecce Benjamin cœli. Ecce cœli ostium, ecce virga de radice Iesse, ecce radix Dauidis, ecce semen mulieris, ecce brachium Dei, ecce virtus Dei, ecce Dei vnica voluptas. Ecce, olim genitus non natus, ecce, nunc natus & non genitus: Deus olim ex Deo, nunc ex matre homo. Ecce, qui natus nondum, tamen erat: qui natalem suum pariter & tempus anteuertit. Quem hospitio excepit Abrahamus, omnium credentium pater: ejus in carne pater, cujus spiritu ac fide filius ac seruus erat. Cujus stellam ante Magos Bilham vidit, & nolentibus prædixit; sed inuitus. Ecce, qui nunc lachrymas, mox sanguinem

guinem pro te effundet. Ideo sanguinem, quia nunc lachrymas: quia ad te venit, quia multũ te dilexit. Versabaris in voluptatibus tu, versabaris in deliciis carnalibus, gaudebas, exultabas, Deos alienos sequebaris, & qui Dii non essent, iis sacra faciebas. Interim, o misera ac demens, & salutis tuæ penitus oblita, jam sententia aduersus te ferebatur, *jam dolores mortis circumdederant te, & iniquitatis conturbauerant torrentes.* Dei vnigenitus hoc intellexit, qui in sinu patris & in throno gloriæ sedebat. Is descendit sine mora, gloriam abjecit, paupertatem ac miseriam assumpsit. Venit in terram, venit ad te, venit in te. nascitur nocte, nascitur hyeme, nascitur nudus. Nemo hominum accurrit: nemo respicit. Desunt fasciæ infanti: conquiruntur panni. Desunt cunæ: in præsepi ponitur. Hinc vagitum ad te tollit, manus ad te tendit, & adjurat cœlum quod creauit ipse, Nihil esse quo se amplius demittat. Hic quid facies? quid respondebis? Syllogismos aliquot formabis, quæstiunculas ineptas totos dies & non necessarias, propones aliis aut ipse solues, & perpetuo de iis disputabis, quæ nec ad salutem requiruntur, & tranquillitatem tuam turbant: quibus amor erga Deum tollitur ac perit, odium aduersus proximum accenditur? Quæ si Dei filius feciſſet, jam tu, o ingrata & hoc beneficio indigna, periisses. Saccum indue, o misera: in cinere, in puluere, in fimo

ſede, ad præſepe Domini ac cunas ſede: tunde pectus: reddas gemitus ac lachrymas quas olim mutuauit tibi: & hac ratione ſaltem quantum illi debeas teſtare qui non tantum moriendo ſed naſcendo quoque pro te paſſus eſt. Ecce Deus Verbum obmuteſcit: Dei ſapientia nunc deſipit: per quem factæ ſunt æternitates, infans tua cauſa factus eſt. *In propria venit, neque ſui receperunt eum.* Infra hominem reponi vides, vt ad Deum hominem attollat: ne illius cauſa, homo tantum, ſed in ipſo vitæ limine, & miſer & cum ſordibus abjectus quoque eſſet. *Haccine reddis Domino, populeſtulte & inſipiens? Nunquid non eſt ipſe pater tuus, qui poſſedit te, & fecit te, & creauit te? Memento dierum antiquorum. cogita generationes ſingulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi.* Nunquid hic non fuit, cum non eſſes? *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit montes in pondere, colles in ſtatera? Vtinam ſaperent ac intelligerent, ac nouiſſima prouiderent,* ait Propheta. Mater parit Deum, virgo infantem: homo concipitur per Deum: Deus induit hominem. Veni læta, veni hilaris, veni cum gaudio, veni ad Deum, vere jam tuũ. quia idem eſt quod tu es, ſi excipias peccatum. *Olim acceßiſti ad radices montis qui ardebat vſq; ad cœlum, erantq; in eo tenebræ & caligo. Vocem ejus audiuiſti, formam omnino non vidiſti.* Nunc vero, *Inuenies infantem pannis inuolutum & repoſitum in præſepi.* Nunc exclama, *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt: qua-*

est:quæsiui,& non inueni illum: vocaui,& non respondit mihi. Nunc exclama, *Fulcite me floribus,stipate me malis:quia amore langueo.* Nũc sub vmbra ejus requiescam. Veni,tange ac vide. *Non enim accessistis ad contractabilem montem & accensum ignem, & turbines,& caliginem,& procellam, & tubæ sonum,& vocem verborum, quam qui audiuerunt sunt deprecati,ne amplius sibi fieret sermo. Non enim ferebant quod imperabatur,Si vel bestia tetigerit montem, lapidabitur: & ita terribile erat quod videbatur, vt Moses diceret, Expauefactus sum ac tremebundus.* Sed venisti ad speluncam,in qua virgo contempta atq; abjecta, olim humilis nec nota cuiquam, totam gratiæ diuinæ ac misericordiæ abyssum, quam in vtero conceperat, pro te effudit in præsepe. Qui cum legem traderet,in igne ardebat,nunc cum gratiam annũciat,in fœno jacet. In humilitate tanta,omniomnium sublimitate major. Iacet in præsepi:sed cœlestes circa se legatos habet.qui nascenti genethliacum decantant: qui jacentem in præsepi cantant, quem in gloria sedentem antehac cecinerant. In tugurio concluditur: sed aduentum ejus Oriens jam vidit. Deitatem pueri dissimulat paupertas: sed in cœlo eam stellæ, miracula in terris profitentur. Quicquid enim nunc fit supra hominem, non aliud quam Deum esse euincit,qui humiliatur. Natura cedit & mutatur, consuetudo perit,terra fit miraculorum plena. Quæ, quod maxime admirandum, nondum

natus inchoauit. Amplectitur Eliſabetham mox futura mater virgo, & in ejus vtero Iohannes exilit; ſed nondum natus. Vt nimirum appareret, quantus eſſet naſciturus, qui natiuitatem ſuam anteuertit: alienam autem nondum natus ſic præuênit. Nunc ad reliqua eamus. & quandoquidem hunc diem ſacræ meditationi dedicamus, quicquid juxta Seruatorem noſtrum inuenitur, pia ſedulaque curioſitate percurramus. Singula nunc intueri nos credamus, quæ videri oculis tum poterant. Accurramus animo ad puerum, animo eamus ad puerperam, omneſque quibus tanta res eſt reuelata cogitemus. Seponamus tempus quod in medio elapſum eſt. quicquid loci inter nos & Bethlehemum intereſt, emetiamur mente, ne quid de hoc die periiſſe videatur. Nam ſi omnium nos puerorum vel natalis vel infantia delectat, quanto magis hujus, qui, vt noſtra cauſa homo abſolutus eſſet, primo fuit id quod omnes primo ſumus? Sedet ad præſepe integerrima puella, magna pars miraculi ac feſti, quæ nullius ſibi conſcia libidinis aut viri, caſta corpore ac mente, ipſa re fatetur quod non capit: matrem ſcilicet ſe eſſe. Viro deſponſata, nuncium ab Angelo acceperat, conjugem nullius viri, Dei vero matrem ſe futuram. Nunc intentis oculis, interque gaudium ac admirationem pariter ſtupentibus, cœlo præter expectationem ſe nupſiſſe videt.

videt. Videt, se parentem suum mater, dominum ancilla, regem, quod e Gabriele castitatis suæ pronubo jam intellexerat, pauper ac contempta peperisse. Antiquiorem Adamo, Dauide illustriorem, potentiorem Salomone, natum ex se videt. Eadem & obstetrix & mater est & nutrix: ne quæ puritatis fontem contrectarent, minus essent puræ quam quæ sic pepererat. Sæpe ante hoc tempus sanctis meditationibus intenta, & in cœlum suum, cui mox jungenda erat, toto animo conuersa, de puero, quem tot prophetæ e stirpe Dauidica promiserant, attente cogitauerat: neque dubium, quin & de virgine, cui hanc felicitatem rerum Dominus seruabat, cogitauerit. Neque enim scriptum nesciebat, *Ecce virgo in vtero habebit, filiumque pariet*. Sæpe quæ ab Iessæo vate, sui generis autore, sæpe quæ ab aliis prædicta fuerant, peruolutabat, & ignara, ipsa passim se legebat. Noua omnia, omnia insolita, omnia prodigiis, omnia miraculis pleniſſima nunc videt. Voces homine majores audit. Videt lucem sine Sole, noctem suam omni die clariorem esse videt. Sæpe testes gaudii, quod animus non capit, lachrymæ prorumpunt, & per sinum nullis sordibus contactum dulcis imber labitur. Sæpe teneræ virginitatis fidejussor, vultum pudor notat, cum se matrem esse cogitat. Sæpe oculo pudico, & qui nihil vnquam viderat non castum, Dei filium & suum

intue-

intuetur,& adhuc de virgine ſolicita,jam matris induit affectus: quos deinde rurſus puritatis conſcientia moratur. Iam nutrire quoq; incipit paulatim quem produxit: & prodigioſo lacte,quod non a lubidine mortali ſed cœleſti gratia profluxit,nulli debitum marito puerum ſuſtollit. Puer cœli artifex ac terræ, nunc per collum, nunc per ora matris ſuæ pariter ac ſponſæ vagatur, nunc papillas, nulla niſi iſta manu preſſas,auidus contrectat,lacteumq; nectar haurit: & ad inſtar noſtrũ paſcitur,qui paſcit vniuerſa. Sæpe e ſinu ſurſum, nunc vtrumque ſimul oculum nunc alterum ſuſtollit, & benigno riſu, matrem intueri ſe fatetur. Illa gaudet, & ſe eſſe ſentit, & jam riſu quoque reſpondere audet, & amorem quem in terris nullus ſibi vindicat maritus, inter filium partitur quem agnoſcit, & virginitatem quam conſeruat. Diſcedite a ſpectaculo tam caſto impudicæ omnes, & quæ impudicis eſtis proximæ. vos,quæ vultum fingitis,greſſum ſuſpenditis,prurientibus oculis mentis laſciviam deprædicatis, quæ ceruicem ac papillas in virorum fraudem detegitis, & de toto corpore, iſto guſtu quaſi, optime ſperare jubetis. Vos quæ inter oſcula & attrectationes concaleſcitis: quæ inceſta mente, adhuc virgines, conjugii licentiam præcipitis, & pudendis cogitationibus virginitatem ipſæ veſtram mente delibatis. Quid enim aliud quam Diabolo nubi-

tis,

tis, qui vt vos seduxit primas, ita nunc assidue procatur? Huic crinem scilicet disponitis, huic formam arte & mendacio interpolatis, huic speculum consulitis. Hic per oculos lasciuos illos ac procaces, alienæ pudicitiæ lenones pariter & vestræ, vsque in animum irrepit. Ecce virginum castissima, quæ nihil præter Deum vnquam cogitauerat, in Deo, cum Deo per & propter Deum semper fuerat gauisa, sponsum suum parit. Sæpe jejuniis, sæpe lachrymis, sæpe pia meditatione antea se præparauerat: sæpe Deum in animo, antequam in vtero, conceperat. Summa enim vis est mentis, cum in creatorem suum toto impetu effunditur, & a corpore semota illi viuit, illum cogitat assidue ac videt, illi se transcribit, & diluuio amoris tota quasi inundatur. Cum paulatim carnis desideria exstinguit, spiritum accendit, corpus, tanquam aliud a corpore, circumfert. Inprimis autem mentis oculum, illustrem illum omniumque perspicacem, quod amantes solent, nusquam a Domino ac Seruatore omnium auertit. Animus quippe, quem immensa illa claritate sua & splendore spiritus accendit, totus oculus, totus lumen, totus fit spiritus. Sicut quæ ab igne accenduntur, tota ignis fiunt, & in ignem conuertuntur. Sic Elias olim, postquam sæpe jeiunasset, & precatus esset, curru igneo in cœlum est sublatus. Sic sanctissima puella, igne Seruatoris sui inflammata, quem in ter-

in terra continenter exſpectarat, (o prodigium inuſitatum!) accipit in vtero. Et quid ni, quemadmodum de iis quæ cum viro viuunt in connubiis, eſt dictum, *duo ſunt in carne vna*, etiam de iis quæ perpetuo cum Chriſto viuunt, merito dicatur, *duo ſunt in vno ſpiritu?* Carnalis enim appetitus ſequitur maritum: continentia inuitat ac procatur Deum. Ecce, quæ virum oſculata nunquam fuit, creatorem ſuum oſculatur: quæ in cœli tantum conſuetudinem ſuſtollere oculos ſolebat, cœli dominum ac terræ ex ſe natum videt. Vos autem cæteræ, quæ caſte ac pudice hactenus virginitatem habuiſtis, quæ ne cogitando quidem imminutæ eſtis, exultate, &, quod mulieres ſolent, hanc puerperam accedite. Nihil hic immundum, nihil eſt indignum vobis, nihil eſt non virginale. Fœtus hic e caſtitate natus eſt, non e libidine. Accedite, amplectimini infantem, & in gremio deponite, & in vlnis librate, & oſculamini, & virginitatem illi veſtram offerte. Nihil præter hanc in vobis amat ſponſus veſter qui e virgine eſt natus. Quid connubii fœcunditatem cogitatis? Caſtitatis fructus ipſe Deus eſt. Venite, accedite, reſpicite puellam, in qua nec virginitatem partus, nec fœcunditatem ſuſtulit virginitas: omnia autem etiam modeſtiam auxerunt. Tanto enim beneficio dignata, non ferocit, non ineptit, non ſe effert. Mater Domini, ancillam

ejus

ejus se fatetur quem mox erat paritura. Ideoque plena Deo quem conceperat, cœlestes ac diuinas voces parturit.in quibus nihil est sublimius humilitate. Sedet juxta virginem Ioseph, custos prius virginis,nunc etiam infantis. qui felicitatis suæ vix capax, totus adhuc stupet. Videt virginem,quemadmodum intactam, ita sibi desponsatam, peperisse: videt casam, nulla supellectile aut opibus instructam, Regis diu promissi aulam, cœli hospitium ac receptaculum nunc factum. Videt quicquid solus præstare Deus potest,quicquid sola fides potest credere. Nos vero videamus nunc & illos, qui ad hoc miraculum accurrunt. Inter eos primi omnium simplicitatis professores,non scientiarum candidati,erunt. *Et pastores in ea regione erant excubantes in agris, & excubias nocte super grege suo agentes.* Dormiunt reges, dormiunt principes, dormiunt sapientes hujus sæculi. Interim nascitur Christus. Plane sicut olim est venturus, cum non exspectabitur: cum vt fur de nocte aduenturus est. Eligunt autem Angeli pastores, candidum in primis genus hominum,nec vllius plane sapientiæ consultum. Siquidem vt lanæ quæ colorem nondum vllum imbiberunt, quemuis facile admittunt: sic vtplurimum diuinam statim sapientiam arripiunt, qui nullam prius didicerunt. Compendium salutis fides est: fidei obstaculum non raro sapientia est. Natum esse

esse in terris Deum, ipsi cœlo Aristoteles non crederet : motorem enim suum cœlo alligarat. Plato sine dubio risisset. qui quo plura Deo tribuebat, eo minus huc venturum esse, suspicari poterat. Stoici nonnulli, Deum ignem, alii calorem, alii aliud atque aliud definiebant. Benedicta sit diuina sapientia, quæ nostram in mysterio salutis penitus excluſit. Eliguntur ii, in quos nec scientiæ suspicio cadebat. qui nec disputare poterant, nec poterant non credere. Qui perpetuo in agro non in vrbe, cum pecudibus ac gregibus, non cum hominibus ac multo minus inter eruditos, vixerant. Quod animal vt solum ratione pollet, ita ad hanc solam normam omnia explorat. Et vt proximum est a Deo, ita sapientiam illius, quia raro sentit quam præ ista nihil sapiat, expendit. Vide autem, quantum vnico momento hæc proficiat simplicitas: quantum protinus mysterium addiscat. *Natus vobis hodie Seruator est, qui est Christus* IESVS, *in vrbe Dauid.* Primo natum esse discunt: tum & sibi. Quid igitur? *Venerunt festinantes, & inueniunt Mariam cum Ioseph, & infantem in præsepi positum.* Statim simpliciſſimi mortalium agnoscunt, Regem Israelis nihil majus quam pastorem esse: nihil minus, quam quod Iudæorum primi ac doctiſſimi credebant, *Regnum eius de hoc mundo esse.* Inueniunt pastorem illum bonum, qui pro grege suo positurus erat animam. Pastorem omnium:

omnium : pastorem, cujus orbis vnicum ouile est : pastorem illum, qui ab hœdis olim oues separabit. Veniunt ad ouem, sed immaculatam : veniunt ad agnum, sed qui sublaturus est peccata mundi. Veniunt ad agnum, sed qui simul leo ille maximus de tribu Iuda. Quem nunc illi in præsepi vident, mox Iohannes conspecturus est in throno. quem nec nunc relinquit, cum est in præsepi. Ecce quantum in negotio diuino valet ignorantia. Primi pecudum magistri paupertatem hanc diuinam esse intelligunt. Primi vocem Angelorum audiunt, primi Euangelium accipiunt, primi inter homines annunciant. Tanto Cæsare terrarum domino beatiores. qui cum pace terra pariter & mari parta, Ianum tertius clausisset, pacem inter homines & Deum factam esse, nescit. Quod pastoribus, dum inter greges suos sedent, cœlitus significatur. Qui cum Deum inter pecudes inueniant jacentem, ille Deum inter homines recenset, nec agnoscit tamen. Ite nunc innocentissimi mortales, qui nec fallere vnquam didicistis, & hoc die falli non potestis, quia Deo nuncianti creditis, ite, & ad comites reuersi, nouam mihi cannam temperate, qua non fœdos improbosque amores, vt plerique solent, sed immensam Dei erga homines beneuolentiam canatis, qua accensus nasci voluit ex homine. Ite nunc, Cumæum carmen, quod jam inter vos est in-

choatum, ſuauiter pertexite. Ecce rediit jam virgo, quam venturam eſſe virgines canebant. jam immenſus ſæculorum ordo ab integro naſcitur. Ite, paruam & ignotam Bethlehemum, patriam Dauidis veſtri, celebrate: qui & Rex & paſtor, ſæpe Regem illum & paſtorem cecinit, quem hodie vidiſtis. Ite & paſtoribus annunciate, generis humani natum hodie paſtorem eſſe, cujus pedum omni ſceptro eſt potentius; qui Reges terræ *virga ferrea confringet.* Hactenus paſtores: mox aduenium & Magi. Nunc & iſtos videamus: qui ſequuntur eos ordine, quos ſapientia præcedunt. Infans in præſepi poſitus, & in caſula concluſus, indices diuinitatis ſuæ nuncioſque in cœlo ipſa ſidera habebat. Magi, principes eruditorum, ſapientiæ antiſtites, qui non, ſicut alii, in libris, ſed in æthere defixos ſemper oculos habebant, qui pulcherrimis ſtellarum characteribus ac notis, omni parte eſt inſcriptus, (hæc ſunt Chaldæorum elementa, hoc Perſarum alphabetum eſt: hic quæ euentura vident, hinc quæ ſunt futura colligunt) in hoc libro natum eſſe Iudæorum Regem legunt; & infantis noſtri aſtrum jam in Oriente vident. Ergo pia admodum ſedulitate aduentant, & quem indicem natiuitatis ante habuerant, eundem ducem quoq; itineris nunc habent. Stella venientes Bethlehemum vſque comitatur, & opifici ac creatori ſuo hoc officium ſedulitatis exhibet. Illi

quem

quem in cœlo viderant, in casa vident, neque in casa tamen non adorant. *Et in domum cum veniſſent, puerum cum matre illius Maria inuenerunt, & procidentes adorauerunt.* Fruſtra cœli dominum quæſierant in cœlo : ecce nunc inueniunt in terra, inveniunt in ſtabulo, inveniũt jacentem, inter greges ac jumenta inueniunt. Imitamini exemplum, qui diuinam vobis vindicatis ſapientiam, & cum imperiti omnium nonnunquam literarũ ſitis, ubiq; tamen rationem quæritis & modum. Communis omnium noſtrorum iſte error eſt : Deum quærimus qua parte latet: qua cognoſci voluit, ſecure præterimus. & cum vniuerſum hoc ſalutis negotiũ in terra ſit peractum, nos in cœlum imus. Ideoque & cadimus plerunque, non aſcendimus. Incunabula naſcentis Domini, & præſepe, & pannos, & quæcunque in oculos ingeſſit nobis, quibus Deus nobis eſt conciliatus, prætermittimus : quæ nos coaleſcere non ſinunt, & ad odium inflammant, ea anxie inveſtigamus. Vos quoque eruditi huc accedite, & cum Magis, non è cœlo, ſed è cathedris, ad puerum deſcendite. Chriſtus non in Academia eſt natus, ſed in ſtabulo. Accedite, & adorate, & procidite, & inclinate corpus, & gratiſſimum nunc illi munus, ſupra aurum, thus, ac myrrham, IGNORANTIÆ CONFESSIONEM, hic offerte. Vos vero, hominum doctiſſimi, qui duce ſtella iter tantum ſuſcepi-

ſtis, ite, multo eruditiores jam quam ante, multo etiam beatiores. Patet vobis ecce cœlum, cujus ad hoc tempus in veſtibulo hæſiſtis. Ite, & Chaldæis veſtris (ſiue Perſæ eſtis) nunc annunciate, Dei conſilium, cœli arcanum, *pietatis myſterium, omnium confeſſione maximum. Deum nempe manifeſtum factum in carne, juſtificatum in ſpiritu, viſum ab Angelis, prædicatum in gentibus*, quarum vos primitiæ eſtis, *credendum in mundo*, paulo poſt *in gloria* longe ſupra omnes ſtellas *aſſumendum*. Ite, & nunciate, nihil majus eſſe in cœlo quam quod hodie inueniſtis in tugurio. Iam & ſapientes audiuiſtis, qui poſtremi ad hoc feſtum conuenerunt, quod ad omnes æque ſpectat. nemo hic excluditur, ex æquo omnes admittuntur. Venit humilis, venit pro humilibus, is quo nemo major eſt: venit & pro aliis, & ab aliis non minus celebratur. Vis majores homine, minores hoc qui naſcitur? Angeli naſcentem canunt. Visne maritatos? Zachariam & Eliſabetham habes. Vis cælibes? Habes Simeonem. Vis viduas? Annam habes. Vis Sacerdotes? Iterum habes Zachariam. Vis ſapientes? Habes Magos. Vis imperitos? Habes paſtores. In hoc autem omnes cæteri ſunt pares, quod infante ſunt minores, quod infantem celebrant ac laudant, coram eo ſe proſternunt, diem hunc nobiſcum pariter extollunt. Vis virginem? Maxima pars feſti, eſt puella mater,

quæ

quæ autorem ſuum & naturæ peperit: fœcunda virgo, virgo mater, mater caſta & intacta: opus ejus quem in vtero geſtauit. Quæ, quem edidit ex ventre, pariter nobiſcum adorauerat in cœlo. Filium Dauidis, ante tamen Dominum, filium hominis, ante tamen creatorem, filium Abrahæ, ante tamen promiſſorem ejus ſimul & promiſſum. Dies feliciſſima, qua homo, Deum parit hominem: Deus factus homo, nunquam factus Deus, nec creatus vnquam, ab æterno autem genitus, verſatur inter homines. Dies nuptiarum & affinitatis noſtræ, qua, per Filium conjungimur cum Patre. Dies vnionis nouæ. qua, qui Deus eſt æternus, manet id quod fuit: quod non fuit, noſtra cauſa fit & naſcitur. qua, qui ſine corpore antehac vbique erat, etiam per corpus præſens nobis factus eſt; vt quæ Deus habet per naturam, homines accipiant per gratiam. Dies magna, dies læta, dies fauſta, dies exoptata: finis legis, finis Prophetarum, Euangelii initium, imo ipſum Euangelium. Quod e cœlo primum proclamatur, mox deſcribitur in terra. Angeli præcedunt, mox Apoſtoli ſequentur. Vt autoritatem accipiat a cœlo, quod in terris fidem inuenire debuit. Sequamur & nos, pleni gaudio, hilaritate pleni, pleni recordatione dulci, pleni ejus recordatione, qui impleuit vterum puellæ. Quod ſi eruditi, vt nonnulli forte exiſtimant, non ſumus, nec Theologiam profite-

mur. cogitate quæso, Auditores, cogitate, inquam, quæso, quos & quantos ignorantiæ illius hodie collegas habeamus. Habemus Simeonem, sanctum illum senem, qui cum Scribæ omnes, omnes Pharisæi, nihil minus cogitent, diu venientem viderat infantem antequam veniret, postquam autem aduenisse videt, impos sui, &, vt violenta est senectus, quam præsertim spiritus accendit, voluptatis quodam ineffabili torrente abreptus, & aspectu Seruatoris sui ebrius, viribus defectus, ac viuendi satur, sedulo accurrit, puerumque toties promissum, tandem etiam exhibitum, senilibus inuoluit vlnis, vocemq; omni cygno dulciorem, morituru paulo post, cum lachrymis emittit. Habemus & Iosephum; virum candidissimum, domesticũ mysterii & spectatorem: habemus eum qui clamauit in deserto: habemus & fœminas, vt sanctas, ita nihil minus quam ex Academiarum legibus edoctas. Apostolos habemus: qui cum sapientiam diuinam discere cœperunt, omnem prorsus ignorarunt. Habemus magnum illum Petrum, qui ex confessione aliquot verborum, felix ac beatus est vocatus. Habemus ipsos Angelos: qui cum infinita scirent, nihil præter gloriam in cœlo, & in terra pacem nunciarunt. Nemo propter eruditionem sibi placeat: dies hic imperitorum, dies hic idiotarum est. Veniat neophytus cum cathechista, veniat & cathecume-

nus.

nus. Ipsa Dei sapientia, hoc die nasci pariter & balbutire voluit. Tangi voluit, videri voluit. quid ni vellet & intelligi? Postquam Deus, vt peritos legis falleret, inter imperitos nasci, & ab his agnosci voluit, nemo sibi propter imperitiam displiceat. Satis nobis debet esse docta ignorantia, quæ per fidem saluos facit. Nemo Theologorum vnquam altius ascendit.

PRECATIO EIVSDEM ARGVMENTI.

DOmine Deus, Pater cœlestis, quandoquidem tibi placuit hoc die opus operari, quod nec Angeli sine reuerentia, nec infernæ potestates sine horrore recordari possunt, vt dilectus filius tuus, Deus cum Deo, Deus apud Deum, Deus ante tempus, Deus extra omnem locum, vnus ex vno, verus ex vero, æternus ex æterno, expressa majestatis & sublimitatis tuæ imago, carnem hanc indueret, & cum solus sine peccato esset, peccatoribus esse similis vellet, oramus, bone Deus, fac vt hæc intelligamus, qui ne hoc quidem sine te possumus. Fac vt vanas omnes cogitationes penitus e corde eradicemus. vt in solam illam incumbamus. Vt quæramus cum pastoribus eum & inueniamus. Duc hos miseros errones, sicut Magos olim, qui ex vltimo venerunt Oriente, deduxisti. Accende stellam iterum quæ nobis præeat; non breuem illam & mox perituram, sed diuini verbi tui fixam illam, non errantem, sine qua vbique caligamus, neque peruenire ad te aut puerum hunc possumus. Purum illud iterum in nobis gaudium

accende, quod in Sanctis tuis olim accendisti: vt cum lachrymis infanti occurramus, eum amplectamur ac exosculemur, neq; corporis cum Simeone, sed arctissimis animi mentisque a te excitatæ vinculis amplexibusq; inuoluamus. Nihil cogitemus, agamus, meditemur, quo non gratiam pro tam immensoo beneficio ac ineffabili agamus. Et quandoquidem peccato mortui jampridem sumus, neque quatriduo cum ægro illo, sed ab ipso vitæ initio in morte detinemur, fac vt eo die nasci iterum incipiamus, quo Seruator noster natus est. Fac vt a compedibus Diaboli ac seruitute vindicari ab hoc tempore ac momento, quo Sionem liberasti, iterum incipiamus. Fac, vt animo erecto ac sublimi, tenebrarum potestates posthac contemnamus: cum tu sceptrum illud iterum in Iuda erexeris, quod non auferetur in æternum. Sed ante omnia, vt vere coram te & majestate tua vere Regia, humiliemur. Vt quemadmodum Regum ille maximus, qui supra Solem ac Lunam thronum suum posuit, ac in æternum habet, non in terram tantum, sed cum ibi locum dignum se non inveniret, ad præsepe vsque se demisit: ita nos contriti corde ac fracti, arrogantiam & fastum omnem deponamus. Donec tecum & cum eo in æternum viuamus, qui vt natus nostra causa ita mortuus, nunc viuit in æternum. Amen.

HOMI-

HOMILIA XXV.

In cruentum Christi sacrificium, siue Domini Passionem. Habita XI *Martii in auditorio Theologico.*

CElebramus diem, Auditores, cui simi-lem ab orbe condito ac homine creato, nulla ætas vidit, nulla iterum videbit. Quo æternus Dei Filius, æternus ipse, cum humanum corpus assumsisset, vt naturam nostram per originis reatum vsque ad inferos depressam, ad cœlestem gloriam traduceret, ab iis ad quos venerat, ab iis quorum causa venerat, ab iis ad quos oratores suos & legatos, qui aduentum hunc denunciarent, statim post peccatum & corruptionem nostram, miserat, mouente terra, caligante cœlo, morte execrabili sublatus est. Cujus argumenti grauitas, pondus, ac majestas, facile a nobis obtinebit, vt quæcunque initio orationum, vt attenti aut benigni auditorum fiant animi, a Rhetoribus, qui nihil præter elegantiam verborum & orationis flumen in dicendo spectant, præmittuntur, sola Iesu Christi cruce ac doloribus contenti, quorum recordatio non tam facundiam dicentis, quam suspiria ac lachrymas abjectæ perculsæque mentis flagitat, prætermittamus. Ac mihi quidem omnia quæ gesta sunt a Seruatore nostro, ex quo primum carnem nostram induit in vtero, quam obtulit in sacrificio, cum cura intuenti, tota

ejus vita, nihil aliud quam passio videtur. Vix enim natus, sanguinem in circumcisione effudit, vix circumcisus, protinus ad cædem designatus est, vix doctrinam suam publice professus, concitator populi, impius, blasphemus, furiosus, denique Diabolus, ab iis quorum Deus semper fuerat peculiariter, vocatus est. Vbique miseriam, calamitatem, probra, contumelias, dolores, paupertatem, lassitudinem, mœrorem, famem, sitim video: vt in cruce tantum perfeciſſe videatur, quæ per vniuersam vitam fuerat perpessus. Cæterum, cum in hoc tempus, quo jam ante tot ætates ac sæcula prædictam, & ab omnibus prophetis decantatam victimã, ac vere sacram, Deo Patri Deus Filius offerret, tota infernalis vis Diaboli, omnes inferorum potestates, omnes pœnæ, tam quæ in præsenti vita tolerari, quam quæ in futura expectari possunt, quas contraxit hic justitia diuina, quod ad tempus, potius quam mitigauit, simul incubuerint, nullum veræ tolerantiæ, patientiæ, constantiæ, exemplar absolutum vsquam reperiri, non in picta Stoicorum porticu, non in Academia vel veteri vel noua, non in delicatis disputationibus Lycei, sed in accusatione Filii & morte, immortalis Dei sapientia voluit. Vt hanc solam mortem semper prædicarent Christiani, per quam acceperunt vitam quæ excludit mortem. In qua singula vt suo ordine tractemus,

ipsam

ipsam prius seriem, quemadmodum a sanctis viris, quos diuinus Spiritus afflauit, nobis est relicta, obiter videbimus. Vt ex certa rerum fide ipsa admiratio procedat. Postquam ergo preces illas, quas pro hominum salute ardentissimas concepérat Seruator, eodem animi affectu effudisset, illas dico, quibus Ecclesiam jam moriturus, charum illud pignus, cujus causa omnia non tantum sponte sed & fortiter ferebat, commendauerat; trans torrentem, cui ab umbrosa valle nomen erat, mœsto ac afflicto animi, sub arborum vmbraculis, quemadmodum vt plurimum obscura loca mœror amat, cum discipulis obambulanti, cum armata ministrorum ac satellitum cohorte, proditor occurrit. Olim autem, ne quid geri videretur temere, prædictum fuerat: Simul ac percutietur pastor, dispergentur oues. Ergo ingruẽte tempestate, protinus propinqui fugiũt, discipuli recedunt. Discipulorũ, cum quibus cœleste illud celebrarat epulum, in quo veram sui corporis ambrosiam gustandam omnibus tradiderat, verum illud sui sanguinis nectar omnibus propinauerat, alii fugiunt, alii renunciant. Amicus & contubernalis dum salutat innocentem, pro nocenti tradit: sed quem ante (o immane scelus!) nummis aliquot vendiderat. Constringuntur manus, constringuntur brachia. Vinctus ac constrictus protinus abducitur. Iuuenis charissimus,

rissimus, qui sanctissimum cœlestis Domini ac præceptoris sinum paulo ante pressérat, quem præ reliquis amabat, qui ex institutione ejus ineffabiles diuinæ sapientiæ thesauros hauserat, qui ex sacro illo ore, Verbum in principio fuisse, & hoc Verbum carnem assumsisse, audierat didiceratque, mœstus ac dejectus procul sequitur. Sequitur & Petrus, heros ille maximus, diuini amoris officina quædam, imo focus: sequitur, sed eminus: sequitur, sed maximo cum metu. Reliqui, ne adsũt quidem. Quibus vero vel salutem restituerat jam ante, vel afflictam ac debilitatam partem corporis curarat, quorum infinitus erat numerus in vrbe, Seruatorem medicumque nec respiciunt, nec comitantur saltem. Omnes Dominum mitissimum aut fugiunt aut deserunt. Ab Anna igitur ad Caipham, ab hoc ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode rursus ad Pilatum, venturus olim mortuorum judex ac viuorum, ducitur. Oppugnatur innocentia, illuditur simplicitas, mendaciis ac fraudibus opprimitur ac condemnatur veritas. Serui ac calones, rerum domino insultant. Scurræ, milites Romani, & fex mera nebulonum, vultum illi more puerorum velant ac percutiunt: ac ne modus sit ludibriorum, petunt, vt diuinet, a quo fuerit percussus. Summi pontificis minister, summum humani generis prophetam ac pontificem, sine causa nocens innocentem cædit,

cædit, Phariſæi ac doctores legis, vnicum legiſlatorem crudeliſſime accuſant. Herodes cum militibus & aulæ muſcis, ad ſe venientem, neque reſpondentem quicquam, ridet ac contemnit, & ne quicquam contumeliæ ſceleſtæ aut impietati deſit, veſtem illi per ludibrium commutat. Milites, gens barbara, immanis & ad cædem facta, colaphos in faciem impingunt. Iidem oris excrementa in cœleſtem illum vultum fœde exonerant ac vomunt. Iidem caput illud, in quo vniuerſa ſapientia ac ratio continebatur, ſpinis lacerant ac frangunt. Nulla corporis pars aut dolore aut opprobrio immunis vacat. Caput ſpinis, calamo, & pugnis, vultus ſputo, malæ alapis, os aceto, aures mille contumeliis læduntur. Ipſe quid? Tacet & obdurat. Sed & quoquo ablegatur, nihil judici reſpondet. Cauſam forte quæres hic, profane, qui poſt mortem quoque Dominum accuſas, & jam ſemel paſſum, cruci iterum affigis, cauſam, inquam, forte quæres, quare nihil vel reſpondeat, vel dicat? Cui vero reſpondiſſet? Iudicibus nimirum. Quibus vero tandem? An Pilato? At ignarus cauſæ venerat. An Iudæis? At actores erant. Et quid reſpondiſſet? Dei filium ſe faſſus eſſet. Hoc jam erat quod intentabatur. Eſſe ſe negaſſet. Veritas mentiri neſcit, & hoc ſæpe jam docuerat. Nam de perduellionis crimine, quod cruce vindicant Romani, quid aut quomodo?

modo? Credo, regnum ſuum eſſe æternum. quod cum Cæſare diuiſum in hoc orbe ac diuerſum penitus habebat. Veniſſe, vt Eccleſiam colligeret, vt populum doceret, vt humanum genus perditum ac conclamatum, partim voce, partim ſignis ac miraculis ſeruaret, vt palantes Iſraëlis oues iterum colligeret. Hoc Quitites, ſcilicet, curabant: hoc legatus Syriæ, hoc milites Romani aſſecuti eſſent, quod Iudæi aſſequi non poterant. Nam de templo quod impingebatur, falſum eſſe ratio docebat: quippe aut non recte intellecta voce, aut in ſenſum alienum perperam detorta. Cæterum Romanus, cum, exulcerato populi furore, fruſtra niteretur, vt ſpectaculi crudelitate animi commouerentur, nudum ac manantem ſanguine in medium adduci jubet, &, *Ecce vobis homo*, inquit. Hic attolle oculos, o anima, attolle, inquam, oculos ac vultum, & in Dominum ac Deum tuum intuere. Ejus faciem conſidera ac vide. Relinque paulum omnes vanitates tuas, quibus toto vitæ tempore adhæſiſti. &, ſi potes, vel momentum, omnes cogitationes tuas collige, & in Seruatorem tuum hodie transfunde. Ecce homo, ecce vir doloris. *Ecce ſpecioſus præ filiis hominum, rubicundus, electus ex millibus, cujus comæ ſicut germina palmarum, nigræ quaſi coruus, cujus oculi ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ ſunt lacte lotæ, cujus labia lilia diſtillantia myrrham primam*: ecce nihil

nunc

nunc præter ſanguinem pluit. Coma ſanguine concreta eſt, caput ſpinis perforatum, ſanguinem ejaculatur, nares colaphis contritæ, nigerrimo cruore vultum aſperſerunt. Et quod omnia hæc vincit, vinctus conſtrictuſque, non habet quo ſanguinem, non habet quo manantem toto corpore cruorem abſtergat. *Ecce homo.* Hæc eſt illa facies, quam cœli non ſuſtinent, inferi non ferunt. Hic eſt qui nunc obmuteſcit, cujus vox in nubibus auditur, cujus tonitru horribili fragore mentes hominum percellit. *Ecce homo.* Ecce, inquam, homo. Ecce rerum Dominus ſtat pauper, ſtat egenus inter omnia quæ poſſidet: vinctus ſtat qui omnes liberat ac ſoluit: vulneratus ſtat qui omnibus medetur. *Ecce homo.* homo, inquam, tua cauſa, o homo. Stat coram judice, ſtat coram nobis omnibus, ſtat pro nobis omnibus. Stat exutus veſte, ſtat exſpoliatus, ne quod vulnus toto corpore latere ſpectatorem poſſit. Quæ vel ſingula mouere mentes Iudæorum poterant, niſi Deo aliter fuiſſet viſum. Itaque efferati magis ac dementes, quem videbant prope ad necem virgis cæſum, tolli poſtulant in crucem. Quam (o ſcelus immaniſſimum!) defatigatus, ac jam mille plagis prope exanimatus, baiulare cogitur. Adduntur validi lictores, qui, ex more Romanorum, flagris incedentem tardius caſtigant, loris jam debilitatum, viribus ac ſanguine exhauſtum, crude-

crudeliſſime impellunt, lacerant, ac ceſpitantem aut deficientem pedibus conculcant. In hoc vltimo momento conſtitutus, dum ſub onere curuatur ac inflectitur, dum ſpiritum vix ducit, neque minus tamen plagis ac verberibus impellitur, dum pulmone propter crebram & frequentem anhelationem penitus obſtructo, altius ſuſpirium ac animam deducit, dum non minus a labore ſanguis excitatur e vibicibus quam ſudor profluit e vultu, triſtes illos oculos conuertit ad nos omnes, & ne ſuo merito eorum quicquam pertuliſſe a nobis judicetur, (qui plerumque immemores nec grati ſatis, quia omnia hæc eueniſſe noſtra cauſa non ſat cogitamus, neque eum penitus abſoluimus, & cum Iudæis condemnamus) ita vnumquemque noſtrum monet ac compellat: *Populemi, quid feci tibi? aut quid moleſtus fui tibi, reſponde mihi.* Ad imaginem diuinitatis meæ te creaueram, cum primum te e puluere formarem. Ingratus, inobediens, ſuperbus, arrogans, ambitioſus, dum vis mei eſſe ſimilis, Diabolo ſimillimus es factus, a quo es ſeductus. Abjeciſti diuinitatis meæ imaginem: ego humanitatis tuæ iterum aſſumpſi. Ante damnatus quam genitus, mox conceptus nihil aliud quam ſpuma vilis, quæ ex ſanguine impuro mox coagulatur & in carnem tandem creſcit ac formatur, quæ ſi probe educata & cum maximo labore ſaginata fuerit, in terra

ver-

vermium ſagina tandem fit & pabulũ ſub terra. Talis tu cum eſſes, cœli Domino ac terræ, in conſpectu cujus aſtra ſunt immunda, perſuaſiſti, vt quod maxime abjectum in te eſſet, tua cauſa, amore tui victus ac miſericordia, aſſumeret. Aduentum meum Patres olim ſuſpirauerant, Moſes balbutierat, Dauid cecinerat, Salomon deſcripſerat, Eſaias vno hoc ſolatio languentem mei deſiderio populum ſuſtinuerat. Veni tandem & hoſpitium quæſiui. Locum non inueni: neque cuiquam ſuum præripui. Inter armenta ac pecudes infelix infans, cum hoſpitium in terra, terræ Domino ac cœli, nullum ſupereſſet, tanquam peregrinus ignotuſque, abjectus ſum. Speraueram futurum, vt quem propter majeſtatem intelligere non poteratis, eum, cum ad vos veniret, viueret vobiſcum, inter vos habitaret, ſuauiſſime ac humaniſſime inter vos ageret, nemini grauis eſſet, omnibus vtilis, morbos pelleret, Diabolos ejiceret, animæ ſalutem aberrantibus comiter monſtraret, ſaltem amaretis. Si quem cæcum vidi, ei oculos aperui: ſi quem claudum, ei pedes reſtitui, ſi quem mutum, vocem ei reddidi. Si quem fame oppreſſum aut eſurientem vidi, eum paui. vbi panis non ſufficeret, ſemper miraculum ſufficiebat. Si quæ mater vidua ac orba, vnicum lugebat filium, ſi quæ ſoror fratrem; vitam reddidi vtrique. Si quæ muliercula peccatrix, ac vitæ ſordibus

dibus infecta aquæ hauriendæ gratia, ad puteum accederet, meliorem illi dedi quam quærebat. Peccatores non abhorrui, publicanos etiam acceſſi. Cum omnibus familiariter verſatus ſum. *Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda, judicate inter me & vineam meam. Quid eſt quod vltra facere debui vineæ meæ, & non feci ei?* Cur cum expectarem vt produceret vuas, produxit, ecce, ſpinas, quibus caput meum frangeret? pro vino, quod a me acceperat, acetum protulit, quod morienti propinaret: pro cœleſti pane, quo eſurientes in deſerto paui, myrrham ac fel merum dedit, quod languenti Domino ac ſitienti funderet? *Væ mihi, mater mea, quare genuiſti me virum rixæ? Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam in vniuerſa terra: omnes maledicunt mihi. Concluſit me Deus apud iniquum, & impiorum manibus me tradidit. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.* Hæc & his ſimilia, aut audiuerant Iudæi, aut vbique legerant: totam vitam ejus, quæ pleniſſima defenſio illius erat, viderant ac obſeruarant. In ſynagoga, in templo, in montibus docuerat, docuerat in triuiis: nihil celauerat, nihil vel diſſimulauerat,

uerat vel clam habuerat. Sed videlicet jam tempus erat, vt, quod ante jacta mundi fundamenta Deo visum fuerat, vnius victimæ oblatione omnia humani generis delicta piarentur. Quam ex omni parte puram, integram, illæsam, neque vlla labe corporis aut animæ pollutam esse, antequam in aram tolleretur, (quod & olim in victimis requirebatur) omnes ejus pariter ac Dei hostes, confiteri oportebat. Neque hoc tantum, sed honorem illi prius debitum deferre. Nihil enim frustra, nihil nisi dirigente eo fit, qui sponte ac volens, a volentibus, & tamen cæcis rabidisque, opprimitur: qui, quod sine horrore & diuinæ admiratione prouidentiæ, ne cogitare quidem possumus, vinctus & in potestate aliorum positus ac datus, adhuc quicquid patitur disponit. Quicquid enim illi tribuit Ecclesia ac sui, prius illi tribuunt per jocum qui illudunt. Ridet miles Dominum: sed ita vt adoret. *vt in ejus nomine flectatur omne genu.* Regem esse negat: interim coronat. Sed & Regi calamus pro sceptro datur: & ne quicquam desit, pro abjecta veste, purpura inducitur. Denique, quem valide contemnunt impii, Prophetam tamen esse, dum hoc nomine salutant, etiam fatentur. Habes Deum, Regem, & Prophetam. Vnde hæc scientia Romanis? Cœlo sic volente. cujus totum hoc negotium arbitrio disponitur. Eodem plane modo, quo & inno-

centia damnati vindicatur. Iudas innocentem osculo tradiderat, quem paulo post absoluit. Internus enim tortor, quem scelestus nemo superat aut flectit, tanta vi vrebat animum ac cruciabat, vt obscenam mortem mallet cum dolore, quam cum lucro vitam omni morte grauiorem. Pontius indignum esse pœna, sæpe fuerat testatus: qui, ne hoc lateret, manus toto populo spectante abluit non semel. Idem, populi fuisse seductorem, magno animo inficiatur. Herodes cujus taciturnitati illudere non timet, ejus tamen condemnare innocentiam non audet. &, quod sine dubio diuina dispensatione factum est, veste candida indutum, quæ integritatis nota esse solet, a se iterum dimittit. Ioseph us ex Arimathæa oriundus, præclarissimus Senator, ne quid præter animi sententiam statueret, senatu toto illo die abstinēdum sibi putat. Iudæi falsos testes dum adornant & hoc publice appare, nullius esse sceleris compertum coram judice testantur quem non aliter accusant. Iidem quem seditiosum esse clamant, Regem suum esse in eadem cruce legunt, in qua tanquam noxium condemnant. Summus sacerdotum Caiphas, rei spiritu correptus, ejus fit propheta quem persequitur. vt ingenti ore, simul & absoluat eum quem accusat, & arcanum cœli ac salutis prædicet mysterium: Expedire, vt pro cunctis vnus moriatur. Solus Diabolus supererat: qui

cum

cum vnum hoc ageret, vt Dei Filium opprimeret, ita tamen etiam hoc tempore in poteſtate ejus erat, vt quod multi ex antiquis credidérunt olim, inuitus ac coactus, innocentem eum eſſe qui accuſabatur, per vxorem judici denunciaret. Ab iis ergo abſolutus, à quibus nihilominus damnatur, trophæum magnus imperator veritatis, non ſupplicium flagitii, aſcendit. Stabat Deus Pater, maximus agonotheta, cum familia cœleſti, vt laborem Filii ſpectaret, cui omnes inferorum pœnas & humani generis reatum impoſuerat. Stabat Deus Sebaoth, tanquam ignis deuorans, tanquam torrens inundans, tanquam leo rugiens, tanquam impetus grandinis, tanquam turbo confringens, qualis ſæpenumero iratus a Prophetis deſcribitur: &, quod ipſas inferorum pœnas aut excedit aut adæquat, iram ſuam quam aduerſus omnes homines conceperat, vni imputabat. Hac oppreſſus mole, præ qua omnes tyrannorum cruciatus ac dolores, præ qua omnes pœnæ martyrum, vel ſomnii vel umbræ inſtar, ad certamen trahitur. In quo hoſtis generis humani, primus ille ſerpens, debellandus erat. qui, ut hominem e Paradiſo deturbarat, ita æternis addictum pœnis ac ſuppliciis, in neruo ac vinculis concluſerat. Debellanda mors erat, quæ in omnem jam carnem regnum obtinebat. Cum his congreſſurus maximus athleta, extra vrbem, tan-

quam publicum bidental, ne contagione sua quemquam scilicet polluëret, ad infamem scelestorum pœnis locum non deducitur sed trahitur, quem a mortuorum craniis, quæ passim sparsa ibi essent, accolæ indigitabant: vt in castris scilicet & in arena sua mortem expugnaret. Quod si ex Hebræis sequimur nonnullos, idem prorsus fuit locus, in quo Adam olim fuerat sepultus: vt vis mortis, ipsis hoc Iudæis nos docentibus, in eo frangeretur loco, vbi primum cœperat grassari. Ita in conspectu hominum ac Angelorum, inter cœlum terramque, cruci mancipatur: ne res tanta clam perageretur. In extrema hac necessitate, in angore mortis, in dolore inferorum, ab irato prope Deo destitutus ac contritus, nondum hominem amare desinit. Latronem enim seruat: pro interfectoribus precatur. Ita Deo immortali sanctam illam & amore nostri vsque ad extremum vitæ halitum flagrantem sauciamq; animam committit. Quid de vobis autem, ô Iudæi, dicam, quorum barbaro furore simul & fatali cæcitate, facinus peractum est? Quæ vox quæ eloquentia sufficiet, quæ lingua describendo huic sceleri par vnquam fuit? Occidistis, occidistis, vitæ fontem, Dei primogenitum, creatorem orbis, Regem Israëlis; sustulistis agnum illum innocentem, in quo dolus non erat: principem pacis, fecialem gratiæ, diuinæ charitatis oratorem ac lega-

legatum sustuliſtis. *O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte? Flebo fletu Iahzer, inebriabo te lachryma mea Heſebon & Eleale. Iuſtus periit, & non eſt qui cogitet in corde ſuo:* cœli Dominus obiit, & non eſt qui hoc ſpectare ad ſe exiſtimet. Natio exſecranda, populus abominandus, ſine conſilio, ſine prudentia, ſine mente, Dei qui genuit te, oblitus es, oblitus es, inquam, Dei, qui te generauit. Parentem ac creatorem occidiſti. *qui te ex Ægypto eduxit, per deſertum & imaginem mortis: per terram, in qua vir non ambulauit, neque habitauit homo*, qui te pane Angelorum pauit, panem, inquam, Angelorum tibi in deſerto dedit. *qui te circumduxit, qui inſtruxit te in vaſtitate terræ, qui te cuſtodiuit tanquam oculi pupillam. Sicut aquila quæ nidum ſuum excitat, ſuper pullis ſuis cubat, expandit alas ſuas, ita te aſſumpſit & portauit. Solus Iehoua te deduxit, & non fuit tecum Deus alienus. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer. Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis, ne lætentur forte filiæ Philiſtiim, ne exſultent filiæ incircumciſorum.* Faciem quam in Horebo non viderunt, cujus majeſtatem ferre Angeli non poſſunt, ſicut olim igne, ita nunc veſtitam carne, conſpuerunt: ſanctum Iſraëlis fuſtibus ac pugnis ceciderunt. Suſtulerunt Deum exercituum, qui viuit in æternum: nomen illi eſt Iehova. Quod quidem

nomen, cum ex ore & confessione vestra, solum inter ea quæ attribuuntur Deo, ejus exprimat essentiam, idque Prophetæ tamen vestri, illi quem in crucem sustulistis, tribuant non semel atque assignent, quid est, ô dementes, ô fanatici, quod opponatis? Cujus literas ac syllabas, inepti, præ horrore superstitioso non effertis, ejus filium, o miseri, imo ipsum, cui conuenit hoc nomen sustulistis; ejus sanguinem, cum corpus vestra causa assumpsisset, canes furiosi, effudistis. Ecce autem scelus vestrum: Cœlum horret & in nubem cogitur, terra trepidat & frangitur, petræ durissimæ scinduntur & dissiliunt: cuncta elementa sentiunt flagitium & clamant. Totus orbis damnat factum vestrum, & absoluit eum quem damnastis. Solem quoque e cœlo expulistis: qui ne mortem Domini ac creatoris sui pariter ac vestri, videat, caligine horrenda, orbem, & cum eo vos inuoluit. vt qui hactenus per vniuersum lucis suæ vim ac radios diffundit, tanquam exul ac proscriptus hoc facinore tam fœdo, nihil vobis præter tenebras relinquat. Quid in cœlum oculos attollitis? quid hæretis? quid miramini? quid trepidatis? quid ignari inter conscientiam delicti & inusitatæ noctis spectaculum versamini? Nullus hic naturæ est defectus, nullus lunæ est occursus, nulla radiorum est auersio. Nullum hic draconis caput, nulla causa est quam prætexatis, nisi

nisi ejus qui hac morte profligatur, cujus vos mancipia ac administri, mulieris semen & promissionem vestram, quantum quidem est in vobis, sustuliſtis. *In ipso vita erat, & hæc vita erat lux mortalium.* Noctem quam videtis, non est temporis sed injustitiæ. Dies tenebrarum & caliginis. Dies turbinis ac nubis, quem Prophetæ olim prædixerunt: dies exsecrabilis, abominandus, dies sanguinis est quem videtis. Hoc est quod legistis olim, *catarractæ de excelsis sunt apertæ, concutiẽtur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, commotione commouebitur terra: agitatione agitabitur terra, sicut ebrius.* Et hoc quia sustuliſtis eum, *qui dat Solem in diei lumen, Lunam & stellarum ordinem in lucem noctis. Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo.* Terra creatorem, petræ Deum, templum, sacerdotem proprium agnoscit: qui post antiquatas leges & exauctoratas superstitiones, cultum jam in spiritu ac corde, templum jam constituit in mente. Simul autem veli fractio ostendit, omnibus jam sacris adueniſſe finem, postquam vna victima litatum esset, quæ & aboleret omnes, & in qua cõtinerentur reliquæ. Holocaustum enim absolutum erat: nam propitiandi causa hic offerebatur. Holocaustum penitus perfectum erat: nam diuino charitatis ac amoris igne tota victima absumebatur. Holocaustum, in quo nihil penitus desiderares: cujus odor Deo

erat acceptissimus. Libamentum erat absolutum: mundissima farina, nullo peccatorum aut iniquitatis inquinata fermento, cujus pars in ara crucis Domino offertur, pars edenda nobis sacerdotibus relinquitur: qui spirituali isto cibo in æternitatem vitæ saginamur. Erat & Pacifica perfecta, quæ pro pace Deo destinatur: nobis autem animi tranquillitatem attulit & pacem. Porro nulla vsquam tanta reperiri potuit sub lege, quæ pro toto genere humano Dei iram expiaret. Ideoque aut in æternum hominem torqueri ac mori, aut pro eo semel mori ac torqueri Dei filium oportuit. Quid salutis nostræ sacramentum rides impie? quid illudis? quid in cœlum cornua sustollis? quid miraris pati eum posse, quem ab omni passione Deitas sejungit? Audi quid Ecclesia respondeat: Pati Deus dicitur per vnionem, qui non potest pati per naturam. Hic cum Deitas in patiente esset, longe tamen aberat a passione. Audi iterum profane. Is qui moritur in cruce & qui viuit in æternum, is qui patitur in terra & non patitur in cœlo, cujus corpus patitur nec tamen patitur cum corpore, is qui vincitur a morte & qui mortem vincit, licet non vnius sit naturæ, vnus tamen est redemptor, vnus tamen est seruator, vnus tamen est personâ. Sicut anima & corpus sunt diversa, vnus tamen homo est vtrumque. Imperator ergo noster moritur, & mortui resurgunt: imperator

tor animam expirat, & qui expirarunt, eo ſic volente redeunt in lucem. Corpus enim moritur & redit : Verbum quod in corpore, operatur nihilominus & vincit. Hoc caligine obducit cœlum, hoc abyſſos terræ concutit, hoc centurioni, imo populo inuito, vocem illam exprimit, Dei eſſe filium qui moritur. Caro eſt quæ trepidat, quæ horret, quæ ad mortem vſque, ſola ejus recordatione, contriſtatur : Verbum eſt quod ſponte ac vltro, maximum humanæ ſalutis exſequitur negotium. Corpus cum latronibus torquetur, nec a Deo adhuc Verbum ſeparatur. Verbum quippe ejuſdem eſt adhuc ſubſtantiæ cum Deo, quamuis caro figitur in ligno. Corpus denique eſt victima ac ſacrum, Verbum eſt ſacerdos. Qui decretam ab æterno liberationi noſtræ victimam, æterno Patri mactat & commendat. Audi iterum profane : Qui ex ventre naſcitur in terris, idem eſt cum eo qui non incipit: ſicut qui in crucem tollitur ac dolet, idem eſt cum eo qui non patitur: vtrumq; enim non vnius eſt naturæ, ſed vnius tamen in quo vtraque eſt vnita. Audis vocem illam infelicem, quam ſupremam, tanquam e dolorum ac calamitatum lacu, Dei filius emittit, DEVS MEVS, DEVS MEVS, QVARE ME DESERVISTI? Quid hic cauillaris? Carnis vocem audis, quæ non Dei ab humanitate ſeparationem, ſed humanitatis denotat calamitatem

tem. Non enim deseri ab eo poterat aut linqui, a quo nullo modo poterat sejungi. Audi iterum, qui Dominum oppugnas, & qui parum putas semel obiisse, qui humanitatem ejus rides, & priuatus omni sensu, maximam sublimitatem nondum expendisti. Quis Romanus vnquam Cæsar vocem edidit in curia, qualem imperator noster edit in supplicio? Clauis vndique transfixus & affixus ligno, cruciario pendenti, Hodie in Paradiso, inquit, eris mecum. Homo sceleratus subito conuertitur, conuersus peccatorum accipit remissionem. & qui latro venerat in crucem, Domino jubente martyr moritur non homicida. Iterum hoc dicam: Is quem obiisse confitemur, ne in morte quidem minor est quam fuerat in cœlo. Loquar etiam audacius, si lubet: Deus cæditur, illuditur, conspuitur, patitur, moritur: nihil tamen horum patitur diuinitas. quæ humanitati firmiter adhæret, non ne nihil sentiat humanitas, sed vt cum diuinitate pariter triumphet. O beatum diem, quo hæc caro, fœda illa & infelix, inquam, caro, cum natura primum jungi cœpit, quæ nec mori potest neque quicquam potest pati. Vt diuinitatis vnione seruaretur, quod humanitatis vinculo conjungitur. Sed feliciorem longe illum, quo cum deitate sic conjuncta caro nostra, cui pro peccatis in æternum erat moriendum, ita passa est ac mortua in alio pro

nobis

nobis, vt qui nec dolorem sensimus nec mortem, tamen restituti simus pariter in vitam. Sicut enim Deus nostram induit in vtero naturam, ita mortem nostram obiit in ligno. Quicquid enim passus est vt homo, passus est pro homine. A quo jam non magis potest separari, quam ab altera natura, cum qua hanc conjunxit vt seruaret. O clementiam ingentem! o clementiam immensam! o benignitatem nullis verbis, nulla hominis oratione exprimendam! Dominus qui benedictus est in sæcula, qui sæcula creauit, primo factus homo, tandem factus exsecratio pro homine. O beatum diem, quo draconis caput frangitur, Leuiathan conteritur, Behimoth, immensum animal ac potens, perit penitus ac profligatur, peccator tollitur in cœlum, cœlum vero clausum hactenus ac obseratum, passione Seruatoris aperitur! Hactenus ingressum Paradisi Cherub cum ense flammeo obsedit: nunc extinctus ignis, gladius sublatus est, postquam igne charitatis cœli limen Dei filius exussit. quod vt cuiuis homini patere quiuis credat, patet primo omnium latroni. Soli sanctitatem sibi vindicabant tum Iudæi, hi rejiciuntur. Qui formarat sibi hominem, nunc format sibi populũ. Pharisęos damnat in Ecclesia, latrones seruat in supplicio. Synagogam vt superbam præterit: Ecclesiam in cruce sibi fundat, imo inchoat ex improbis quos moriens regenerat,

Eccle-

Ecclesiam. Quid Diabolo fuisse animi putamus, cum videret morbos sibi eripi, cum damnatos jam in ipsa morte, a damnato absolui: cum videret, tantam esse potestatem IESV morientis, quanta nulla vnquam fuerat cujusquam imperantis. Cum videret, non e saxis, sed jam e patibulo, ac ipso prope inferno, Abrahami excitari filios, qui per solam fidem recta tenderent in Paradisum. cum videret, Dei Filium, post contumelias, post colaphos, post vincula, in morte denique, adhuc ædificare Ecclesiam. Adhuc, inquam, promouere hæreditatem illam suam, illud patrimoninm, quod ante conditum hunc orbem, ad æternam vitam & felicitatem nunquam perituram, ex humano genere, imo ipsis infidelibus, selegerat. Hæreditatem, quam potentia diuinitatis suæ sicut olim fecit & creauit, ita vi humilitatis suæ, ita precio cruoris sui, ab infernis potestatibus & morte vindicauit sibi ac redemit. Quam Prophetæ conuocaverant, compegerant Apostoli, Euãgelistæ, gratiæ præcones ac misericordiæ, a terrore legis & immenso ceremoniarum jugo, in antiquam libertatem iterum restituerunt. Populum, per vniuersum terræ orbem, sparsum ac diffusum, & qui tamen spiritu conjungitur: qui vt nihil in hoc mundo possidet, ita longe supra mundum animo assurgit: qui in morte Seruatoris sui gloriatur, neque quicquam præter Christum suum, & hunc cruci affi-

affixum profitetur: populum inuictum ac inexpugnabilem, qui per ignominiam & paupertatem, per contemtum mundi ac ludibria, & propagatur & accreſcit: qui ingenti animo & ſpiritu inuicto ducem ſuum fortiter ſecutus, non armatus Stoicorum pertinacia ac faſtu, nec perſuaſione credula deceptus, ſed illius ſacramento auctoratus, cujus ſanguine nutritur, cujus carne in hac vita ſpirituque paſcitur ac ſuſtentatur, ſupra reges omnes ac tyrannos, ſupra metus omnes ac terrores, longe aſſurgens, vnum hoc laborat, vt cum ſuo capite jungatur, ſicut caput ipſum jungitur cum Deo. Cujus partes, cujus membra ſinguli cum ſimus, ejuſdem ſubſtantiæ cum redemptore noſtro, ſicut ipſe ejuſdem eſt cum Deo, qui per mortem ejus viuimus, per vitam ab hac morte reuiuiſcimus, quamuis in hoc mundo, a mundo tamen ſeparati, quamuis in hac carne, ab ejus tamen liberati imperio ac poteſtate; ſequimur te triumphator, te redemptor, te ſeruator, bone IESV: ſequimur te, ſi non corpore, at affectu certe, at certe lachrymis ſuſpiriiſque: ſequimur, & magnitudine amoris tui penitus abrepti, poſtquam ſingula, quæ nullo noſtro merito pro nobis ſubiiſti, diligenter expendimus, vbi ad ſupremas afflictiones tuas, ad horrendam illam paſſionem tuam ala contemplationis peruenimus, ſub cruce tua, impotes noſtri ac immemores, defici-

deficimus. Ibi ploramus, ibi ineptas cogitationes noſtras, ibi iuuentutis noſtræ vanitatem, & fallacem ſcientiæ opinionem deponimus. Ibi charitatis tuæ infinitæ ac inæſtimabilis memoria medullitus percuſſi, penitus liqueſcimus. Ibi denique exclamamus, *Aſcendiſti in altum Domine, cepiſti captiuitatem.* Ibi exclamamus, *Quid eſt homo, quod es memor ejus? quid eſt filius hominis, quod eum viſitaſti?* Bone IESV, quid eſt homo, quod eum viſitaſti? *Pelle & carnibus veſtiuiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me. Memento quæſo, quod me ſicut lutum feceris, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum coagulaſti me? Nonne ſicut putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur a tinea?* Et vnde hoc mihi, vt morte Domini ac Dei mei liberer a morte? Video amorem, ſed immẽſum: amorem ſine modo, ſine fine: amorem ſub quo intellectus deficit ac torpet: præ quo ratio caligat. Ego peccaui & tu paſſus es. imo ego qui peccaui, in te paſſus ſum: abſolutus ſine pœna, liberatus ſine morte: ſed a morte tamen. Naturam meam in te tranſtuliſti, vt quam in me penitus corrupi, in hac ipſa per te innocentiam haberem: diuinam vero conſeruaſti, vt haberem gloriam ac dignitatem: vtramq; conjunxiſti, vt humanitati conjuncta Deitas, Deitati conjuncta humanitas, quæ calamitatem meam ſenſit affectus meos induit, eum quem horrebam tanquam judicem,

cem, vniret, mihi in parentem. Quid dicam, aut quo pacto dicam? Non enim mihi consto aut in me consisto, vbi de te cogito. Tu immensus, infinitus ac non circumscriptus, expers passionis, expers mortis, hanc angustam, miseram, finitam, circumscriptam, passioni denique mortique obnoxiam hanc carnem, præ amore nostri induisti: quam per famem, per sitim, per calamitates, per injurias, per flagra, per sputa, per sanguinem, per mortem, per sepulcrum, tractus, verberatus, extensus, ac membratim diuulsus, Diabolo spectante, cum diuinitate tua pariter conjunctam, qua indutus vnam in essentia diuina constituis personam; supra omnes Angelos, supra omnes creaturas, quæ in cœlo & in terra sunt, ad Dei Patris, Dei inquam Patris, dexteram nunc collocasti. Vt qui ante vsque ad inferos depressi fueramus, nunc in ipsa Deitate, tecum & per te, recensemur. Porro cum hæc ipsa caro, quæ in te nunc solide triumphat, cæterum in nobis adhuc sub peccato gemit, memoriam tantarum rerum aut non satis colat, aut facillime deponat, etiam hic adsis quæso nobis ac succurre. Fac, vt oculos non corporis cum Thoma, verum fidei inuictæ, qui sunt instrumenta vitæ, perspicilla sæculi futuri, vsque in latus tuum & in tua vulnera mergamus. Vt mens nostra, separata ab hoc corpore, diuulsa ab his sensibus ac curis, quibus arcte nimium adhæret,

cruci tecum affigatur, & amore ejus gloriæ, quam solus nobis præparasti, inardescat: donec tu cum plena potestate, vultum illum tuum, quem in terra conspuerunt impii, in nubibus ostendes, vt sententiam de omni carne judex vnicus pronuncies. Nos autem, quos cum Deo Patre jam conciliasti, pro quibus mortuus es, passus ac sepultus, quorum chirographum Diabolo ereptum discerpisti, quos tantisper carne tua pascis, poculo amoris tui ac cruoris hic inebrias, ad te, te, inquam, penitus assumes, vt ibi vnum simus tecum, sicut & tu vnum es cum Deo: qui cum Patre & cum Sancto Spiritu, Deus in æternum es. Amen.

ORATIO XXVI.

De coniungendis Græcorum lingua & disciplinis. Habita in auditorio Philosophico. IV *Feb.* CIↃ IↃ C XI.

ATHENIS, Auditores, cui ciuitati ac Reipublicæ omnium artium ac disciplinarum natales & incunabula debentur, moris fuisse accepimus, vt qui magnis vellet imbui mysteriis, quod aliquamdiu nemini licebat, paruis ante imbuererur. Siue, quod paulatim ad majora veniendum judicarent, &, in sacris quoque diuinisque rebus, ordinem naturæ comprobarent: siue quod indignum absoluto aut majori judicarent sacro, qui non in minori recte præparatum prius animum haberet. Vtrisque vero qui initiatus esset, eum

rebus

rebus omnibus florentem ac ornatum, ad extremam vsque senectutem; post hanc vero vitam, in consortium Deorum piarumque animarum, peruenturum autumabant. Quod in sacris faciundum illi judicabant, id in artibus ac disciplinis, quibus omnis vita nostra constat, omnis nostræ ratio felicitatis continetur, quas mysteria, quas, ceremonias, ac sacra, recte dixeris, seruandum esse, mihi quidem semper placuit. Vt, nimirum, postquam semel iis studiis iisque disciplinis, ad quas natus est, humanus se emancipauit animus ac tradidit, sine vlla protenus difficultate ac mora, viam inoffensam teneat ac finem suum consequatur. Parua autem sacra ac mysteria, non eas modo artes voco, sine quibus ad majores peruenire nemo potest: sed & reliqua subsidia atque ornamenta, quæ ad eas melius exactiusque addiscendas requiruntur. Iam cum constet, non vnius aut alterius ex ore, neque ab iis, quos communis patria ac tellus eadem conjunxit, sed a multis diuersisque, qui vt lingua, ita ratione ac vsu, separati sunt a nobis, hauriendam esse sapientiam; videndum est, ne quorum artibus ac disciplinis hic carere nemo potest, horum monumenta sine vsu ac scientia ejusdem linguæ, inutilia efficiamus: ac vt fructum, qui ex omnium ætatum summis maximisque ingeniis offertur, ipsi nobis negligentia aut po-

tius torpore intercipiamus. Qua de re cum breuiter dicturi ſimus, peto, vt, quod eſt amoris ac beneuolentiæ, benigne; quodq; ſtudii ac diligentiæ, attente audiatis. Neminẽ ego quidem inueniri vſquam, Auditores, reor, qui cũ ſcripta Romanorum legit atque examinat, in quibus omnes quotquot ſumus prope a teneris verſamur, quorum mores, inſtituta ac virtutes ſingulas, cum ipſo eruditionis lacte haurimus, non, vt majeſtatem ejus gentis, ita dignitatem, conſtantiam, ſplendorem, ſapientiamque ſecum admiretur, dignamque fere ſolam judicet fuiſſe, cui faſces ſuos orbis traderet ſubmitteretque, quæ ſubjectis parceret, ſuperbos debellaret, leges poneret volentibus, nolentes vi atque armis frangeret, debilitaret, atque abjiceret: Oceano imperium; virtutem atque exiſtimationem, cœlo & æternis illis ignibus ac flammis terminaret. Quæ cum omnibus ſint admiranda, nemini ignota, ampliora tamen ac majora ſunt quæ nunc ſpectamus: eruditio videlicet ac diſciplinæ, quas æternis ad poſteritatem monumentis conſignatas tranſmiſerunt. Quæ ſi quem non mouent, rapiunt, accendunt, is hæredem ſe indignum in poſſeſſionem, quam tot magnæ illuſtreſque reliquerunt animæ, admiſſum ſciat. Ego vero, Auditores, ita judico ac ſciſco: Quemadmodum qui equum modis omnibus pulcherrimum ac bene habitum, in vſum belli aut

quem-

quemcunque alium emturus est, de educatione primo omnium inquirit: ita fieri nec posse nec debere, quin in quibus eruditionem tantam, tantam scientiam videmus ac virtutem, institutionem quoque eorum ad nos pertinere existimemus. Constat vero inter omnes, puerum Romanum, loco ac familia honesta natum, eo ingenio ac indole, quæ percipiendis disciplinis apta ac capax haberetur, cum ætate ea esset, cui prima literarum credi rudimenta solent, Græcam linguam, tum plerumque, sæpe etiam cum lacte ac in gremio nutricis, imbibisse. Existimabant enim viri præstantissimi, neque ad eruditionem sapientiamque minus quam ad imperandum nati, quibus præceptoribus per omnem vitam necessario vtendum sibi esset, eorum sine magno instituti sui detrimento linguam ignorare se non posse. Indignum vero illis videbatur ac pudendum, sæpe negotioli non magni causa aut commercii, sermonem quoque barbarum addiscì: eum vero, qui non tam vnius populi quam eruditionis vniuersæ ac ipsius esset sapientiæ, contemni. Quod ne in matronis quidem, quæ nobiliores erant, excusabant. Inter quas vt quæque, vel prudentia vel generis splendore excellebat, ita expeditius ac elegantius sermone hoc vtebatur. Quæ hinc venustates omnes, omnes elegantias, lepores, facetias ac condimenta, in sermone quoque patrio,

cum eo mutuabat. Nisi quod, quemadmodum rotunditatem linguæ ac fatalem mirabantur elegantiam, ita in plerisque vtilitatem ejus sibi proponebant. Erant tum Athenæ Atticæ, Palladium terrarum, templum eruditionis ac delubrum, totiusque sapientiæ emporium commune. vbi, quasi ad vberrimum mercatum, omnes, qui vel Reipublicæ jam destinati, vel in contemplatione vitæ fructum habituri erant, aliquamdiu versabantur. Quo cum peruenissent, ac cognitione linguæ penitus instructi essent, non vt peregrini, sed vt ciues, in vberrimos sese omnium scientiarum fontes auidissime ingurgitabant: animos ad magna natos, tum præceptis, tum magnorum hominum exemplis informabant: militarem disciplinam, partim e docentis ore, partim e muto ante tyrocinia doctore hauriebant. Vni veto eloquentiæ qui incumbebant, vel vtraque se vel Græca tantum primo excolebant. Est autem sermo ac oratio Græcorum, &, cum se attollit, grandior sublimiorque, & cum deprimit, venustior vrbaniorque, & cum linguis vtitur, quas plures habet, vt a cæteris diuersa, ita nulli imitabilis. Vt nonnunquam neque ab alia repræsentari possit, & ad intellectum ejus ipsa cogitatione opus sit. Adde suauem literarum conspirationem & concursum: adde compositionis incredibilem felicitatem: adde genera dicendi propria, vrbana, delicata: adde quic-

quicquid cæteræ mirantur & non habent. Vt Deorum quodam munere aut fato, ineffabilis hæc indoles ac lepor vni hùic contigiſſe videatur. Sed ad vſum ejus redeamus : quem cum populo Romano , etiam hoc tempore, communem ſinguli habemus. Græciam enim illam, illam, inquam, Auditores, Græciam, ſæculorum omnium magiſtram, omnium ſcientiarũ vnicam parentem, ſi quis hodie euerſam ac deletam penitus exiſtimat, is mihi furere ac vaticinari ſemper viſus eſt. Non in muris enim, non in mœnibus certiſque terminis, qui facile mutari aut transferri ſolent, ſed in excellentia ingeniorum , in diuinis æterniſque mentium magnarum motibus, in ipſius denique, quæ nec extingui nec deleri poteſt, ſapientiæ amplexibus, & quaſi ſinu , excellentiam illius ac diuturnitatem Deus immortalis collocauit ac fundauit. Quod ſi recte rem ſubducimus, eoſdem, quibus Populus Romanus olim vſus fertur, quoſque æternis laudibus in cœlum extulit , relictos nobis hodie videbimus doctores, paucis admodum exceptis , ac ne cum his conferendis quidem , quos ætatis injuria abſumpſit. Viuit Ariſtoteles & Plato , ſummi ſapientiæ conſulti, viuit Muſa illa Attica ac philomela , Xenophon : a quibus omnis fere ad Romanos ſapientia peruenit. Poëtæ viuunt, oratores ac hiſtorici. viuunt , ſi non omnes, certe eximii ac ſummi. Neque minus bene

merita de nobis est antiquitas, quod quosdam sustulit, quam quod præcipuos seruauit. Hi jam ciues Græciam constituunt, hæ nostræ, Auditores, jam Athenæ sunt. Hanc Rempubl. in chartis, hanc in libris, hanc in scriptis habemus. In hac sola magni oratores, magni hodie poëtæ, extant ac loquuntur. Epici cum grauitate summa Martem referunt quem canunt: Comici in socco, Tragici pro dignitate in cothurno ambulant. In hac Sacras literas eruditissimi ac facundissimi interpretantur viri. In hac leges Imperator nouas illas sancit & postremas. In hac medicinam Cous, & qui illum sunt secuti; in hac sapientiam tot magni, tot illustres ac præclari profitentur viri. In hac omnis grauitas, prudentia ac eruditio: in eadem omnes Veneres, festiuitates, joci omnes viuunt ac lepores. In hac ambulacrum Aristoteles (vir autem quis & quantus!) Plato Academiam, porticum Stoici, hortũ Epicurus adhuc habet. Hæc est domus sapientiæ, sedes Musarum, eruditionis schola, forum eloquentiæ, orbis gymnasium, palæstra ingeniorum: hæc Resp. inuicta, æterna, immortalis est. Sola vetustatẽ fert, nec sentit: sola sibi, hoc est Græciæ, superstes, viget etiam hoc tempore ac floret. Quæ vt tempore Themistoclis in nauibus, ita solis literatũ monumentis continetur nunc ac terminis: in quibus ad & nos peruênit. Salue domina artiũ, hostis Barbarorum, excultrix ingeniorum, cura,

ra, deliciæ, voluptas, desiderium atque oblectatio vnica eruditorum Græcia. Salue nutrix tot imperiorum ac mater: quæ immenso ac inæstimabili scientiarum diluuio ac literarum, orbem vniuersum, omnia sæcula, ætates omnes inundasti. Tuo lacte populus Romanus adoleuit primum: tuis monitis ac disciplinis terræ præfuit: tuo ore ac facundia, adesse miseris, profligare improbos didicit: tuis ex vberibus facundiam ac eruditionem omnem magni illi Romuli nepotes expresserunt. Tu Macedonum potentiæ ac armis, nihil præter immortalem ac æternam Demosthenis opposuisti vocem: qui armatus linguæ ac sermonis tui granitate, enthymematum tot fulmina in hostem ac tonitrua vibrauit. Tui oratores eloquentiæ totius spiritum ac vitam, M. Tullium dederunt: tuus ille seueriſſimus Thucydides, Sallustium ac Tacitum formauit: tuus ille Homerus, e quo, tanquam ex Oceano communi, omnes riuuli scientiarum profluxerunt, quem non feliciſſima contagione ac furore mystico afflauit? qui Maronianam quoque si non penitus absoluit, finxit sane majestatem ac formauit. Singuli tuorum, singulos in omni arte ac disciplina perfecerunt. Nisi quod philosophiam solam, integram propemodum ac illibatam, tibi conseruasti: cujus vix effigiem aut vmbram Romanorum sapientia expressit. Tibi fatum ac fortunam gratulamur,

quod ſuperſtes, quod incolumis, quod ſalua, per tot ſciolorum manus, tot ineptias Grammaticorum ac faſtidia, tot gloſſas, obeliſcos, ſtellulas, deliria, ineptias ac ſordes, ad hoc vſque tempus peruenisti: quod, inuita barbarie ac reluctante, cujus tu crudelitatem præ reliquis ac violentiam experta es, tot ingentes tamen ac inæſtimabiles heroes tui, ſpiritum ac vitam in hunc vſque diem protraxerunt. Qui jam corpore ſoluti, mentes noſtras ad præclara excitant quotidie atque accendunt: cogitationes dirigunt ac formant: eloquentiæ in primis ſuccum, ſanguinem, ac robur illud vere maſculum ac vegetum, illud vere tibi proprium ac tuum, non quæſitum arte aut paratum, ſed innatum ac vernaculum ſuppeditant. Illud autem maxime ad nos ſpectat, quod omnino neminem e ciuitate tua, niſi negligentiæ conuictum aut ignauiæ, relegas. Quibus tu, non aqua non igni, ſed prudentia, ſed eruditione ac ſcientia tuorum interdicis. Quales ſunt, qui linguam tuam aut ignorant aut contemnunt, & cum nihil ipſi per ſe videant, ſolis interpretibus, vt linguæ, ita rerum quæ tractantur plane ignaris, omnem fidem miſeri aſſcribunt. A quibus qui recedunt, alteram in partem nimium abire ſolent. Qui in verbis ſemper hærent, & plerumque linguam ſolam diſcunt; quidam tantum vt intelligant, nonnulli vt oſtentent; cætera non tan-

tangunt, sed secure prætermittunt. Instrumenta autem sapientiæ ab ipsa vt dstinguunt, ita extra eam, cujus causa comparanda sunt, consumunt. Quorum neutri mihi quidem placent. An enim tu, cum vel natura, vel diuino munere hoc consecutus sis, vt cum viris omnium ætatum primis agere ac versari possis, quorum alios de animæ salute ac vita recte instituenda, de virtute alios, quosdam de Republica ac ejus bono, alios de rebus quæ ad contemplationem spectant, de natura nempe ac occultis rerum causis, disputantes audias, & hinc omnis vitæ fructus tibi sit petendus, adeo ignauus sis ac secors, vt addiscere ea pudeat adolescentem, ad quæ senex cum aspires, nihil discere de sapientia sine iis possis? aut tam turpiter securus, vt cum tantis viris per miserrimum interpretem, hominem mendicum forte aut famelicum, agendum tibi arbitreris? Infantes, Auditores, infelices judicamus, quod nutricum ope in sumendo cibo aliquamdiu miseri vtantur: quæ plerumque succum sibi meliorem seruant, hos saliua sua pascunt. Vos audite rem certissimam & credite. Idem nobis vsu venit. Saliua putidorum est interpretum qua pascimur: nihil aliud quam sordes sunt ac fæces, quas voramus: homines ineleganres, ac non raro negligentes, sunt quos sequimur. Qui vel non intelligunt quæ scribunt, ac vt eruditi sint, ac linguæ, quam inter-

interpretantur, gnati, ad milleſimam facundiæ illius quam interpretantur non accedunt partem. Nunquam enim ego quidem, vt nunc candide vobiſcum agam, arbitratus ſum, vnam aut Herodoti, cujus omni nectare, omni Indicæ arundinis humore ac ſucco ſuauior eſt dictio, aut Platonis aut Hippocratis, periodum vel comma, ea venuſtate a Latinis reddi poſſe, vt non numeri ante omnia ac compoſitio mutetur, vt non occulta & diuina Ioniſmi in aliis, in aliis Atticiſmi pereat proprietas. Nam Platonem ipſum equidem cum lego, qui cœleſti quodam numine aut oraculo inſtinctus atque impulſus, ſupra omnem eloquentiæ conatum, rapi potius in altum quam aſſurgere videtur, ita tangor, rapior, accendor, vt oblitus ipſe mei ſequar, & quod ipſe fieri a Bacchi ſacerdotibus, cum a Deo impelluntur, in Ione ſuo ait, mel ex aqua videar haurire. In cujus ſcriptis omnibus, ac ſingulis propemodum orationis partibus, præter vbertatem ac prodigioſam quandam copiam, vim, ac ſublimitatẽ in dicendo, tot vrbanitates, tot lepores, tot feſtiuitates paſſim ac Gratiæ occurrunt, vt cum Græci tribus non plures eſſe finxerint, mille in ſingulis Sermonibus illius aut Dialogis notare mihi videar. Quibus ſapientiæ auſteritatem ita temperauit, vt cum alios vtilitatis cauſa & inuiti ſæpe ac coacti legamus, hunc inuiti ac cum tædio de manibus ponamus: in illius autem lectione

ctione,tanquam in beatis insulis,inusitata quadam voluptate ebrii, ac quibusdam quasi immortalium Deorum condimentis delibuti,qui iisdē sapientiæ ac linguæ mysteriis imbuti sunt, versentur. Quæ enim ille sensuum oblectamēta,quas illecebras omisit? Quos nō laqueos ac elegantiarū retia lectoribus objecit? in quæ qui vel semel sese induit ac dedit,nisi forte ab omni prorsus comitate alienus sit,nisi voluptatem omnem animi ac sensuum, nisi omnes deniq; delicias atq; oblectationes, quas ingenui ac liberales admirantur, respuat atque aduersetur, periculum non leue est, ne,tanquam in jucundo quodam labyrintho deprehensus, pedem ægre referat: &, quod sociis vaferrimi illius Ithacensis euenisse dicitur, diuinum loti hujus gustum,nunquam,vel ex ore, vel ex animo deponat. Siue enim Socratis hospitium intuearis, non cauponam hercule aut vinariam inuenies tabernam: sed opacam amœnamque arborem,patulis suauiterque viridantibus diffusam ramis: quam hinc delicato frigore aura lenis ventilat, fons argenteus Iliissus delicatiore temperat: illinc, psaltriæ Musarum ac fidicines cicadæ, voce judicundissima demulcent, hospitesque, sicut ipse loquitur, exemplo suo prouocare ac lacessere videntur. Inter quas, tanquam æmulus earum, sapientiæ diuinæ nectar & arcana sacri pectoris,vulpecula hæc Attica effundit. Siue facundissimam ferocis

cis Alcibiadæ ebrietatem, arrogantiam Protagoræ, audaciam Thrasymachi, vanitatem Hippiæ, inprimis autem & vbique, vafram illam vrbanissimamque præceptoris sui (cujus sæpe amore quodam incredibili abreptum meminisse hic me sentio) diuini Socratis dissimulationem, quibus, Dii Deæque, verbis ac coloribus depingit! Vt liquescere animum humanum inter illa sit necesse, neque frustra Ciceroni verba defuisse videantur, cum de eo judicare solet. Hunc eundem tamen, Auditores, cum Latine lego (neque indoctos nactus est interprètes) thermas ingredi Neronianas videor: tantus tepor animum inuadit. Vt pandiculari prope, ac oscitare, quod fastidiosi solent, aut dormire lubeat. Aristoteles, qui solus non tam popularem quam conuenientem ipsis rebus eloquentiam inuênit, vt quot prope verba, tot arcana, doctor publicus humani generis ac summus sapientiæ ædituus, oracula effundat, quam crudeliter ab his acceptus est! Nam cum Plato, cuius scripta plus fortasse voluptatis non vtilitatis habent, ore tantum alieno, hic non raro alia Latine loquitur. Tanta vel securitas interpretum vel imperitia se prodit. Nihil de Plutarcho dicam, cujus equidē ciuilibus moralibusq; monitis, non magis quam communi aëre hoc, carere possumus, cum ad plebem vsque, vsque ad gynæcea quoque, autor magnus, sapientiam deducat: qui quot modis,

dis, ô Dii boni, partim fœdissime corruptus, partim pessime conuersus est! Nihil de Hippocrate ac Galeno dicam, nihil de poëtis, quorum omnis vis in linguæ elegantia consistit. Vt non tam conuersi, quam ad instar Satyri illius, quem venisse in certamen cum Apolline antiquorum fabulæ testantur, ab interpretibus excoriati plurimis in locis videantur. Nihil de Theologorum libris dicam. Exemplis enim uti ac auctoritate eorum malo, quibus etiam si non accedat commendatio cujusquam, plurimum tribuere solemus. Diuus Hieronymus, magnum illud ac cœleste columen ecclesiæ ac decus, cujus pietatem tam in scriptis quam in vita, admirari nemo satis potest, cujus exercitia præcipua, preces ac jejunia fuerunt, qui frequentius gemitibus ac lachrymis, quam verbis de peccatis suis Deum immortalem compellauit, qui, relicta rerum vanitate, Bethlehemum est profectus, vt quo loco salus nostra nata est, eam vitæ sedem, pietatis domicilium, studiorum omnium museum ac perfugium haberet, quanta, quamque invsitata diligentia, linguarum ibi quoque studio adhæsit! Nunquam desero Hebræam ne ab ea, inquit, deserar. Quibusdam autem Græcæ imperitiam quam valide impingit! Vt de Sacris codicibus, de Eusebii Origenisque libris, quos (labore quanto contulit, distinxit ac conuertit!) nihil dicam. Idem,

a Græ-

a Græcorum poëtarum lectione, omnem puerorum institutionem inchoandam esse inculcat. Græca autem eruditione iam percepta, ad Latinam tandem transeundum esse monet. Quod in ipsis quoq; fœminis Chrysostomus, Suada illa ac medulla sacræ eloquẽtiæ, seruandũ præcipit. qui cum, instar amnis limpidissimi e summo monte provolutus, ore immenso ac incomparabili decurrat, linguæ causa tamen Aristophanem triuisse fertur. certe exhausit. Iam Gregorius ac Basilius, quos paganorum cuiuis eruditione merito opponas ac facundia, quantum temporis Græcorum lectioni tribuerunt! quam diu in grammaticis, rhetoribus, poëtis, ac philosophis hæserunt! vt quam solam sibi ea tempestate hostes nostri laudem vindicabant, eam ex eorum scriptis, iis ipsis, magno animo præreptum atque extortum irent. Ita enim iudicabant, omnia aut ignoranda, aut a Græcis, eorumque quos tum oppugnabant monumentis, haurienda esse. Quare & Latini solam eam linguam diligenter addiscebant: Græci autem, vt delicias ac elegantias autorum intelligerent exprimerentque, summo eam opere excolebant. Hos secuti sunt eximii summique viri, in purgandis quidem atque interpretandis legibus Alciatus, Fernelius in medicina, in diuinis literis Erasmus, in philosophia ac humanioribus scientiis, Politiani, Barbari, Mirandulæ, Ficini, aliique

aliique ex Gallis infiniti. Qui non amplius Athenis, vt Romani, sed ex ista, ista, inquam, Auditores, quam hic vobis commendamus, Græcia, postquam accurate linguã didicissent, totum artium ac eruditionis orbem, incredibili felicitate ac successu, a barbarie ætate nostra vindicarunt. Quos Statores literarum merito appelles. Fugientes enim clade accepta atque oppressas, fortiter stiterunt. Qui cum ipsos accessissent fontes, vel quæ maximo labore didicissent, erudite interpretati sunt, vel quas ibi inuenissent disciplinas, in apertum produxerunt. Qui, vt iis ignorantiam, qui linguas vel non discunt, vel (quod omen longe a nobis absit) etiam euertunt, ita iis qui in istis hærent tantum, neque earum vsum vident, ignobilitatem objiciunt ac negligentiam. Qui non res, non eloquentiam, in Lysia, Æschine, Demosthene, Isocrate, Homero, Pindaro, Euripide, aliisque summis maximisque autoribus dicendi, sed jejunas quasdam ac febriculosas cum Grammaticis ineptias ac obseruationes quærunt. Quorum tamen e frequenti lectione, rerum illa princeps ac regina exuberat oratio. Quæ interpres mentis atque rationis nostræ, cum se, optimorum copia verborum instructa, e prudenti pectore deuoluit ac præcipitauit, etiam inuitos in stuporem rapit ac defigit. seu diuitias opesque profitetur suas, seu concisa ac neruosa breui-

tate, aculeum in animo relinquit. Atque iidem, cum Platonem, Aristotelem, Plutarchum, Xenophontem legunt, aut cæcutiunt vt talpæ, aut in literis, in syllabis, in verbis, non ad tempus, vt oportet, sed perpetuo morantur: habitant in iis non diuertunt. Aliter Romani. aliter & nobis est agendum. Hoc agendum, ne scriptoribus præclaris abutamur: danda vero opera, vt penitus intelligamus. Cauendum, ne in verbis, in sermone, in antiquitatis cura fixi semper hæreamus: danda vero opera, ne ista ignoremus. Fugiamus nimium in rebus per se parum profuturis studium ac curam: hoc agamus tamen, ne profani nec initiati in opertum veniamus. Huc ingenium, huc neruos intendamus. Linguam cæteraque ejusmodi, ætate prima, res paulatim hauriamus. Audiuistis, Auditores, quo jam loco sitæ sint Athenæ, quo præclara illa artium inuentrix atque excultrix Græcia. Sublato quasi digito ac manu, locum, in quo omnis animorum cultus, in quo omnes liberales disciplinæ prostant, demonstraui vobis, atque ad ipsum fideliſſime deduxi. Academiam, pleriſque ignotam, vobis designaui. Ad emporium præiui, in quo omnium ingenuarum mercium, quemadmodum jam audiuistis, in quo omnis eruditionis publicus, ac toto orbe hac ætate celeberrimus mercatus est. Pretium quo ista comparantur, labor, assiduitas ac diligentia est. Vestibulum

ac qua-

ac quasi limen hujus ædificii aut templi, linguæ est cognitio. Hæc illius sacri, quo carere nemo potest, & quo rite initiatus quisque plenis passibus ad ipsam immortalitatem, gloriam, ac famam, tendit, parua sunt mysteria. Hanc qui nescit, relegatus e diuina ista vrbe, nullum nisi ex arbitrio interpretum, qui sæpe nihil sapiunt aut sciunt, cum consultis sapientiæ commercium habere potest: peregrinus, inquilinus, barbarus, ætatem agit; alienæ ignorantiæ, fatuitatis ac delirii mancipium. Denique, vt vri, bubali & muli, aliaque id genus, magna quidem, sed sine omni sensu animalia, ac vere bruta, ferro naribus immisso, ad arbitrium cujusque quolibet ducuntur: ita quantum quisque scit aut nescit, discunt aut ignorant, qui antiquitatem, omnium disciplinarum matrem, vt intelligant, ab interpretibus indoctis, tanquam nare perforata, quolibet se duci patiuntur.

ORATIO XXVII.

Pindari Pythiis præmissa, in qua ostenditur, quomodo veteres Philosophi Poetarum scriptis sint vsi.

QVemadmodum antiqui scriptores, Auditores, cæteris numinibus, aliis alia arma tribuunt; Mineruæ galeam, Neptuno tridentem, sagittas Apollini, soli vero Ioui tonitru ac fulmen relinquunt: ita veterum scriptorum censores, aliis poëtis aliam virtutem asscribunt

bunt: soli Pindaro sublimitatem, majestatem, ac cœlestem quendam spiritum concedunt. Ac plerique quidem, qui virtutes hujus viri attigerunt, aliorum fere judiciis nituntur. quorum præcipuus, ejusdem laude carminis censendus autor, Flaccus est: qui ad hanc verborum vim, ad hoc sententiarum pondus, ad diuinos denique illos subitosque motus, quorum tanta hic est copia, conatum aspirare humanum posse negat. Vt omittam Fabium & Dionysium, vt omittam alios, qui & multa & veriſſima, & pauciora tamen quam pro ejus meritis, dixerunt. Mihi vero, qui non tantum consuetudine atque instituto, sed naturæ quoque instinctu, abhorrere a vulgo soleam; qui his tantũ tribuunt, vt sibi fidem non majorem habeant, errare ac decipi videntur. Nam vt illi qui lac candidum, mel dulce, harmoniam aliquam perfectam esse ac plenam, sciunt ac intelligunt, nullius aut judicium expectant aut suffragium, quia potius quæ sensibus objiciuntur, solo illo, cui opponuntur, tractant ac distinguunt: ita miseros atque infelices duco, qui quæ ipsi animo ac mente vident, de his credere aliis quam ipsi judicare malunt. Quod si quisquam ita obsurdescit, vt neq; militum clamorem in conflictu, neque tympanorum sonitum in prima acie exaudiat, illi ego, quia auribus non vtitur, alieno vt vtatur testimonio ac sensu, facile concedam. Si quis vero est, qua-

les

les omnes esse oportet, cui talia non aures modo, sed & animum quoque ipsum vi quadam admirabili percellunt, excitant, attollunt, neque sui compotem consistere vltra patiuntur, quin ad arma furibundus atque attonitus prorumpat, cædem hostium ac cladem spiret, in oculis vultuque concitatæ mentis signa præ se ferat, vt judicium de iis alienum petat, quis per omnes Deos furor ac amentia est? Atque ego quidem, Optimi adolescentes, sæpe e Medicorum filiis audiui, morbum esse quendam, cui lethargo nomen est. Eo morbo si quis teneatur, grauissimo sopore ac necessitate dormiendi sensus impediri, corpus, aut cadauer verius, perpetuo marcore detineri: humi aut in stratis, sine motu & spe vitæ, prout quemque locum ante mali vim atque accessum occuparit, ita continenter obtinere, nihil vt audiat, videat, tangat, gustet, sentiat. Hoc mihi laborare morbo videntur, qui in Poëtarum scriptis hodie versantur. Pridem enim factum ex quo intelligere desiimus quæ in iis veteres tantopere admirantur. Pro quibus, triuialia, inepta quædam ac minuta, plerique rimamur. Dicam, & cum fructu forte dicam vestro, periit genuina nobis illa poëtas interpretandi ratio, postquam sterile Grammaticorum studium fines suos euagari & in alienos pedem terminos proferre cœpit. Quippe, vt Geometriam, præstantissimam philoso-

phiæ partem, sordidam atque vsibus quotidianis modo necessariam, plerique arbitrantur, postquam ejus beneficio, metiri agros, murum tollere, & in ista tam abjecta deprimere eam homines cœperunt: ita, pace vestra dicam, sapientiæ injuriam feciſtis, qui in Poëtarum libris aliud quam ipsam quæsiuiſtis. Proditum memoriæ a Græcis legimus, fuisse Brennum quendam, qui cum maximo exercitu, postquam totum fere orbem peruagatus esset, Macedoniamque exhausisset, vibem Delphicam inuaderet diriperetque, atq; in templum deniq; Apollinis, tanquam humanæ jam prædæ satur, vim armorum conuerteret. Huic nihil tam fuisse in votis, quam vt statuas Deorum, donaria ac vasa sacra, cæteraque quæ jam auaritiæ humanæ Deorum exemerat religio, tolleret, euerteret, conflaret, in profanos denique aut obscenos vsus verteret. Credite idem nobis eueniſſe. Templa Apollinis, delubra Musarum, ornamenta sapientiæ, donaria virtutis, quæ in sacro poëtarum adyto concluſa jacent, profani quidam inuaserunt: qui in literarum contemplatione & syllabarum, rerum diuinarum vim & majestatem consumpserunt. Video Platonem noſtrum, cum de animarum immortalitate agit, in grauissima hac disputatione Pindarum laudare. Video in Theæteto, cum de mentis vi præstantiaq; agit, hujus ore loqui. sed & in Republica, inprimis de ju-

de justitia ac fraude cum agit, tanquam dictione Apollinis, autoritate ejus niti. Dii ergo eos homineſque perdant, qui ex auro tam præſtanti, contra quam Rex ille antiquus, peluim aut matulam fecerunt: qui, ne pueri in ſcholis ignorarent, cujus temporis aut modi ſingulæ ſint voces, modum omnem arrogantiæ ac vanitatis egreſſi ſunt: tempus vero, rem ſanctiſſimam & omni auro cariorem, nihil promouendo perdiderunt. Nam dum his intenti, folia aut vmbras arborum ſectamur, ipſi nobis fructus intercipiuntur. Vt ſi quis autumno medio, ſub ficu aut ſub malo Solem tantum vitet: in vindemia ſub pampinis, dum alii ex vſu ſuo aut ſuorum vuas legunt, frigus captet. Nemo eloquentiæ ſplendorem, nemo rerum ac ſermonis dignitatem, nemo impetus cœleſtes aut ſententias ſublimes, nemo tot præcepta, tot oracula examinat, quæ ſi in Platone aut Ariſtotele occurrerent, digna ea, quibus vitam, quibus mores quiſque noſtrûm emendaret, crederemus. Nunc, quod de Phinêis dapibus Poëtæ dicunt, quicquid fœdæ infeſtæque aues iſtæ tactu ſemel impuriſſimo fœdarunt, nemo eſt qui in ſtomachum demittat. Atqui expugnandus eſt hic ſtupor, hic vetternus animi & torpor: ne autores ſemper adducamus tantum, nihil autem ipſi videamus; & quæ tam præclara eſſe aliis de iis credimus, eorum nunquam vſum ſentiamus. Spartanos

aiunt, quoties cum hoste congressuri essent, non tubarum clangore aut lituo, sed Tyrtæi, cujus partem & hodie habemus, masculapoë-si mentem ad virtutem inflammasse. Videbant quippe magni viri, non tam strepitum inanem & clamorem sine mente, quam perfectam eloquentiam facundiamque, quæ & rythmis numerisque astricta esset & virtutem ita commendaret, incredibilem reconditamque vim ac jus in animos habere: reliqua brutis esse relinquenda, quæ vt voce quoque vtuntur, sed confusa, ita tali optime excitantur. Estne autem aliquis e vobis, qui his viris defuisse pædagogum dolet, qui in acie ac ipsa fronte, ferula armatus, quod solenne monarchiæ hujus sceptrum est, in Tyrtæo ordinem verborum, rationem syllabarum, singulasque orationis partes, accurate, sed Grammatice, examinaret? Forte enim metuendum erat, ne ignari horum eo irent vnde nunquam redituri erant, vbi Grammaticæ constructionis rationem Rhadamanto reddere aut Minoi cogerentur. Idne Othryaden, Dii boni, aut inuictum illum ardentemque Leoniden, qui diuini animi sui neruis ac ceruicibus vniuersam Persiam sustinuit, spectasse arbitramur? Atqui neque illis scire quicquam amplius vacabat, quibus tam procliue erat mori: neque nobis in tam leui argumento moriendum erat, qui de vita recte atque ordine instituenda cogitamus.

mus. Et tamen moriar, nisi in hac prima quam videtis Pythiorum ode, tantundem majestatis spiritus sit ac neruorum, atque in hac Tyrtæi musa, cujus sola recitatione illis vita tum sordebat. Quid ergo? Illi res, verba Grammatici spectant: illi virtutem adferebant, hi scientiam affectant solam: quæ si nimis diffundatur, & molestiam sine vllo fructu & cognitionem sine vsu habet. Neque hoc jam, Auditores, ago, vt scientiarum fundamenta ac discrimina conuellam, muros, quibus reliqua nituntur, & tibicines euertam, multo minus ei arti quicquam detraham aut demam, quæ, vt recte dixit Fabius, *necessaria pueris, senibus jucunda est*. neque ignoro, nos jam consuetudine ac vsu eo esse adductos, vt cum reliquis peccemus: tantum nunc de iis loquor, qui cum Academiis scholas, pædagogi munus cum professione, limites denique artium confundunt inter se & terminos. Hoc postremo dicam: Artem sibi fabricent, excogitent, fingant, regulas suas, canones, præcepta, habeant Grammatici: Poëtarum autem scripta, (quæ non stulte modo sed & arroganter inuadunt) qui virtutem animis instillant, ita sibi vindicent, vt cum artem hac autoritate suam confirmarint, nobis cætera relinquant: Pindarum, Homerum, Hesiodum, Euripidem, viris concedant. Neque ægre ferant, si hic audiant,

——sacer est locus, extra,
Meiete.——

An enim ego, si impatienter feram, tam ineptum esse quenquam, vt cum Phædrum aut Phædonem in manus sumpserit, librorum Aristotelis qui post naturales discuntur, explicationem promiserit, nihil præter vocum origines aut ipsas examinet; æquiore feram animo, in Pindaro id fieri, qui virtutem, aut in Nicandro, qui venena eorumque vires ac remedia, aut in Homero, qui res omnes complectitur? Nisi prostibula ac scorta, viros istos summos ignauissimi mortalium existimant, in quibus pro libidine grassari cuiuis licet. quod jam olim in Homero factum esse, merito antiqui conqueruntur. Nondum Ilias & Odyssea, tot ineptis obseruatiunculis, tot Græcorum scholiis deliriisq; obsessæ erant, nondum argumentum & materiam, tot lectionibus diuersis ac mutationibus præbuerant, cum Peripateticorum Princeps, nihil majus in tam ampla veterum auctorum, quos plerosque nostro tempore desideramus, copia, inuenire aut offerre Regi suo potuit. Non præstantes illos centum quinquaginta octo libros, quos de Rebuspublicis conscripserat: non diuinos illos ad Nicomachum De moribus, non Platonem, non e sancta Italorum secta aliquem. quorum ipsæ quoque literæ & syllabæ (nam Dorice loquuntur) sapientiam ac studium vir-

virtutis inſpirare animos videntur. Ibat iuuenis terrarum domitor per tot populos quot expugnarat, duplici volumine onuſtus, tanti quidem precii ac momenti, vt cum Indos auro diuites gemmiſque expugnaſſet, nihil precioſius Homero quod oſtenderet, habere ſe profiteretur. Idem, cum Thebarum vrbem funditus deleri juſſiſſet ac euerti, poſtquam ædes Pindari acceſſit, hæſit, ſtupuit, ingemuit, ingentemque illum ſpiritum, quem nulla arma, nullæ gentes, non Oceanus, non ipſis prope Diis inacceſſæ rupes, ſiſtere ac debilitare potuerunt, ſola tanti nominis ac famæ recordatio cohibuit ac flexit. Ciuitatem delete, inquit: domum vnicam relinquite. Quod & verſu illo eſt teſtatus,

Πινδάρε δ' μὴ ζώπυρ' τὼ ἑτέρω μὴ κάμε.

Et fortaſſe tamen ignorabat Alexander, quot Olympiorum ode prima colis, quot ea cola ſyllabis, quod vnumquodque carmen periodis conſtaret. Idem ignorare & Hiero, Siculorum Rex poterat, cui primam Pythiorum Poëta inſcripſit. Cætera non potuit, quibus eum ad virtutem, ad gloriam ac laudem, quauis tuba vehementius in fine carminis impellit. Quorum mentem aliquanto fuſius vberiuſque a me hic expoſitam habete.

Idem age quod gubernatores ſolent nauium: velum tuum ventis expande. Caue turpi lucro Regium ſubmittas animum. Semper de futura hominum exiſtimatione

matione cogita. Eam animo infige. Sola quippe mortuorum hominum extendit vitam: si ab oratoribus præsertim ac poëtis celebrentur. Nunquam præstans illa Crœsi virtus, singulari quadam comitate temperata, interit. Barbarum contra illum atque immanem Phalarin, qui crudeli tauro & accensis ignibus, miseros mortales cruciasse dicitur, fama par vbique sequitur. Nunquam illum in clarorum hominum consortiis, pueri, fidibus, prout mos est, & sermone celebrant. Porro prospera fortuna vti, primum hominis est præmium: bene vero audire, proxima est felicitas. Vtrunque cui euenit, tanquam in certamine, supremam jam coronam consecutus est.

Vmbram aliquam videtis: effigiem, non corpus. Etenim vt illi, qui aut minus quam natura patitur assumunt cibi, aut auiditate nimia corpus onerant, tabem incurrunt: ita tam quod addis quam quod demis, majestati viri hujus & splendori discedit. Estne autem tam ignauus quisquam, qui in hoc verborum & sententiarum igne, cinerem non flammam respicit, & cum pauca quædam de Phalaride & Crœso intellexerit, reliqua e manibus deponit? non orationis vim ac flammam, non translationum indolem ac spiritum, non præcepta vitæ, non prudentiam examinat? Velum expande, inquit. id est, Animum, Rex magne, tantæ parem fortunæ, quantum potes, erige ac attolle, cursuque, vt cœpisti, inoffenso, æquor illud gloriæ decurre. Sed profecto, Vide

tamen

tamen ne impingas. Ingens tibi aduersaria propoſita eſt. Quæris quid ſit illud? Quod plerumque regna euertit, Regum animos eneruat atque effœminat, cupiditatem illam gloriæ ac ſitim, quæ nunc maxima ac ſumma in te flagrat, funditus exſtinguit. Is eſt lucri odor. qui, non vi aut armata manu in certamen venit, ſed occulta quadam fraude leniter obrepit: non aperto palam Marte congreditur, ſed paulatim, quaſi peſtilenti ſidere, præclaram intus animi lubidinem corrumpit. Huic vt fortiter, Rex, ipſe te opponas, tempus omne & futuram tibi æui magnitudinem ac tot annorũ poſt te ſpatia, propone. Aliquid poſt vitam iſtam, quam jam ducis, ſupereſſe credas. Famam hominum proborum, & exiſtimationem imptoborum, fac diſtinguas. Ne quid erres, nihil veſtrum latet, nihil poſteris ſubduci poteſt. Facta veſtra cum fortuna, in illuſtri loco Deus immortalis collocauit, poſuit, fundauit. Quicquid fit a vobis, oratores ac poëtæ tollunt, ac in famæ gremio & ſinu ponunt. Neque virtus veſtra neque vitia latere ſolent. Vtriuſque luculenta tibi dare exempla poſſum. Crœſi ſingularem liberalitatem, quo fauore, quo applauſu proſequuntur homines? Contra, immanem ſceleſtumque Phalarin, quis non diris deteſtatur? Nullam illi quiſquam laudis partem in ſermone, aut in epulis, in quibus

more

more Græcis vſitato, magni cantu fidibuſque puerorum celebrantur viri. Succeſſus quippe ad virtutem ſi accedat, primum id veſtræ ſortis bonum eſt: cui ſi ſuffragium quoq; hominum & gloria ſubſcribat, quod vlterius exſpectet ſplendor veſter ac majeſtas Regia non habet. Hæc ſi Alexandro ſuo Ariſtoteles, Dionyſio Plato, Cyro ſuo Xenophon proponeret, non prudenter magis & fortaſſe minus eloquenter eadem dixiſſent. Eant, nũc abjectæ illæ animæ, eant vt ineptis quæſtiunculis, interpretationibus ac notis, ſacris Poëtarum monumentis, quorum vſum aut ignorant aut peruertunt, frigidam ſuffundant. Neque tamen tertiam eorum partem audiuiſtis, quæ prudenter, grauiter, ac ſancte, in hoc carmine dicuntur. De origine virtutis & auctore ejus, Ariſtoteles & Plato, alter quidem in Moralibus, alter in Menone, Protagora, Theage, Euthydemo, quam diffuſe ac nonnunquam obſcure, diſputarunt? Vt Plutarchum, Xenocratem, Critonem, Simonem Socraticum, alioſque quorum diuerſum quiſque iter ſequitur, omittam. E quibus alii, conſuetudine & habitu, alii præceptis & doctrina, comparari eam docent. Alii Deo omnia tribuunt, alii nihil.

Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella.

Quare factioſe rem geritis? quare in partes ſeceditis? quare veritatem ipſam, quæ non niſi vna eſſe & ſimplex poteſt, peſſime diuulſum ac di-

ac dilaceratum itis? Cygnum Thebanum audite, hoc oraculum consulite. quod non furibunda Delphis Pythia, non Dodonæus Iupiter aut Ammon, non Ismenius aut Clarius Apollo, non vicani aruspices, aut de circo Astrologi,

Non enim sunt ii aut arte diuini aut scientia,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,

verum poëta, magnus Apollinis sacerdos, effundit,

Ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτείας ἀρετᾶς·
ἠὲ σοφοὶ, ἐς χεῖρα βιαταὶ, περίγλωσσοί τ' ἔφυν.

Dii, inquit, *rationem omnis humanæ virtutis ac instrumenta suppeditant: ex hoc fonte, sapientia, fortitudo ac eloquentia dimanat.* Quæris quæ virtutis sit causa? Paululum morare, & distinctionem accipe. Duplicem hic video. Homo enim mille, inquit, rationes, mille vias, mille artes & modos ad possessionem virtutis excogitat. Hos poëta machinas nunc vocat. Eas ipsas, si asscribas homini, profanus, impius, sacrilegus videris. Altius eundum est. Omnes, inquit, hæ virtutum machinæ a Deo sunt. Nam, vt mille operarii ac manus, domum cum fabricant, prima tamen causa est architecti ratio: ita consuetudinem in homine ac præ-

cepta

cepta virtutis esse causam, nemo negat: prima tamen, solus est Deus. Huc accedant sane istæ Philosophorum voces, quanuis a Poëta dicuntur,

Ego Deûm genus esse dixi semper & dicam cœlitum,
Sed eos non curare opinor quid agat humanum genus.

Huc accedant impii ac cœci talpæ isti, qui ex Epicuri sui hortis & areolis, adamante quouis firmiorem, quauis luce certiorem de diuinitate opinionem, cum qua omnes nascimur & educamur, tanquã puluerem aut molle lutum, sensim abstergere aut eluere conantur: qui caliginem ac tenebras quibus animos eorum judex justissimus damnauit Deus, voluptate languidi, torpore marcidi ac ocio, neq; quicquam nisi callidi deliciarum arbitri, obsoniorum ac vinorum erudituli censores, omnibus objicere conantur, & in angulis, tanquam feræ, ac latebris quas colunt, cœlum, vt videntur sibi, & religionem, callide oppugnant. Quæ opinionum contagia ac pestes, vt præsertim hac ætate diligenter caueatis, nemo grauius monebit hoc auctore: cui pietatis laudem, quæ virtutum cæterarum princeps est ac mater, merito attribuit vetustas. Hunc eundem tamen locum si Grammatico examinandum tradas, cogitate ipsi, aut ex me audite, quæso, quid dicturus sit. Vocem ibi esse quandam

dam quæ facundiam designat: rarum ejus vsum ideoque obseruandum esse. Eam vocem ex duabus aliis componi, quarum vim ac rationem, aliquot exemplis confirmabit. Quæ nos nec damnamus, & quotidie cum opus est, præstamus: nam & ipsum Socratem nonnunquam, de origine ac natura dictionum singularum disputasse scimus. neque hoc tamen loco sine iis sapere non possumus. Aliud nunc agimus ac meditamur, aliud est ac diuersum in quo laboramus. Nam si magnum illum orbis domitorem, Regem Macedonem, pauci reprehendunt, multi etiam extollunt, quod inuicto animi & corporis labore, nulla regionis difficultate aut aquarum deterritus penuria, ad Ammonem vsque penetrauit, ne de vero Patre suo dubitaret, cur laborem aliquis immerito a nobis sumi putet, si virtutis causam ac originem quæramus? Noli, rogo te, quicunque huc accessurus es, interpellare hoc sacrum: caue vitium auspicio aut faxis aut humana cum diuinis confundas. Nam vt in eodem campo, taurus herbam, canis leporem, ciconia serpentem inuestigat, & vt in eodem illo carcere in quo Socrates de morte disputabat, in eadem illa domo in qua Cato pertinacem illam libertatis emittebat animam, pila aliquis fortasse ocium aut tessera fallebat, ita & nos multum hic distamus. Quantum autem jam attende. Audiuisti olim, credo, insolen-

tem quendam Persiæ fuisse Regem, qui naturæ vim inferret, montem nauigaret, Hellespontum jungeret, Neptuno compedes ac vincula injiceret. Hic cum per Pylarũ clausstra tantam populorum vndam in reginam tum terrarum Græciam effunderet, vt nec terra tot alendis sufficeret nec aquæ; locum denique vix inueniret, in quo perderet tot homines, quot, homo dementissimus, seruare posse se existimabat; magnus primo terror vniuersam Græciam ac trepidatio inuasit. Sed præcipue Athenas, quæ potentia, virtute, ac opibus, cæteris Græcorum vrbibus ac vniuersæ genti antistabant. In tam subito tumultu, pauore ac trepidatione, erant qui hominum, erant qui Deorum, favorem, auxilium ac opem implorarent. Delphos subito mittuntur, qui oraculum adirent, Deum consulerent, responsum referrent. Rogantibus Apollo respondet,

Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεὺς,
Μοῦνον ἀπόρθητον τελέθειν, τό, τε τέκνα τ' ὀνήσει.

Vrbem, inquam, ligneis in muris saluam fore. Dum de hujus mente oraculi & Athenarum salute agitur, fingamus quendam, pallidum, famelicum, barbatum, præter expectationem omnium, in ipsam concionem, dubitantem adhuc & suspensam, venisse. qui hoc modo ciues compellaret: Oraculum, Athenienses, de quo disputatis, ad vos misit Deus, in quo summa rei verti-

vertitur. Cujus hic interpretationem ad vos adfero. *Carmen est Heroicum, alii Epicum vocant. id dimensionibus tribus, pedibus sex constat. De inuentore dubitari video: alii Phæmonoen quandam, alii Thalem, alii Pherecyden, alii Dodonæas illas columbas fuisse volunt. Quid autem jubet Deus? Audite quæso & fauete.* Et cum omnes rursus ora in hominem ac vultum conjecissent, ibi tum sic denuo cœpisse: *Prima vox oraculi est τεῖχος, quod a τεύχω viri sapientes deduxerunt, sicut ξύλον à ξύω. quia nulla πρὸς τὴν ξύσιν magis apta est materia. vt nimirum leuigari & exasciari possit. Iam Τριτογενὴς, Minerua est: ita enim a torrente in Bœotia aut Lybia, vt quidam volunt, dicitur. vel, quod mensis die tertio sit nata. Quod mihi quidē, nisi vobis, Viri Athenienses, secus videatur, semper præ reliquis arrisit. cum & hodie in hac vrbe dies iste sacer habeatur. Noui tamen, qui a τρεῖν, quod terrorem hostibus immittat, ita dictam velit. Est nonnemo qui a tribus anni tempestatibus sic primo in AEgypto nuncupatam velit. vt qui quartam penitus ignorent. Δίδοῦ est poëticum profecto, pro quo δίδωσι dicendum erat.* Atque ita dum ad finem peruenisset, neque vltra addidisse quicquam. Vt de reliquis non dicā, quid Themistoclem fuisse responsurum creditis? Quid vero aliud quam quod quisque nostrum in re simili? *Tibi quidem, optime virorum, alio opus esse oraculo video. Albo scilicet veratro potius an nigro, caput istud tuum expurgari debeat. De quo Æsculapius & medici respondent. qui quid hac in parte*

sit agendum, melius videbunt. Morbus tuus est μανία. ea vox a μαίνε & deducitur. Quam nisi diligentius in posterum curaveris, in muro quidem tu, non ligneo, sed ferreo seruaberis. Nos hic de salute Reipublicæ agamus. Et mox iterum ad omnes: Murus iste, ô Athenienses, naues sunt. Iis conjuges ac liberos, relicto solo hoc, his laribus & focis, pro se quisque imponat. Ita Salaminem petere jubemur. Ibi patriam totamque Græciam aut manu vindicabit quisque aut occumbet. Consilium Themistoclis secuti sunt Græci, & vicerunt. Idem ego vos vt faciatis autor sum. Ea quæ Grammaticorum sunt, priuatim per vos quisque vel e nobis, obiter, discetis. Vt hic autor vobis profit, majora sunt quæ requiruntur. Maximus facundiæ ac summus, vt nouistis, vsus est. Hinc orationem viuidam, sublimem, masculam, neruosam; hinc colorem, succum, & figuras, ducite ac haurite. Major sapientiæ. tot propemodum præcepta vitæ, quot aut syllabas aut verba, hic videtis. Expergiscimini, honesta pectora, laudi destinata juuentus, neque illorum vos autoritas abripiat, qui cum nullam ferre eruditionem possint, maxime poëtas accusant: qui vt primi, quod vbique notant veteres, philosophi fuerunt, ita primi vniuersæ sapientiæ inuidiam sustinuerunt. Vetus ista est calumnia. Septem illos proceres Græcorum, primos sapientiæ consultos, Thalem, Biantem, Chilonem, reliquos

quos credo audiuiſtis: hos cum nondum alii philoſophos vocarent, imperiti, vt Laërtius teſtatur, per ludibrium poëtas dicebant. Omnes enim, more antiquis vſitato, quæ præclare excogitaſſent ſuauitate numerorum condiebant. Eadem opinionum labes noſtros quoque homines afflauit. Si quis vnum epigramma ſcribat, toto vitæ tempore hoc luendum eſt: nihil hoc excepto poſſe aut didiciſſe exiſtimatur. De ſcientia, de eruditione ac virtute, ſi illorum ſequimur ſuffragia, periclitatur, cui hoc feliciter ſucceſſit. Adeo immane ac graue crimen eſt, ſi Diis placet, eadem cum illis, quos faceti moriones illi Poëtarum aduerſarii mirantur, præſtitiſſe. Et tamen, vt vobiſcum agam, ô cenſores noſtri, Solonem puto quendam, virum prudentiſſimum fuiſſe ſcitis, & Athenæ hoc clamant: vnum librum aliquem euoluite, ſtatim ejus carmina occurrent vobis. Pythagoram grauiſſimæ familiæ autorem fuiſſe non ignoratis: Aurea illius carmina videtis. Marcum illum Tullium, Romanæ fontem eloquentiæ ac regem, Patrem quoque patriæ fuiſſe dictum aliquando legiſtis: Aratea ejus nondum perierunt. Socratem, Platonem, Ariſtotelem, ſi pergitis, opponam vobis, quos hoc modo deliquiſſe omnes ſcimus. Et eorum aliqua adhuc leguntur. Quam velletis, nulla literarum ſupereſſe monumenta, vt poëtas, homines ineptos, optimarum ar-

tium peritos, Grammaticos impune diceretis. Atqui liceat per vos, ô ſummi maximique viri, ſcire aliquid quod ipſi ſemper ignoraſtis. qui ſi tam ignari rerum hactenus vixiſtis, vt philoſophorum aliud quam poëtarum inſtitutũ eſſe aut fuiſſe olim, credatis, non poëtas ſed philoſophos audite. *Poeſis eſt philoſophia*, inquiunt Platonici, *tempore antiqua, compoſitione numeroſa, ſenſu vero fabuloſa. Philoſophia* autem, teſtibus iiſdem, *eſt Poeſis, tempore recentior, ſenſu planior.* Qui, vt ipſi jam videtis, ſapientiam vtramque dicunt: alteram recentem. quæ ne vobis quidem diſplicet; alteram antiquam: quam vos nunquam didiciſtis. Dio ille, qui a ſuauitate quadam ſingulari & amœnitate linguæ, nomen oris aurei eſt conſecutus, cum nonnullos e philoſophorum turba dici Socraticos audiſſet; Socratem, inquit, ipſum cur vos non Homericum vocatis? Nam vt reliquos ad Socratem, ita hunc cum reliquis referri ad Homerum volebat. Hæc ſi vobis nunquam præceptores perſuaſerunt veſtri, miſéros nos atque infelices, qui tam graues imperitiæ ignauiæq; veſtræ pœnas damus: ſin diſſimulatis, improbi & nihili eſtis. Nos vero, qui vbique veritatem ſine vllo aut liuore aut malignitate ſequimur, qui neque auribus ad audiendam, neque animis ad ſentiendam hanc diuinitatem vnquam caruimus; quibus tam acceptus ſapientiæ conſpectus eſt, vt in ſordibus, in tenebris,

bris, in nocte ipsa si occurrat nobis, pronis eam atque effusis vlnis cum immensa quadam incredibilique voluptate amplexuri simus, quid agemus, cum hoc cultu, hoc sententiarum fulmine & cœlesti pondere verborum, sese infundit nobis? Tota eam mente intimisque admittemus sensibus. Hunc præcipue autorem, cujus totam in nos majestatem deriuabimus. Nam quemadmodum cinædi & effœminati homines, ad Ionicos plerumq; modos corpus commouere solent; tubam bellicumq; clangorem, & quæcunque grauius attollunt aut accendunt animum, fortioribus relinquunt, quibus cura Reip. ac salus incumbit: ita nos imbelle poëtarum vulgus, aliis non inuidebimus: ad virilem vero & sublimem hunc concētum, vitæ nostræ actiones dirigemus & formabimus.

ORATIO XXVIII.

Panegyricus illustri viro Iosepho Scaligero dictus.

SI quicquam virtutibus tuis, Iosephe Scaliger, vel addere laus nostra vel cujusquam posset detrahere calumnia; magnā amicis tuis voluptatem, majorem vero aduersariis tuis ea res adferret. Cæterum, cum neque laudis tuæ interfit quid loquatur quisque, neque solum ab opprobrio aliorum sejuncta sit virtus tua, sed & commendationem nostram antecedat, videndum potius, vt quantum plerique malignitatis suæ specimen dedere, tantum nobis

pietatis noſtræ & virtutis conſtet ratio. Veniet tempus aliquod, cum in mores tuos vitamque inquirent poſteri, & quicquid de te rumor ſuggeſſerit, inter exempla erit. Inuidia, maleuolentia, & calumniæ, ſicut morbi, viuentibus moleſta ſunt: cæterũ, vt maxime diuturna ſint, circa rogum euaneſcunt. Virtus & exiſtimatio, ſero jus ſuum impetrant, neque prius quam de humanitate noſtra ſtatuit natura, odium cum cauſis extinguitur. Tantum illud nobis hic cauendum eſt, ne quantum ſua alios improbitas, tantum nos ſtudium abripiat aut amor: quem, ni fallor, nemo melius tuetur quam qui gratis amat. Equidem non raro oratores maximos miratus ſum, qui in regum principumque virtutibus omnem operam poſuerunt, & infelicis eloquentiæ lenocinium ad ambitionem tranſtuleruut ſuam. Etenim, cum infelix ſit omnis ſeruitus, tum longe miſerrimus eſt, qui ad arbitrium alicujus aut loquitur aut tacet, & ingenuitatem ſermonis, ſpe precii corrumpit. Veſtra familia ſicut regum ducumque mater antiquiſſima eſt, ita dignitatem generis tibi reliquit, potentiam cum imperii ſpe eripuit. Semel vobiſcum fortuna decîdit: quibus e lõgo illo fulgore ne tantum quidem ſupereſt quod adulatorem alat. Quamobrem nemo tibi laudes tuas vendet, nemo facundiam tibi commodabit ſuam, nullius refert, ut aliter de te loquatur ac judicat.

Poë-

Poëtarum iſte morbus, & qui hos ſecuti oratores priſtini: quos vt ſemel omnes arguamus, melius de te dicemus, cujus neque virtus parem vnquam habuit, neque conditio præmium oratori promittit. Quare ſicut aliis id maxime propoſitum eſt, vt quamplurima dicant: ita nobis, vt aliquid prætermittamus. ne primum in laudibus tuis ponamus, quod vt a te alienum non eſt, ita tamen eſt aliorum. Generis ſplendorem & illuſtre majorum tuorum nomen annales loquuntur: neque quiſquam eſt qui diuinas Scaligerorum virtutes ignorat, niſi qui ignorare mallet & tuas. Plenæ ſunt hiſtoriæ, plena veterum monumenta, plena omnis vetuſtas, &, ſi verum fateri volumus, ſola antiquitate laborat gens veſtra. Quæ propemodum ſicut dignitate antecedit plurimas, ita vetuſtate tempus & annorum ſpatia poſt ſe relinquit. Vt cujus facta omnes admirantur, ejus ægre quiſquam inuenire poſſit originem. Plane quod de Nilo narrant, cujus cum præclara beneficia ac vires, alii deſcribant, alii commemorent, multi experiantur, nemo tamen fontem hactenus inuenit. Habet omnis hoc diuinitas, prodeſſe vt malit quam agnoſci: quæ interdum eo ipſo majeſtatem ſuam vindicat, ſi magna ejus pars a nobis ignoretur. Quod cum viri prudentiſſimi majores noſtri intelligerent, eos quorum vt certa generis antiquitas ita incertum eſſet ſan-

guinis primordium, Deorum filios dixerunt: vt antiquitatem, quam in terris terminare non poterant, cœlo conſcrarent. Quod ſi de vlla gẽte, merito de veſtra dici poteſt: qui tot Principes in ea numeratis, quot vix homines in ſua poſſunt alii, & cum majeſtate ac ſplendore nominis cedatis nemini, antiquitate curam hiſtoricorum eluditis & diligentiam. Nam quid ego hic Alanos aut Maſtinos referam? quid, vt verbis tuis vtar, tormentum Martiale, Alboinos aut Canes? Cum & putidiſſimum ſit ea dicere quæ nemo neſcit, & audaciſſimum ea perſequi quæ a te dicta ſunt, & ſtultiſſimum a majoribus tuis laudes tuas deducere, quas non accepiſti ab aliis, ſed in gentem tuam primus intuliſti. Audiat inuidia, Ioſephe Scaliger, primus cum parente fortunam viciſti. quæ vt majoribus tuis eripuit quicquid donare non potuit tibi; ita neque tibi eripere potuit quod non dedit, & quicquid nec illi habuerunt, tibi reliquit. Det fortuna regna vel eripiat; addo &, in regno ſuo ludat, quantum volet, & ineptiat: nunquam hos transſcendet limites quos ipſa ſibi fixit, neque in bonis animi & noſtris, partem ſibi vindicabit. Sceptra aufert quæ donat, vim transfert quam confert, opes diſſipat quas cogit; denique, ſi quæris cui aut incommodare aut nocere poſſit; illi tantum cui profuit. Exempla nolo longius arceſſere aut ad cothurnos ire. Equi-

dem

dem si vllum esset in magnitudine præsidium, staret Scaligerorum imperium, quibus nihil defuit quo Reges aut Principes censentur. Nunc e tanta gente nihil præter ruinam admiramur. quæ & eo major est, quod mirum omnibus videtur, aliquid mutari posse quod tam diu stetit. Mille & ducentos numeratis annos. Itaque, si cuiquam hominum, diu fortuna vestro generi indulsit. nisi quod miserius est diu stare, vt aliquando cadas. Quare, si nihil præter dignitatem ac nobilitatē generis adferre posses, miseratione potius multorum quam cujusquam admiratione dignus esses. Nam vt Priamos aut Hecubas nemo sine lachrymis in scena videt, neque aliud quam gemitum spectanti aut dolorem exprimunt, ita in hac rerum humanarum scena, vel deploratur nobilitas infelix, vel, quod vix per Deum immorralem ferri potest, sæpius contemnitur. Ac profecto, soleo ego, quoties in majores tuos, viros diuinos, intueor, & inuictam illam tot heroum sobolem recordor, toruum illum atque infractum Cæsaris Scaligeri parentis tui contemplari animum. qui in summis rerum destitutus angustiis, patre etiam orbatus, tanta e spe dejectus quantam solus intelligere potuit qui nihil non sciret, profugus, ignotus, egens, primus tamen fatum suum inchoauit, & fortunæ extorsit, quicquid ab irata impetrare non potuit. Quam dubium non est quin sæpe hunc

in

in modum compellarit: Sceleſta, quid vis tibi? cur aut ita extuliſti nos, vt deprimeres: aut ita depreſſiſti, vt attollere non poſſes? Tot Regum Principumque progenies, in imperii ſpem natus, quæ vna cum parente expirauit, etiam de vitæ præſidiis in dubium miſer venio: neque præter inuidiam majorum meorum, quocumque me contulero, adferre quicquam poſſum. quos non armis modo ſed & potentia atque opibus inimici oppugnant noſtri. Nihil præter hunc animum relictum eſt, cui tota noſtri generis incumbit majeſtas. quem non modo contra injurias, ſed & fauorem tuum poſthac obduraui. a qua ſatis tutum me putabo, ſi nec dederis vnquam quod eripis, nec eripere poſſis quod dediſti. Quæ cum fortiſſime præſtitiſſet ipſe, multo tamen felicior fuit, quod cum hæreditate hanc gloriam reliquit tibi: a quo tantum paternis virtutibus gloriæ acceſſit, quantum a majoribus tuis ſplendoris tibi accedere non potuit. Quare paternum ingreſſus iter, ad literarum & ſapientiæ ſtudia, capax illud omnium diſciplinarum ingenium contuliſti: quas quidem tanta celeritate arripuiſti, non vt diſcere illas, ſed repetere, nec audire tum primum, ſed reminiſci viderere: quodque de æternitate animorum Plato dixit, omnes propter te verum putarent. Quæ voluptas cum in majus creſceret paulatim; & quæ pleraque nobilitas in oble-

ctatione

ctatione ocii vel requie animi & corporis, ea tu in hac cura ſolus poneres; voluptati ac naturæ plurima ſubtraheres, neque quicquam de labore interim remitteres; eam eruditionem conſecutus es, quam nec intelligunt qui laudant, neque ſine horrore recordari vnquam poterunt, qui vel oderunt quicquid aſſequi non poſſunt, vel contemnere audent quicquid ſine cauſa oderunt. Dicam libere quod ſentio. Nimium ſibi Natura permiſit, cum te genuit. paulo modeſtius, meo judicio, agere potuiſſet, cum vnum ea ſcire hominem permitteret quibus vniuerſum genus hominum diſtinxit. Nam vt mundum hunc inferiorem terminis quibuſdam, ita populos diuerſitate linguarum ſeparauit. Quarum tres olim qui didicerat, eruditus habebatur. Vnde Rudius ille tricor ad famam peruenit. Neque vulgi tantum cura fuit hæc aut ſtudium. Notus eſt hoſtis ille nominis Romani Rex Ponticus, quem viginti & duabus locutum ferunt. Præclaram vero laudem, dignamque inprimis quam in hoſte ſuo victor terræ populus commendet. Plures enim Gallus inueniet in ſua: & tu, cum totam Italorum exprimis, omnes Mithridatis æquaſti. Ita Athenienſis aliquis Dorice aut Ionice, Æolice loqui aut Bœotice potuit. quæ ne in nobis quidem mira ſunt. Magnus vero ille Macedo, qui cum Oceano regni ſui terminauit limites, & orien-

tem

tem intra imperii ſui fines Solem videre potuit, tot propemodum interpretes habuit quot milites, cumque triumpharet de tot populis quot mundus capit, nondum intelligebat orbem quem ſubegerat. Noſtra vero ætate, qua renatæ ſunt & quaſi reuixerunt literæ, in alio Romanæ, in alio Græcæ peritiam miramur; alii Hebræas, alii Arabicas ſibi vindicant; Syriacas alii, alii Chaldæas; pauci Punicas aut Perſicas: quaſi cum imperio eorum, linguarum quoq; defeciſſet cognitio. Alios vulgares delectant magis: Hunc Hiſpanæ majeſtas, illum Italæ venuſtas, alium Germanæ grauitas: alii Sclauonicam, Hungaricam, Polonicam oſtentant. Te vero quis non admiretur ita conjunxiſſe has omnes, vt melius de iis judicare poſſis quam qui diſcunt ſingulas? Quo mihi quidem ſtudio & contentione animi, cum hujus amplitudine vniuerſi contendiſſe videris. in quo nihil ignorare voluiſti niſi quod infra curam tuam poſitum eſſet & induſtriam. Vt in eadem re & judicium tuum admiremur & memoriam. Quippe cum tam multas aut loquaris aut intelligas, plures vero diſcere potueris, quaſdam negligere maluiſti. quia vt par eſſe omnibus poteras, ita quædam tantum dignæ erant in quibus laborares. Iam quis tot rerum ſcientiam cum linguis totidem conjunxit? Quis antiquitatem pariter ac linguas, Græcam, Romanam, ac Hebræam

bræam ita intellexit vnquam? Quis diligentius in Patrum scriptis & vetusto jure versatus est? in quo summum hominem Iacobum Cujacium tam diu audire voluisti. Quis Aristotelis interpretes, quis Archimedis demonstrationes, quis rationem temporis diligentius inspexit? Quid ego nunc de ingenii tui alacritate dicam? quid de splendido orationis genere ac augusto? quam qui legit, statim exclamare cogitur,

τοῖοί τοι ἀνάκτων παῖδες ἔασι.

Nemo tui similis notorema te petit. Etiam ignaro tibi & inuito sermo regius erumpit, neque adhuc post tam diuturnam ac prope inplacabilem fortunæ intemperiem priuato more loqui didicisti. Nihil in scriptis tuis humile, nihil plebeium, nihil triuiale occurrit: nihil quod quisquam summo assequi studio possit, aliud agenti tibi excidit. Quid quod, ne senex quidem, alterius ætatis studia tractare desinis? Nam cum semper optimum & diuinum carmen scripseris, nunc etiam maturum scribis. Quippe vt in arborum fructibus & baccis, quædam suauiores sunt, quas tamen vietas nemo adhuc appellare audet: ita lenitas quædam & facilitas in his tuis elucet, quæ multum a languore adhuc abest. Quæ quidem cum sint maxima, majora sunt tamen quibus ea consecutus es. Assidua vitæ frugalitas, temperantia admirabilis, diuina prope continentia.

tia. Neque enim potest fieri, vt tantam rerum diuersitatem, vna mens, vnus complectatur animus, nisi qui a vitiorum fœditate immunis est & suæ spontis. Aliud agendum, aliter viuendum, aliud omnino quam quod vulgo, cogitandum. Multa negligenda, multa contemnenda, aliqua naturæ aliqua & consuetudini vis inferenda est. Denique cum multas nobis vel illecebras vel diuerticula communis illa parens omnium objecerit, pleriſque abstinendum. Alios libido, quosdam auaritia afflauit: si qui sunt qui multum agere videntur sibi, hi ambitiosi sunt. Vides istos qui in foro ambulant aut litigant: vides alios qui Consulatus aut Præturas petunt, qui in votis suis consenescunt? Istisne tantum superesse temporis existimasti vnquam, vt vel discant, vel nescire se vt quicquam recordentur? Et hos solos tamen sapere pleriq; arbitrantur. Vides alios qui auro incubant, qui spem in lucro omnem ponunt, qui & metuunt amittere quod habent, & quod nondum consecuti sunt, ne vnquam consequantur timent. Habent & hi aliud quod agant, ne vacare sapientiæ existimes. Quod cum scires, non a vitiis eorum modo, sed & ab opinione omni populari & errore, mores sejunxisti tuos, qui vt discere tam multa posses, ante vacuum tot disciplinis animum fecisti. Aliquis libidine diffluit? tu, vt cœlebs, ita castissimus perpetuo vixi-

vixisti, ac ne in vxoris quidem amplexibus aut gremio æternum illum spiritum fregisti. Aliquem insana poculorum intemperies afflauit? tota vita tua est sobrietas. Aliquem ambitio illicitum atque occupatum habet? Tu neque iterum imperium sperare potes quod jam amiserunt tui: quæ sperare autem nemo potest, pridem consecutus es. Vt non eruditionis tantum, sed humanæ attigisse terminum felicitatis videare. Cujus obliuisci si potes, inimicos tuos respice. Mihi crede, qui sis a liuore disces. Nemo perditus aut furiosus vsquam extat, qui non in te primo omnium feratur: nemo imperitus, qui non ex vituperatione tua famam quærat: nemo qui non scire sibi videatur, quod in te notauit: nemo est postremo, qui non vnicum Scaligeri errorem inuenisse malit, quam virtutes aliorum imitari. Quare per hos homines diuinitatem ignorare tuam amplius non potes. tantum abest, vt molestiam aut curam hoc adferre tibi possit. Dicam iterum quod sentio. Cum inusitata tua magnitudine ac fama, cum ingenio hoc tuo tam ingenti, cum absoluta illa eruditione tua ac virtute, aut es imbecillis, si inuidiam contemnere non potes, aut imprudens, si non expectasti. Videris enim mihi, cum tot res tantasque animo proponeres, cum tam longe spes ac vota tua mitteres, & calumniandi necessitatem imposuisse improbis, & conditionis suæ infelicitatem objecisse

ciſſe vniuerſis. Conſummatæ autem præmium virtutis ac ſtipendium inuidia eſt: nec impune cuiquam fuit, laudis exceſſiſſe limites. Cato quantus eſſet in judicio cognouit. Multos a pluribus laudatos quam Catonem conſtat, neminem tam multi accuſarunt. Quiſquis ſupremum gloriæ euaſit faſtigium, inuidiæ occurrit. Multum, mihi crede, effeciſti. Omnium vbique mentes occupaſti: omnes in te vnum conuertiſti: nemini per te otioſo eſſe licet. Vt mihi non de erudirione tantum, ſed & de ſecuritate noſtra, optime mereri videaris. Multi enim, credo, ſunt, qui vel Reſpublicas turbarent, vel inſidias regibus ſtruerent, vel quocunque immani ſcelere ſeſe obligarent, niſi tibi ocium ac tempus nuncupaſſent. Nunc habent in quo ſe oblectent, in quo occupentur, & in re leuiſſima robuſtam illam animi improbitatem terunt ac conſumunt. Si quis adoleſcens ſemidoctus extat, qui in Feſto, aut Varrone, aut Plauto, tria verba legit, a Scaligero diſſentit: ſi quis furioſus temporis metator, male calculum ſubduxit, in Scaligerum incurrit: ſi quis Græcæ aut Hebrææ aut Chaldææ linguæ prima rudimenta attigit, Scaligero obtrectat. Et, quod recordari ſine maxima non poſſum indignatione, quidam in contemptum ſui laudes tuas vertunt, qui virtutis tuæ commendatione multum ſibi detrahi exiſtimant. Sunt qui iras ſuas locant, quibus fame per-

pereundum esset, nisi tibi maledicerent. Qualem superesse ajunt, qui famelicus siccusque e popinis abit, nisi in te & illustre nomen tuum conuiciolum detorsit. qui mendaciis calumniisque prandia & cœnas emit, & in obtrectatione probitatis, gulæ spem reponit. qui cum frustis esculentis probra ac conuicia in literarum principes eructat. Qui profecto si in lucem prodit vapulabit. Nunquam ita male cum humano genere actum fuit vt virtuti patrocinium deesset: neque tantum fuit improborum vnquam, vt deserta boni viri causa ideo negligeretur. Et mihi quidem nihil vnquam magis quam virtutis ratio constabit. Etiam nunc, si quæ ferri poterunt, feremus: si quæ dissimulari poterunt, dissimulabimus. Si quis vero est, quem neque generis majestas, neque morum probitas, nec immensa illa tua deterrere potest eruditio, quin in obtrectatione nominis ac famæ tuæ laudem, in calumniis conuiciisq; gloriam quærendam sibi judicat: non possunt salua literarum dignitate hæc ferri amplius. Quare prodeat in medium quicunque est: nos certamen hoc deposcimus. Neq; enim literas has tantum & ingenium, quod nullum esse in nobis aut exiguum fatemur, sed integritatem, sed candorem, sed amorem, sed inuictam pietatem, ad defensionem adferemus tuam. Nos tibi, magne senex, non scientiam & eruditionem mo-

do noſtram ſed &conſcientiæ fiduciam ac laudem omnem conſecramus. Quicquid eſt in nobis, id ſaluti, id incolumitati, id virtuti deuouemus tuæ. Quin hanc vitam amittemus prius, quam vt inter morſus improborum, inter ſibilos ſcurratum, inter improborum hominum conuitia ac probra, canos tuos deſeramus. Nam quemadmodum, incolumi imperio ac poteſtate tuæ gentis, ſi in bello latus clauſiſſem tuum, aut commiſſam legionum aquilam geſtarem, ſtarem pro te animo inuicto, dum per ipſa vulnera coactus pertinacem animam effunderem, ipſaq; morte vitam anteactam pariter ac fidem tibi commendarem: ita nunc iiſdem armis, quibus a te ſum inſtructus, pro ſalute tua ſtabo. Idemque mecum ſunt facturi, quotquot literas ac eruditionem colunt. Quippe vt in bello magna pars victoriæ habetur, conſeruaſſe ducem, quo incolumi ac ſaluo, ſine damno ac momento miles cadit: ita omnes, qui vel te amamus vel has literas, quæ nullum præter te agnoſcunt ducem, vni tibi militabimus: tibi, Heros maxime, ſecuro quoque & quieto, ſucceſſum noſtrum imputabimus. Itaq; cum cæteri pugnabunt, ſolus tuv inces tamen. Habes eximios virtutis tuæ vindices ac teſtes, doctiſſimos ætatis hujus viros. qui cum laudibus ingenii cum quouis hodie contendant, pluris tamen eſt quod in adûerſarium diſtringunt. Interdum enim iræ aliquid

quid debemus. & si fortiter pugnandum est, nolo nisi concitatus & iratus congredi. Nemo poëtam, nemo oratorem impune prouocauit vnquam: neque parum ingenio eorum addit, quisquis irritat aut lacessit. Nam vt pici inflammatæ aquam qui affundit, non extinguit sed accendit: ita ab injuria poëta sumit animos ac crescit, nec tam facile placatur quam accenditur. Surgit vno die & remittit mulierc ularum rabies ac furor. Hi in sæcula transmittunt iras. quas ne reges quidem, sicut eleganter Plato monet, frustra contempserunt. Hac fiducia, his armis, pro salute excubabimus tua: hos gladios, hæc tela, his sicariis opponimus. quæ vt in corpus innocentis direxisse nefas est, ita pro principe ac duce suo non strinxisse, perduellionis crimen est. Tu immortalibus interim monumentis posteritati consule, humanum genus deuinci, famæ atque existimationis tuæ limites extende. Aut si jam quo crescat laus tua non habet, incomparabili virtutis tuæ & eruditionis recordatione fruere. Ita dico, Magne senex, totus in te redi. Immortali tot scientiarũ ac virtutum laude, tecum fruere, cœlestemque animum totius vitæ contemplatione pasce. Nihil inuenies in ea, cujus pigere te, alium pudere debeat. Ingratitudinem vero sęculi non sine causa accusabis, quod cum omnes omnia docueris, pauci sint qui illud nesciant, pauciſſimi qui fateantur. Ingratos

vero posteros, in hoc agnoscant: nisi tuo ex ingenio humanas laudes metiantur, nisi e tua eruditione hoc sæculũ absoluant. Nos interea pædagogorum furias, parasitorum morsus, criticorum probra ac latratus, tecum vel feremus fortiter vel declinabimus: interdũ etiam calumnias, cum opus erit, retundemus & mendacia. Illos vero Deus immortalis & æterna virtutum tuarum memoria, tortore quouis peius & carnifice, viuos mortuosq; mulctabit.

ORATIO XXIX.

Panegyricus, siue Laudatio Funebris, Nobil. Clariss. Viri Iani Dousæ, Nordovvici & Cattendici Toparchæ, ab adolescente scripta.

PRudentissime, Magnifice Rector, Amplissimi, Clarissimi Præstantissimique Viri, hoc a vobis institutũ est, ne quis his diebus in publico loquatur: Academia tota muta atque elinguis vt sit: ipse denique locus hic augustissimus, hæ cathedræ, hæc pulpita, quæ voce nostra personare solent, funesto silentio luctum suum testentur, nec melius parentẽ suum deplorent quam si nemo audiatur. Vtinam vero id quod reliquis imperatũ est, id nobis saltem concessum esset, qui & omnium casum lugemus, & cum iis nostrum. vt si cum aliis excusari non possimus, affectus certe nomine veniam mereamur. Filium in parentis funere loqui, nemo jussit vnquam. Aliquid stupori con-

conceditur, aliquid mœrori primo datur. Solius doloris prærogatiua est silentium. Nam dum per singultus verborum ordo perit, dum aliquid sibi temporis indulgent lachrymæ, dum animus paulatim cum oratione in gratiam redit, serum est propemodum quod a voce impetratur, neque facilius luctus loquitur quam cum magna sui parte exhaustus est. A vobis vero, Magnifice Rector, Amplissimi Nobilissimi Clarissimique Viri, potissimum ego ad dicendum vocatus sum, quia potissimum lugeo. Vt eodem tempore nec male de facundia nostra, nec bene de dolore judicare videamini. Qui si nondum remisit, nec a tempore solatium habet; metuo ne ibi desit nobis vbi prodesse poterat, & cum dedecore nostro pietatem fateatur suam. Verum enimvero, cum omnium dolere sit, dicere vnius: danda est opera, vt illud quod nobis cum omnibus commune est, leniter feramus: quod vero peculiariter incumbit, ea qua par est animi constantia agamus. Quemadmodum enim in Republica si Principem mori contingat, multi lugent; pauci hæreditatem sibi vindicant: ita magnorum virorum virtutes post obitum Orator commemorat; reliquis dolorem relinquit. Quod si quenquam mortalium, multo magis nos decet: ne hanc terram, in qua natus est homo sanctissimus, inauspicato luctu fœdemus: cum in ea tot fortis-

simi superstint viri, qui facilius sanguinem quam lachrymas effundunt. A cujus potissimum laudibus, vt Aspasia illa Socratica, inchoandum nobis putamus. Cum enim nobilissimorum virorum majores sint plurimi; omnium vero vna, quæ & nascentes excepit, & morientes condidit; de omnibus dici non potest, nisi de vna dicamus: cum & plurimi vnius hujus, & hæc vna sit plurimorum. Sicut itaque heroum suorum initium à Ioue deducunt poëtæ, ita nos a te Regina insularum Batauia: cujus terra non tam orbis totius pars est, quam imago. Nam quemadmodum hoc omne quod colitur, Oceano circumfunditur: ita ciues tui mari cinguntur, mari ambiuntur vndique. Vt tam a natura libertati destinati esse videantur, quam ab animo. Ager neque sterilis, neque ingratus est. qui cum frugum fertilitate vicinis quibusdam, fructuum vero cedat plurimis: his ipsis plus abundat omnibus. neque difficulter a mari impetrat, quod a terra negatur. Vina nusquam educant, & vbique bibunt; linum non colunt, & gestant; ferrum non fodiunt, & cudunt. Gentem si spectes, sola ea est, quam nemo in bello numerat, sed æstimat. Cujus vnius virtutem Romani loquuntur: qui cum subsidium ab his, successus, victorias, triumphos mutuati essent, laudem iis solam reddiderunt.

Eant

Eant certe ad Lunam Arcades, à Cecrope originem deducant Attici, vt in eadem terra natos seſe glorientur in qua vixerunt. Batavos quoque à Gigantibus fabuloſa deduxit antiquitas, & ſuperiorum ætatum fabulæ: nec creduntur tamen. Non enim referre putant viri fortiſſimi, quantus ſit qui vincit; neque corporis magnitudinem ſibi vindicant, ſed animi. Vix nati, nubibus aſſueſcunt, ventos prouocant, imbres ferunt, cum aëre nudo & Ioue contrahunt: quicquid denique mortem inferre poteſt, aut laceſſunt aut negligunt. Mare non accolunt ſed incolunt: qui & olim nauigabant optime, aut natabant. nec enim referre putat Tacitus, brachiis vtantur an remis. Ergo Britanni quorum in mari claſſem expectabant, eorum corpora viderunt: cumque adverſus naues inſtructi eſſent, cum hominibus pugnarunt. Stantes pro mœnibus aliquis interficit, nemo vincit: neque urbes ſuas cuiquam relinquunt, ſed ſepulchra. Vitam nemo poſt libertatem amat. Nihil deſiderant quo abundat hoſtis: eaſque opes arbitrantur, non quas precio, ſed quas virtute emerunt. Bello nec irritant quenquam, nec metuunt, cumque aliæ gentes vel difficilius viuant vel melius, nulla hac lubentius moritur. Hoc cœlum cum hauſiſſet Douſa, hunc aërem, à libertate non potuit alienus eſſe qui in ea natus erat. Ideoque cum videret nuſ-

quam majorem virtutis esse segetem, quam in hac terra; doluit neglectum potius literarum quam contemptum. In prima itaque incude disciplinarum positus, cum facillime vota præverteret, relicta matre studiorum Batavia, Galliam petiit. Nam vt plantæ interdum si transferantur, felicius surgunt: ita ingenia diuina cum fructu plerunque patriam relinquunt. Cumque eadem virtutis sit ratio quæ flammæ surgentis, vt latere diu non possit; facilius sibi amicos inuenit quam doctores: quibus præiret, quam quos sequeretur. neque eruditionem tantum consecutus est, sed & famam. Vigebat ea tempestate magnis Gallia clarissimisq; viris, quorum nunc in albo æternitatis nomina leguntur. Nemo enim Turnebos ignorat, nemo Auratos, nemo Passeratios aut Lambinos. Neque adhuc in hanc insulam Musarum coloniam transtulerat Dousa: ut domi haberet, quod foris sequebatur. Nemo ingenii & eruditionis principem Scaligerum, præterquam in Gallia, salutabat. Nemo humanitatis totius politissimum vindicem Iustum Lipsium præterquam Grudiis adibat. Verum enimvero, sicut Lycurgus leges suas prius didicit quam tulit, Solon cum omnibus vixit, vt Athenis prodesset: ita Dousa tum temporis ea sibi comparavit, quibus hæc Academia hodie ad culmen existimationis pervenit. Ea autem ætate cum nihil esset facilius

quam

quam naturam ſequi, quamuis & antiquitatem totam & hiſtoriam diligenter euoluiſſet, lubentius tamen eo modo loquebatur, quo & Homerus, & Orpheus, & Dodona, & Apollo, & oracula olim locuta ſunt. Memineram enim diuinæ indolis adoleſcens, hanc non naturæ tantum vocem eſſe, ſed & ſapientiæ. Quæ hoc cultu & placuit primum & admiſſa eſt. quia cæteri non docere quidem melius, ſed facunde minus viderentur ſcribere. Hanc laudem ne patriæ ſuæ inuideret diutius, mature ſibi redeundum putauit: neque alii ſcientiam imputare ſuam voluit, quam cui lucem debebat. Quoniam autem ſolo fere ocio ea ſtudia aluntur, quæ nec lucrum affectant, & honores contemnunt; & lubenter ab hominibus ſecedunt, qui nec mores eorum probant, & diverſam viam ſequuntur: ſapientiſſimus vir, in templum bonæ mentis ſe abdidit. Quod neque in vrbibus erigitur, quæ ambitione flagrant; nec in foro, quod ſordibus reorum & lachrymis profanatur. ſed in locis puris & innocentibus, in ſecretis naturæ: ubi facilius ipſam ſapientiam inuenias quam hominem. In his penetralibus ab Egeria olim Numa, Lycurgus ab Apolline, Minos à Iove, Meleſagoras à Nymphis, Pindarus à Pane, Heſiodus à Muſis, ſapientiam hauſerunt. Quam quia procul ab hominibus aſſecuti erant, Diis immortalibus aſſcribebant. Quia autem

autem neminem ſortis ſuæ pœnitere poteſt, niſi qui votis peccare didicit, quæ felicitate ſua creſcunt, neque finem inueniunt, niſi interdum ſucceſſu carent; prius ex his locis ereptus eſt Douſa quam abiit, vocatus eſt quam diſceſſit. Cum enim nobiliſſimus eſſet, latere non potuit: cum patriæ addictiſſimus, non debebat. Exardebant quotidie bella ciuilia, gliſcebat Hiſpanorum furor, qui nondum didicerant, huic genti liberratem non prius extorqueri quam vitam: impetrari autem armis ab iis nihil poſſe, quibus difficilius eſt ſervire quam mori. A ſecuritate ergo ſua, à tranquillitate illa & ex agris, eodem tempore & urbem & obſidionem ingreſſus eſt, & qui ne ciuilem quidem magiſtratum admiſerat, militibus imperauit. Inſtabat ex altera hoſtis ſuperbiſſimus, qui hæc tecta, has aras, hos focos, quos æternitati Muſarum Dii ſervabant, flammis atque incendio jam deſtinabat. Ex altera, rerum penuria, ipſo hoſte crudelior, niſi per hunc eſſet: cujus occaſione non ſimpliciter vſus, paulatim irrepebat, cuniculoſque ſuos à mœnibus ad animos vertebat. Vt non tam à crudelitate periculum jam eſſet, quam à clementia. cum dux hoſtium ſuauiſſimo ariete Douſicam oppugnaret fidem, blandiciis, venia, muneribus. Quibus armis neque gladii interdum pares ſunt, neque muri. Facillime enim ferrum ab auro retunditur, ſæpiuſque

que delinitur virtus quam frangitur. Iisdem machinis ciues mox aliquot adortus, maximam jam stragem sine cæde dederat: cum nec amplius hostes suos vrbs agnosceret, & ab amicis timeret. Solus interea ille in obsessa urbe liber, nunquam cessabat, quin aut scribenda ageret, aut quæ egisset scriberet: solus vim intentatam vincebat, nec ab occulta vincebatur. Quæ omnia æternis versibus posteritati commendabat. Neque prius Lugduno pedem extulit, quam patriam suam, & in ea hanc vrbem, bis vindicasset; armis ab hostibus, scriptis ab obliuione: simulque eidem, quod rarissimum est, libertatem conservaret, & immortalitatem daret. Quo id consecutus est, vt qui ab obsessa vrbe hostem rejecerat, in eandem mox vindicatam Musas admitteret: & qui belli tempestate militibus imperasset, pace restituta Musis præesset. Quæ gloria ad summum vsque vitæ terminum Dousam secuta est. Ex hoc tempore, diuino studio, cui diu animum intenderat, vti non frui, & quæ voluptati nata multi nugantur, virtuti consecrare cœpit. Patriæ Annales versibus conscribere aggressus est. Sciebat, ex illo fonte sapientiæ riuulos manasse omnes. Neminem poësin olim coluisse, nisi vt doceret. Omnem vero scientiam, materia ali, argumenti dignitate accendi, eruditione exquisita absolui. Sicut autem filiam frustra pulcherrimam habuit,

buit, qui eam male elocauit: ita artem fruſtra præſtantiſſimam coluit, qui ſubjectum non elegit. Non de hujus ævi hominibus jam loquor, qui cum feliciſſime rem gerunt, in ſenſus delicatos & inanem verborum ſtrepitum, totam poëſin, ejectam regno detrudunt: ſed de antiqua illa, quæ pulcherrimarum artium comitata agmine, ſuauiter docebat: cujus exemplar Homerus, alumnus eſt Plato. Qui vbique poëtas imitatur, non ubique laudat: quaſi in vrbe ſua eos ferre non poſſet, quos in animo gerebat. Sicut ergo arrogantes liberi qui parentes diffitentur, à vultu ſuo arguuntur: ita diuinus Plato, quamuis Socratem ſectetur, Homerum releget, vbique patrem tamen refert. Explora omnia, vide ſingula, exclamabis, *Sic oculos, ſic ille manus.* Infinita enim ſunt quæ poëtam abſoluant, cum modulatio vix inchoare poſſit. quam olim miſerrimi homines docebant, nunc poëtæ diſcunt tantum. Vt ſi quis in pulchra muliere, nihil præter tunicam amet, aut folium in arbore, aut pampinum in vite. Noluit itaque poëta bonus eſſe, niſi & ciuis talis eſſet & hiſtoricus. Videbat, majores ſuos, viros nobiliſſimos, eorum quæ præclare geſſerant, virtutem quidem ſibi, laudem autem aliis debere. Qui & parce meminiſſe poterant & maligne. Poſteriores autem, paruam veritatis attuliſſe curam, eruditionis nullam. Multa itaque à tene-

tenebris intercepta esse & obliuione, plura ab inuidia. Parum autem interesse, posteritatem si spectes, imbellis sis an ignotus: ignauus vixeris an habearis. Si qui adhuc supersessent, ij non homines jam loquebantur, sed monstra. Gigantes hoc regnum inuaserant, & à terræ filiis deducebatur nobilitas. Quos omnes ille fulmine veritatis ex hoc cœlo dejecit: primusque poësin contulit, ut falsa refutaret, non ut scriberet: primus exemplo suo docuit, non minus sine mendacio poëma esse posse, quam vinum sine fæce aut cœlum sine nube. Hos itaque Annales, exquisitissimo carmine absoluit: quos eosdem studio diligentissimo, pari veritatis cura, partim ipse, partim incomparabilis adolescens filius, & nominis ejusdem & ingenii consors, soluto filo pertexuit. Itaque historiæ leges, cum hoc ageret, servavit; & cum poëtari vellet, non transgressus est. Abeant ergo maligni homines, qui cum Dousam dicunt poëtam fuisse, cætera aut dissimulant aut ignorant. Atque hæc quidem posteris. Cæterum tempus Reip. dedit. In qua ita se gessit, ut præclaram legum scientiam potius didicisse videretur, non vt male admissa damnaret, quam ne committeret: inculpatus ipse viueret, quam alterum probaret. Malebat vir bonus esse, quam aut patronus aut judex. Nos, quod postremum est, justitiam quoque artem fecimus. Itaque eodem tempo-

tempore in curia diſerti ſumus, in vita improbi. Ad eam ille non factus ſed natus erat. Leges ſervare quam ediſcere malebat. Solam integritatem non è libris ſed à natura habebat. Reliqua contemplari, hanc ſolam agere ſolebat. Eos vero miſerrimos dicebat, qui ita ſollicite ocium ſuum virtuti impendunt, vt ne probitati quidem vacare poſſint. Hi ſunt qui cum faſtu ambulant, qui in mores inquirunt, qui de vita judicant: qui in omnibus deſiderant quod nunquam habent. Sicut autem ægri qui medicos diligenter audiunt nec remedium adhibent, nunquam conualeſcunt: ita qui virtutem profitentur tantum, ea carent. Et vt in certamine non fortiſſimo palma defertur, ſed qui vincit: ſic in vita, niſi qui probe agit, hoc eſſe deſinit. Nam & in lucta ceſſare poteſt Hercules, & in palæſtra dormire Milo, & in vrbe ocioſus eſſe Ariſtides. Merito itaque in functione virtutis ſapientiſſimi homines felicitatem locant, non in ipſa: quia multis gradibus à fine noſtro abeſt ſcientia. Quare qui nil pulchrius arbitratur, quam leges ſcire, nondum probus eſt. Sed vt in eadem medicina, nihil facilius, quam helleborum cognoſcere, aut mel, aut vinum, aut quicquid denique valetudini conducit; hæc vero probe miſcere, recte adhibere, artis conſummatio eſt: ita facilius eſt, ſcire quod juſtum eſt, quam eſſe; virtutis præcepta tenere, quam ſequi. Et ſi penitus

rem

rem inſpiciamus, leges prius meruimus, quam fecimus. Vt enim in vrbe in qua nemo laborat, ne medico quidem opus eſt, ita præſtaret leges non eſſe, niſi eſſent improbi: quarum quia probus fere nemo eſt, melior habetur ſcientia. Quare ne hodie quidem ſumma felicitas eſſe poteſt, jura intelligere, cum olim fuerit non habere: neque optimi eſſe poſſunt, qui ſtatuta tantum imperatorum aſſequuntur, cum nemo ante eorum vſum fuerit ſceleſtus. Merito ergo doctiſſimi Græciæ viri, iidemque antiquiſſimi, beatiſſimum ſæculum non illud judicant, quo leges erant optimæ; ſed quo nullæ: ſiue illud cum poëtis aureum, ſiue cum eorum interprete Platone, imperatorium voces. Qui diuinus vir, neque Athenienſium, neque Cretenſium, neque Lacedæmoniorum, neque ſuæ denique Reipublicæ palmam tribuit: verum illi potius, in qua ſine jure æquitas, ſine lege erant boni mores. Cujus ciues non Græci, non Romani, ſed Felices ab Heſiodo dicuntur, ſicut ab Homero Dii. Cum pro duodecim tabulis duæ eſſent; pudoris & modeſtiæ: pro honorario jure, ſola æqualitas. Quibus ſublatis nec vrbibus ſuffecere leges, nec hominibus: ſed cum moribus ſemper paria fecerunt. Illius ſiue ciuitatis incolæ, ſiue ſtirpis propago paulatim eſſe deſiit, ex quo bonum imperati, malum puniri cœpit. Fuit vero Douſa cum paucis: qui quamuis omnium diſci-

plinarum principem, quam noſtri juriſprudentiam dicunt, eſſe fateretur, neque a curia rebuſque forenſibus, improbitate ſæculi adductus, abſtineret; nihilominus vna cum toga & animum exuebat judicis & vultum. Neque domum redibat, niſi ſimul ad ſapientiæ ſtudium rediret. Sicut Alpheum tradunt veteres Arethuſæ miſceri, neque quicquam tamen ab ea trahere: ita ille diuinitati ſuæ intentus animus, ex aula rebuſque civilibus ſe conferebat; nec Muſarum immemor, nec ſui. Ibi omiſſis curarum forenſium anguſtiis, inter chartas amœniſſimas libelloſque ſuos vagabatur: ibi quicquid præſtantiſſimorum ingenia hominum ad nominis immortalitatem ſupereſſe voluerunt, libere peruoluebat. O beatum animum, qui, ſiue a natura ſiue ex inſtituto ſapientiæ, hos in ſimplicitate progreſſus fecerat, vt nihil magis inuitus intraret quam curiam, indueret quam togam. Securitatem enim ſuam magis innocentia, quam legum tuebatur ſcientia, neque vnquam niſi alterius de cauſa inter judices ſedebat. Quæ virtus, qualis ea ſit tandem, ita rara eſſe cœpit, vt vix amplius laudari poſſit: ex quo generoſitatis ambitio, innocentiæ nomen occupat ignauia. Poſſum equidem magnanimitatem in Republica, poſſum vigilantiam celebrare, poſſum æquitatem. Nihil eſt facilius quam judicem integrum, fortem conſulem, ſenatorem prudentem

dentem extollere. Sed qui hæc omnia ne sperat quidem, non jam sapientiæ humanæ modo sed & laudis nostræ excessit terminum. Quia vltimum quod hodie laudatur, ambitio, quod optatur, honor est: qui vt aliquem potentem, ita neminem effecit beatum. Itaque qui ne vota quidem cum hominibus communia habet, hunc cum Diis jam versari judico. quia neque habet quod perdat, neque optat. Ita bis felix est: quippe qui consequitur quæ sperat, & quæ consecutus est, non amittit. Contra qui ambitioni sacramento dixit, bis miser est: quia & cum fortuna & cum cupiditate contrahit: quarum altera sine ratione, altera sine modo, neutra nostræ potestatis est. Nam & quod cupias successu carere potest, & termino: neque magis in manu ambitiosi est, vt multum consequatur quam vt parum petat. Vt omittam, non tam in procliui esse impetrare quæ flagitas, quam amittere quæ impetrasti. Inter duplices ergo fortunæ insidias versatur, quæ aufert & quæ negat: nec a cupiditate recedit, quæ rursus ambit. Qui consulatum inhiat, fortasse nec illum consequetur, & prætura excidet: &, si consequatur, nondum Dictator est. Itaque, si miser non est, non est felix: siquidem ambitioni deest quantum restat; nec vnde veniat perpendit, sed quo tendat. Hi votorum nostrorum sunt scopuli: inter hos

non modo quotidie elidimur, ſed & lubenter jactamur. Vt majoris ſit viri, perire nolle, quam ſervari. Hos ille non patienter modo vitabat, ſed & lubenter. Itaque diuinam ejus virtutem facilius fuit contemnere, quam ſequi: ridere, quam intelligere. quia diu ante hoc ſæculum, hæc virtus laudari deſiit, quam nec purpura cõſpecta movet, nec impetrata dejicit. Qui eodem vultu faſces ponit & ſumit: nec intereſſe putat, domum deducatur an veniat. Vt in magna temulentorũ hominum turba vir ſapiens ſi obambulet, riſum inter eos merebitur, illorũ vitio non ſuo; ita hac ætate non facile eſt tranquillitatem ſimul inuenire & plauſum. Quod cum ſciret vir innocentiſſimus, nunquam ambiit, & tamen conſecutus eſt, nunquam canditatus fuit, & tamen magiſtratum geſſit. Qui cum ſupremus eſſet in hoc genere, minus tamen dignitatis Douſæ addidit, quam accepit. Etenim & contemnendo eum meruit, & quia merebatur contempſit. Nam & is qui maxima petit, tamen ſe ſubmittit, quia & ſervire poteſt, & parere, & blandiri, & ad nutum loqui. Non ferebant autem ſummi in hac Republ. viri, & indignum hujus terræ moribus judicabant, vt is qui & nobiliſſimus erat, & in hoc ſolo natus, ſemper privatus eſſet. Et judicio potius amicorum quam ſuo, tantum patriæ ſuæ conceſſit, quantum alii vix impetrant. Ad Curiam ſe demiſit verius, quam acceſſit. Plurima

& in patria gessit, & pro ea. Legationes obiuit plurimas, nec vllius ore sæpius quam Dousico locuta est Batauia. Neque vllum propterea à pristino suo instituto diuortium fecit, aut à chartis suauissimis recessit: quæ vt juuenem semper oblectarunt, ita senem ad extremum vsque spiritum detinuerunt. Etenim quam ex dignitatis onere securitatem non sperabat, in humanitate collegarum inuenit: quibus nihil lubentius quam ocium suum debuit. Nec in moribus quicquam vnquam mutauit, quia majoribus se dignum judicabat. Infelices sunt quos aura plebeia tollit, qui tum demum æstimare se incipiunt, cum salutantur crebrius & visuntur, qui vltra atrium neminem admittunt, & quos olim amabant, illis vel conspectum imputant. Porro cum eodem tempore & Academiæ curam sustineret & Reipubl. & in toto terrarum orbe esset celeberrimus, neque quisquam Dousam ignoraret, nisi qui humanitatem nondum attigisset, nisi qui omnium simul literarum hostis esset; necesse fuit tam nobilem domum patere omnibus. Ergo obsidebatur quotidie limen, sollicitabantur fores, implebantur atria. Non molesto causidicorum agmine, nec importuno litigantium grege, nec obscena damnatorum turba: sed ingenuarum artium, liberalium scientiarum canditatis: qui cum ex alio nonnunquam orbe delati essent, vt Dousam, cujus

nihil præter nomen viderant, coram intueri poſſent; mirabantur, nihil facilius ſibi vnquam contigiſſe, quam quod poſt tot vota conſecuti erant. Omnes enim, ſine faſtu, ſine inſolentia, ſine ſupercilio, non in ædes tantum admittebat, ſed & in animum. Nihil celabat, nihil ſuſpicabatur, qui maximus innocentiæ fructus eſt. Nemo enim bene de omnibus ſentire poteſt, niſi qui optimus eſt. Nemo fraudem exſpectat, priuſquam fecit: &, ſi per gradus ſuos improbitatem ſubducimus, poſterior eſt ſuſpicio quam ſcelus. Humanitatem ſuam exhibebat omnibus: omnes aut menſa exceptos dimittebat, aut domo. Nemo vnquam ex ædibus illis, aut ſordidum reum, aut prehenſatorem humilem, aut ſalutatorem ambitioſum, exire vidit. Nunquam alios clientes in ſumma dignitate Douſa habuit, quam Socrates, aut Plato, aut Ariſtoteles, cæteræque immortales illæ animæ, quæ procul ab occupationibus publicis, ſub Academiæ umbraculis & Lycei viridariis ſcientias educarunt. Facilitas enim illa, ſapientiæ propemodum ipſius virtus eſt, non hominis; neque quicquam tam ad naturam cœleſtem accedit quam ut multis proſis. Sicut duo formoſiſſima lumina, Sol interdiu oritur; Luna innumeris comitata ſideribus, etiam pecudi paſcenti, noctu lumen præbet: ita viri magni, neminem averſantur, & interdum indignos com-

complectuntur, ne pauciores juvent. Quid aqua fontana purius? Ea tamen per argenteos diffusa rivulos, dum herbas vicinas alit, urticam irrigat, hominemque quemlibet è via sitientem admittit. Quid pluvia utilius? In publico cadit. Nihil optimum est, quod non commune sit. Pulchriora sunt fere quæ neminem excludunt quam quæ multis placent. Denique, si facilitatis originem spectes, à natura est. Iam illud ocium quod justitium indulgere solet, quis vnquam melius impendit? Nam & patriæ hoc reddebat, quod à curia impetrabat, & quoties ab hominibus secedebat, cum libris versabatur: qui cum posteritatem doceant, integriores sunt. Præsertim, ubi veritas spectatur, quæ narrationis anima est: in qua rerum causæ facile ex euentu petuntur, nec aberrat lector, nisi fallat historicus. Porro cum sapientiam multa, prudentiam confirment singula, quæ tantum extremorum est, ut Aristoteles loquitur, & in actionis arcem tendit; ejusque via sit unica, Experientia aut Vsus; qui cum ex diversitate rerum unum constituat, nunquam absolutus est; siquidem cum hac vita terminatur: (nam & observandum ex omnibus quod sequare, & colligendum ex pluribus quod agas; non hominibus tantum sed & sæculis: naturæ autem inclementia cum vix vnum indulserit, & multa adjecerit humana industria, quæ &

ætates longiſſimas conjungere, & diverſiſſimos inter ſe populos contendere, & ex his omnibus judicare permiſit, ut cum vitæ uſus nobis ſit anguſtæ, fructum tamen concedat infinitæ) nihil dignius hac lectione, vel ſenatore inuenit vel hiſtorico. Quædam enim ad exemplum vitæ trahebat, quædam ad ſtyli imitationem ſeponebat, quæ nemini credebat quam ſibi. Servabat enim ea tenaciſſime, nec ab alio rationem exigebat ſingulorum, quam a memoria. Non ut nomenclator parum diligens, cui audacia interdum pro felicitate eſt, & apponit quæ oblitus eſt; ſed ut filo eodem, eodem ordine recitaret ſingula. Meminerunt viri in hac vrbe maximi, meminiſti rerum humanarum ſplendor, Ioſephe Scaliger, quoties inter epulas, & elegantiores menſæ delicias, ad quas literatos ſemper vocabat, cum ovis ſermonem auſpicatus, vix in bellariis remiſerit, integraſque Criſpi ſui aut Cornelii pagellas continuarit. Nobis obſtupeſcentibus interim, quibus jam reliquâ ſordebant fercula: neque quicquam in menſa præ illo ſapere videbatur. Simonidis memoriæ multum miraculi addidit Græcorum ſchola Rhetorum, aliquid fidei detraxit. Nos neque factum dicimus, & fieri potuiſſe non negamus. Nam & majora vidimus, nec tamen Deorum interuentu egemus: cui plerumque illa aſſignant, quæ difficulter perſuadere

dere possunt neque aliter res magnas proponunt, quam intricatas tragœdias absoluunt. Nihil erat gestum quod ignoraret: non Græcorum modo res aut Romanorum; veterum, novorum: sed terrarum omnium & ætatum. Vt quicquid exstitisset vnquam, non tam euoluisse videretur, quam circumferre. quod totum in eo inchoarat natura, perfecerat industria. Nullam enim schedam se doctiorem habebat: nec malebat quicquam scribere, quam scire. Qua ratione id assecutus est, vt vbicunque locorum esset, non jam bibliothecam habuisse videretur, sed esse: nec legisse multa, sed nihil ignorare. Hunc itaque vir summus studiorum suorum fructum vidit, vt eruditissimus, vt celeberrimus esset: hunc vitæ, vt innocentissimus. Quis igitur lubentius mori debuit, quam qui semper se victurum sciret, & inculpate vixisse meminisset? Qui omnium judicio & suo, virtutis finem attigisset & scientiæ? Quamvis ergo summæ vitæ felicitati nihil addi potest ab ipsa, potest tamen accedere testimonium mortis: quæ nouam vel exhibet vel promittit. Itaque priusquam è vita excederet, integro adhuc corpore, in secreta animæ admissus, gaudium immortalitatis delibavit: quodque mortuis euenire solet, jam moribundus præcepit. Quippe cum paulatim sine cruciatu ullo, è statione sua abire beatissima pararet anima; ecce

tibi, ſubito & præter exſpectationem omnium, exclamat ille, amiciſque aſtantibus, Quid, inquit, an ſolus audio? Quis iſte ſonus eſt? Quæ iſta modulatio? Diu prius omnes admirati, cum nihil ſentirent, viderunt tandem, id quod res erat, virum diuinum, cœleſtibus initiatum myſteriis, non amplius humana loqui, animumque puriſſimum inter celeritates æternorum orbium, ſiderumque concurſus, è quibus jam olim delapſus erat, iterum errare. Quæ cum, proportione æqua, intervallis diſtincta imparibus, concentus edant ſuauiſſimos; æternitati vicina mens noſtra, ſi nec arcte hæret, nec in immundo verſatur corpore, ejuſdem naturæ ſonitum admittit, quem improbitatis nubes intercepit. Eadem enim virtutum eſt ratio, quæ animorum, quæ ſiderum; partium nimirum æqualitas. Quæ ſi turbetur, facillime obſurdeſcimus. Surditas perpetua animorum ſcelus eſt. Huic intentus animus, neque concentus diuinos admittit, neque ſiderum impulſus ſuaviſſimos audit, neque beatiſſima harmonia fruitur. Fruuntur autem innocentium virorum animæ: quibus hoc conceditur, ut priuſquam homines eſſe deſinant, immortales fiant: priuſquam è terris recedant, cum Diis verſentur. Tum demum puriſſimus ille ſenſus, explorator ſiderum, venit. qui priuſquam è corpore abit, ad ſe redire ſolet, gaudiumque

ſuum

ſuum ſentit priuſquam habet ; fruitur priuſquam conſecutus eſt. Crœſi filium ferunt, cum vocem toto vitæ tempore emiſiſſet nullam, viſo percuſſore patris, exclamaſſe: idem ſanctis viris euenire ſolet. Violentum eſt, quicquid eſt quod nos cum Deo conjungit, legeſque corporis facillime tranſcendit qui mox ſine eo futurus eſt. O felicem animam, quæ nondum ex hominibus receſſeras, & jam cum Deo eras: nondum cum corpore divortium feceras, & jam illud relinquebas: nondum mori poſſe deſieras, & jam æternitatem inchoaras. Miſerrimi ſunt, qui cum morte contendunt; tu illam præueniſti. Miſerrimi ſunt, quos improbitatis ſuæ ſenſus conſtrictos tenet: tu virtutis tuæ præmium jam deguſtabas. Nec cum morte felicitatem adibas, ſed prægreſſus eras. Beatiſſimus igitur ſpiritus tranſlatus eſt, non diſceſſit: locum mutauit, non reliquit; quodque humanæ felicitatis ſupremum eſt, nec dolore expreſſus, nec morbo labefactus. Sicut fulgur nubem ſiccam facillime perrumpit, exhalatio humida cum lenta & caliginoſa diu luctatur: ita inculpatus animus e puro corpore cito fertur, ſceleribus contra inquinatus, tarde recedit. Non vacat cogitare quantum nos amiſerimus, cum cogitamus quantum tu conſecutus es. Et tamen infelices ſumus. Eodem enim tempore, & Parentem requirit Academia, & Senatorem Curia,

Curia, & civem inculpatum patria, & hiſtoricum Batavia. Delicatus aliorum luctus eſt. Patrem deplorat aliquis aut matrem: fratris cauſa publicum non videt, affinis cibum non capit. Anguſta ſunt hæc nomina, & quæ ſuis concluſa parietibus limen non excedunt. Nos in eodem hæc omnia, ſed quod plus eſt, omnes. Neque tantum teſtari luctum poſſumus ſinguli, quantum debemus univerſi. Singula tempus requirunt, ſingula ſpacium merentur, ſingula oratorem flagitant. Nos noſtra loquimur: reliquorum prætermittimus. Si quis vero veſtrum eſt, Auditores Nobiliſſimi, qui præſtantiſſimi viri merita non ignoravit, is ſaltem cogitatione nos juvet. Cogitate quantum Reſpubl. amittat, quantum Curia, quantum hiſtoria: nec enim aliorum mala commemorare poſſumus, qui vix noſtra feramus. Nos vero qui eodem gradu Douſam contingimus: quos literarum conjunxit non ſanguinis neceſſitas, quid agemus? Quid ego? qui ſi Douſam non lugerem vobiſcum, patrem tamen ſolus lugere debebam. Quem ille ſuis oculis & propemodum his ſtudiis cariorem habuit: cui tot diuinis verſibus famam, cui nomen, cui ætetnitatem reliquit. Ego vero, Deus immortalis, naufragium hoc omnium laborum meorum & curarum pertinaciter feram. Vt is quem vos incomparabili ſtudiorum ſuorum autore, patrono, inſpectore, teſte, fautore

fautore mulctaſtis; is eorundem ſtudiorum fructu reliquos omnes poſthac mulctare incipiat. Neque aliter ſanctiſſimi viri manes quam æterno ſilentio mactabo.

ORATIO XXX.

De Poëtis & eorum Interpretibus. Habita, cum adoleſcens Theocritum interpretaturus publice eſſet.

AD alteram profeſſionis meæ acceſſurus partem, Auditores Nobiliſſimi, Græcorum poëtarum interpretationem, prouinciam nec pœnitendam nec leuem; duo optabo. Primo, vt pauci hic adſint, qui poëticen oderunt: ſecundo, vt pauciores, qui nimium feſtinanter eam amplectuntur. Quorum alteri diuinam facultatem contemnere ipſi, alteri apud omnes in contemptum adducere ſolent. Alteri verbis illi obſtrepere: alteri re ipſa dignitatem ejus in dubium vocare. Alteri dum nunquam de ea cogitant: alteri dum ſine eruditione ad eam accedunt. Quorum ab vtriſque non ignoratione tantum illius facultatis cui nocent, ſed & reliquarum omnium peccatur: quatum hanc interpretem, ducem, reginam, conſtituit occulta diuinitatis ratio. Non agam vobiſcum, Atticorum more rhetorum, qui exordia circumgeſtabant quædam, quæ quibuſlibet cauſis, rebus, argumẽtis, applicabant. Cauti videlicet homines eam ab auditoribus beneuolentiam initio poſtulabant, quam ei rei, de qua dicturi

dicturi erant, deberi desperabant. At vero facultas nostra neq; violēter ab vllo exigit quod est, neq; sibi ipsa tribuit quod non est: cum extra eam sit nihil. Itaq; aut odisse hanc oportet, qui ignorat reliquas: aut qui hanc ignorat, nescire omnes. Duo antiquissimi philosophi constituerunt, ad quæ reliqua referrent; Deum & Poëtam. Alterius munus esse existimabant, quotidie agere: alterius, quotidie imitari. Vtrumq; homini opponit Plato. Nam & homo tum demum præstat, cum mente sua vtitur: poëta tum demum, cum sua caret. Rursus opponitur ab illis, Dei præsciētia, quam προγνοιαν dicimus, prudentiæ, quæ προμηθια appellatur. Hujus prudentiæ opus ars est, quæ non a Deo sed ab hominibus excogitata est: illius, quicquid homines ignorant, poëtæ sciunt, quotiescunque exuto homine, vniuersi præsidem in se admittunt Deum. Sicut ergo Dei præscientia, quæ absolutissimum opus præstat, prudentiæ opponitur humanæ, quæ cæca, imperfecta, limitibus coercetur suis: ita opponuntur ars & poësis. Hac ratione de poësi cum agimus, omni arti, omni disciplinæ, omni scientiæ valedicimus: ne nobis aut manum Grammaticus injiciat, quod ab eo verba mutuemur, aut Rhetor, quod ab eo vim probandi, aut reliquæ scientiæ, quod ab iis demonstrationes petamus. Ars iisdem rationibus quibus inuenta est; ab iisdem docetur a quibus & excogitatur.

Hæc

Hæc neque discitur, quia præceptis caret: neque quicquam ignorat, quia perfectissima est. Itaque & hæc omnia de quibus homines agunt, poëta discit: & quod proprie poëta nouit, homines non discunt, ac ne ipse quidem. Quemadmodum, cum à magnete ferrum trahitur, causa latet, cum ab homine tollitur, cuiuis patet: ita humanæ scientiæ origo apparet, diuinæ ignoratur. Rideo sæpenumero, Nobilissimi juuenes, cum philosophorum scripta tractare soleo, hos Pythagoricos, hos Aristotelicos, hos Platonicos, quosdam etiam ex posterioribus familiis, Successores appellari. Atqui solus poëta discipulum non habet, quia Deum præceptorem habuit: successorem non admittit, quia parem non relinquit. Sicut enim ignis cœlestis cum lumine suo abit, neque tractum post se ostendit; flammæ contra quas videmus, fumo quiduis inuoluunt: ita diuini animorum motus, nihil post se reliquum, præter admirationem & stuporem, habent. Hujus facultatis partes sunt duæ: quarum altera naturæ cognata, coætanea, cum diuinitate cohæret: altera eam complectitur. Altera, quicquid videtur, æquat: altera, quicquid consideratur, comprehendit. Ab altera poëtæ dicuntur: ab altera diuinarum humanarumque rerum consulti iidem nuncupantur. Ex altera probamus, poëtam scire quod ignorant homines: ex altera;

altera; quod sciunt homines, non ignorare poëtam. Alteram earum μελοποιΐαν dicimus: alteram παιδείαν appellamus. Quemadmodum olim musicam diuisit Plato, qui posteriorem partem paulo aliter considerauit. Prioris partis eadem est definitio, quæ universi. Si itaque ex Pythagora quid sit Vniuersum quæras; respondebit, harmonia: si ex Platone quid Poësis, idem de vtroque fatebitur. Itaque si cœlum terramque & quicquid vides, harmoniam dixeris, omnia complexus es: si facultatem hanc harmoniam definiueris, partem ejus alteram, expresseris: ita ut facilius definire sit, quid sint omnia, quam quid sit poësis tota. Pater harmoniæ numerus est: ad quem mathematici linea & superficie peruenire solent, ut primum natura, postremum ordine. Porro sicut ex æqualitate numerorum quicquid est absoluitur: ita ex eadem anima consistit: neque melius animam definiueris, quam si organum dixeris. Quod organum bene temperatum, non solum cum se ipso, sed & cum natura consonat: atque ita, impellente Deo, harmoniam absolutam perficit. Rursus inter hanc musicamque nostram, eadem est harmonia, quæ inter illam & reliqua. Socratem pridie quam ad Deum profecturus erat, in Phædone, (quod Platonis scriptum nunquam sine lachrymis lego,) monebat aliquoties Deus, vt priusquam è terra

terra migraret, musicam experiretur. Volebat quippe sanctum senem, prius scire quid poëta esset, quam quid Deus: quia sine gradu proximo ad diuinitatem non peruenitur. Anima præterea prius cum musica aptanda erat, quam cum vniuerso misceretur. Paruit ille, hymnum conscripsit, fassusque est exemplo suo, plus poëtam esse, quam Socratem: sicut minus est poëta, quam Deus. Ego summam Socratis felicitatem fuisse existimo, quod poëta prius esset, quam è terris excederet: sicut maximam calamitatem quorundam, quod prius homines esse desinunt, quam sapere incipiunt. Atque hæc causa est, cur Pythagoras, priusquam somno se daret, fides impelleret, vt nimirum animum diuinitatis suæ moneret, Asclepiades vero medicus mente turbatos, ratione symphoniæ ad se reduceret. Iam quotiescunque pater harmoniæ Deus, organum poëtæ cum vniuerso temperat, æqualitas illarum partium inæqualitatem corporis excludit, inæqualitatem mentis humanæ obdücit, inæqualitatem rationis nostræ subterfugit, mentem tollit, animam impellit: momento denique temporis, qui homo fuerat, id omne fit, quod profani nunquam erunt: priusque hominem exuit, quam Deum excipit. Vnde à Platone, res leuissima, res celerrima, res sanctissima, poëta definitur. Atque ita prior harmonia à Deo perficitur impellente, altera

ab organo ejus jam impulso, vtramque Plato audacter μελοποιίαν in Ione dixit. Poëta igitur homo non est: quia dum hoc fit, mente privatur: homine major est, quia à majore impellitur. Altera harmonia inspiratur: altera addiscitur. Altera à Deo fit: altera vel à grammatico docetur. Altera à purissima essentia: altera à sordidissimo homine. Vt minus fere inter Deum & poëtam, quam poëtam & grammaticum intersit. Hac ratione famulus poëseos numerus est. Non aliter quam olim philosophiæ Dialogus: quo Socratici omnes, plerique etiam alii philosophorum, utebantur. Sicut enim qui philosophum Dialogistam definiret, contumelioſus esset: ita qui poëtam ex numeris metitur. Quia cum his aliquis non poëta esse potest, & sine his, poëta esse quis potest. Non aliter, quam articulata oratio, hominem non constituit, soluta philosophum: quamuis alteri illa à belluis; alteri hac à poëta distinguuntur. Sicut autem vetus Comœdia profanatio philosophiæ à quibusdam habita est, quod Dialogo abuteretur: ita dignitatem nostræ facultatis, cum sibi numerum vindicat Grammaticus, contaminat. Atq; hac parte poëta diuinitatem; altera humanas disciplinas ad se trahit. Quæ quidem pars παιδεία à nobis dicta est. Ad quam jam pervenimus. Hæc est antiquissima illa Deûm hominumque conciliatrix sapientia: quæ qua ratio-

ratione, quo jure, ad poëtam peruenerit, audite. Porro si quis prius ex hac ipsa, poëta quid sit, ostendi postulet, viciſſim ab illo, vt quid non sit, ostendat, petemus. Cum igitur absolutissima illa vniuersi anima, Deus, aut quocunque tandem nomine illud appellamus, quod prius, quam quæ sunt, fuit, magni sui operis contemplatorem, hominem feciſſet, duo illi munera largitus est: quorum altero à reliquis distinxit: altero post reliqua perfecit. Rationem efferendi, & concipiendi dico: quarum hæc ab Aristotelicis ἐνδιάθετος, illa προφορικὸς λόγος dicitur. Hæc in ore nascitur, & leuiores disciplinas complectitur, quæ probabiles vocantur: illa in animo sedem suam habet, & earum est quæ principiis muniuntur. Porro cum mundo recens nato, scientiæ omnes, omnes disciplinæ in medio constitutæ essent, non secus quam terra, vt nimirum occupantis futuræ: eas autem non minus necesse esset transfundi ad omnes, quam ab vno inueniri; ibi animi nobilissimi & qui plurimum diuinitatis haberent, mente eas occuparunt, sermonis vi propagarunt. Cum vero sermo duplex esset; tardus ille & claudicans, quique adhuc cum chao luctaretur: alter velox, expeditus, levis; qui celeritate Deo proximus, volubilitate cœlo par, numeris naturæ æqualis esset: ibi numerosa oratio, partim cognationis

jure quæ Dei sunt; partim naturali inuasit, quæ nullius erant. Propterea & in rythmo & harmonia Platoni ἡ παιδεία consistit: quæ duobus his vtilitatem affert. Siue enim Chaldæos sapientes respicis; sero nati sunt vt prophetas: siue Græcos, sero vt poëtas præuerterent. Porro sicut campi & agri, ita scientiæ omnes & disciplinæ limitibus carebant. Omnia vnius erant: vna omnium. Postquam vero campi terminos, disciplinæ limites receperunt; justitia ab his exulauit, poëtice ab illis. Ita neque homines vim a se arcere potuerunt: neque disciplinæ artes sordidas. Nam & nauta, & faber, sapientes dici cœperunt. Nec immerito. quia vt mechanicus operis sui principium in se habet, ita & artes reliquæ: poëta autem ex alio. Cujus prima pars a Deo agi, secunda cum hominibus scire. Sicut proinde prioris genus ab Aristotele constituitur, imitari: ita posterioris a Platone, docere. Docuerunt igitur primo poëtæ, ante homines sapientes, post Deum absoluti. Quia autem sapientes ab iis fiebant reliqui, poëtæ non nisi a Deo; sicut paulatim a Deo homines, ita reliquæ disciplinæ ab hac defecerunt. Illud tamen ipsum quam non inuitæ agnoscant, audite. Rhetor si de rebus diuinis agat, nomen amittit, & Theologus vocatur: Logicus si de triangulo scribat, Geometra: nulla denique nomen suum tueri aut conseruare potest. At vero quis, pro Deûm atque homi-

hominum fidem, Orpheum alio quam poëtæ nomine appellauit vnquam, quod de rebus diuinis primo scripserit? Quis Empedoclem, quod de rebus naturalibus, quis Theognin, quod de moribus, aut Nicandrum, quod de medicis, aut Homerum quod de omnibus? Nisi forte Hesiodum agricolam dicendum arbitremur, quod de hac præcepta tradit: aut Theocritum bubulcum, quia eos imitatur. Atqui hercules scire omnia, poëtæ est: poëtam esse, vix est hominis. Nam & qui poeta est, jam scit omnia, & qui scit omnia, nondum tamen est poeta. Atque hæc causa, cur de singulis cum agit disciplinis Plato, poesin τὸ ὅλον vocet: quia reliqua ad eam se habent, sicut singula ad omnia, partes ad totum. Grauissime itaque errarunt ex Aristotelicis nonnulli, qui τὸ θεωρητικὸν poetæ λόγον tribuunt, τὸν ἐνδιάθετον non recte demunt. Atqui, vt ex jure veteri, seruum qui habet, peculium possidet: ita quæ tot disciplinas sub se comprehendit, principiis non caret. Cujus nisi fallimur erroris causa est, quod fabulam & demonstrationem inter se pugnare existimant. vt verum nempe & falsum. Cum, quemadmodum fabula falsa proponit, vera autem docet; ita demonstatio obscura esse possit aliqua, nulla falsa. Sicut igitur primus qui agit, Deus est, ita secundus, qui imitatur, Poeta. Sicut actio non vna est, ita non vna est imitatio. Sicut ad agendum varia

ſcientia opus eſt, ita ad imitandum diuerſa. Porro Ariſtoteles in libro poetices, cum genus poeſeos, methodo vſitata, ex diuerſis ſingularibus, imitationem conſtituit; nihil quam priorem partem attingit. Quicquid autem in reliquis omnibus conſcripſit, ad παιδείαν ſpectat. Ita ſicut beneficii loco, philoſophi, Homerum, primum philoſophorum conſtituunt: ita nos, quicquid in Ariſtotele eſt, ad poetam ſpectare dicimus: ipſum poetam eſſe, propterea non concedimus. Agit enim poeta de omnibus, verum modo ignoto reliquis. Nam & Ariſtoteles, vbi de poeta agit, poetam non perficit: & vbi de reliquis omnibus, poetam non excludit. Qui poetam enim formant, quod præcipuum eſt, prætermittunt. id quod ἔνθεον vocamus: & qui cæteras diſciplinas tractant, poetarum limites non excedunt. Quare, quemadmodum poetæ eſt ſcire omnia, ita & interpretis, ea interpretari: limitem enim qui interpretatur non magis habet, quam is quem interpretatur habuit. Quamobrem, cum omnes ſigillatim diſciplinas enumeraſti, ex omnibus nihil amplius quam poetam effeciſti: & cum poetam dixiſti, ſingulas comprehendiſti. Neque alia cauſa eſt, cur viri in omni literarum genere præſtantiſſimi, reliquos interpretes, terminis quibuſdam anguſtiſſimis concludi, poetarum vero per omnes impune diſciplinas vagari voluerint. Sicut eleganter dicebat

dicebat olim Angelus Politianus, vir maximus, qui memoria patrum Florentiæ poëſin docuit, priuſquam ad philoſophiam peruenirет. Docent autem poëtæ, partim quod in arte ſua diſcunt ipſi: partim quod in aliis reliqui. Quod autem poëtæ ſciunt non diſcunt, reliqui non diſcunt, & ignorant; Deo relinquitur. Ita & ipſi interpretes, in poëtarum ſcriptis omnem ſapientiam docent: non tamen poëtam efficiunt. Atque hæc eo dicta ſunt, partim ut ſapere ſaltem diſcant illi, qui poëtæ eſſe nolunt. cum poëta eſſe poſſit nullus, qui non ſapiat: ſapere autem poſſint multi, qui poëtæ nunquam ſunt futuri. Partim, ut veniam à vobis impetremus, quod ne quidem pares tanto accedamus muneri: ne quod nobis deſit, id poëticæ imputetis, ſed quod illi ſupereſt, id nobis aſſcribatis. Illud futurum ſpero, vt facilius jam vobis unum è multis poëtam interpreter, quia omnium jam cauſam probaui.

ORATIO XXXI.

Ad Nobiliſs. & Ampliſs. Academiæ Curatores & Profeſſores. Habita, cum Horatii Odas adoleſcens publice interpretari inciperet.

QVam metuo, Viri ampliſſimi, Doctores clariſſimi, Iuuenes nobiliſſimi, ne cui tacere non licuit, eundem non deceat loqui. Nam & antiquis ad cohibendum toga bra-

chium, annus constitutus erat: & prudentem existimabat juuenem Pythagoras, si tacere posset. Itaque & hoc ipsum, quod nos bene dicere, ille male sapere appellabat: & quam nos dicendo sequimur laudem, illi, priusquam dicerent, jam assequuti erant. Mihi vero, cum ora vultusque vestri, & hic tot clarissimorum virorum conuentus multo amplissimus, omnem tacendi præripiant facultatem; vnum hoc à vobis petam: ut orationi huic, quam vestra mihi præscripsit auctoritas, vestra adsit beneuolentia. Ne melius jubere quam fauere videamini: & postquam mandatis vestris paruero, ab humanitate vestra destituar; qua abuti in præsentia, mihi animus non est. Vbi enim plura id quod agendum est flagitat, pauciora id quod agitur permittit. Grauissimum nobis, Auditores humanissimi, grauissimum onus incumbit, ætas hæc, & illa quam videtis adolescentia: quæ nullis fulta præsidiis, nulla eruditione instructa, nullis ingenii viribus innixa, opem vestram implorat. Quam tamen si ingenuus comitetur pudor, si modestia, si simplicitas, præsidio raro quisquam destitutam vidit. Ego vero, qui me hactenus prætulerim nemini, omnes mihi; tantum à calumniis aliorum, quas juventus nostra vix interdum deprecatur, abesse existimo; quantum ab eruditione absum ac scientia. Ætatem hanc omnem in di-

scando consumpsi; ad docendum nunquam hactenus, ac ne nunc quidem, nisi inuitus, accedo. Superbum illud nomen, ignoscite, si detractet mea indoles: veniam date, si abhorreat natura: æqui consulite, si mihi cum pudore prius & modestia certandum est quam voluntati vestræ morem geram. Ego, Viri clarissimi, dum in illustri hac vixi Academia, tot præceptores habui, quot hic videtis viros: neque quenquam, vel inferiorem me ætate, putaui, sub quo non tantum proficere me posse existimarem, quantum mihi quotidie deesse videbam. Reliquæ vero felicitati meæ & illud accessit, quod quemadmodum communibus in viuendo elementis, ita publicis in discendo præceptoribus sum vsus. Nam vt magnus ille Sol, non minus omnibus lucem suppeditat terris, quod quisque in patria exorientem eum videt: ita præclarorum virorum monumenta, non ad singulos minus, quam ad omnes pertinent, si quis iis recte vtatur. Iosepho primum Scaligero, cujus vos hic vultum & expressam magni Cæsaris imaginem coram videtis: ingenium admiratur vterque orbis. Quo quidem nomine, Heros illustrissime, maxime mihi venerandus esses, nisi propiori tibi junctus forem. Pater enim mavis vocari. Ita docuisti me non solum cum multis, sed amasti etiam cum paucis. Absit vero vt & te præteream,

Vulcani clariſſime, cujus ſcriptis publice, lectionibus priuatim, tantum debeo, quantum vni tibi me debere gaudeo. Et hi præcipui quidem, non omnes tamen. Tot enim præceptores putaui, non quot me docuerunt hactenus, ſed quot docere poterant. Ita plures doctores colui, quam habui: plures veneratus quam expertus ſum. Ante omnia vero, frænis quibuſdam juuentutem hanc ab aliorum contemptu vindicaui: me quotidie, tanquam in ſpeculo, mihi demonſtraui. Exiſtimaui enim, ſi ignorantiæ meæ probe conſcius eſſem, de aliorum ſcientia facilius judicaturum. Inflat enim eruditio vel modica, niſi à ratione regatur. Suauis eſt, Auditores humaniſſimi, ſuauis eſt ambitio, hac præſertim ætate: non oppugnat animum, ſed flectit: ducit, non trahit: & cum voluptate quadam in perniciem abit. Præſertim vero, quotieſcunque meretricula illa, ſanctiſſimæ matronæ virtutis larvam induit, & aliena pudicitia probat ſuam. Ipſum hoc monſtrum patrocinatur ſibi, neque admirari ſe prius incipit, quam alios deſpicere: denique cum vnum ſit vitium, bis peccat. Præcipue vero puellis his noſtris, quas ſapientiæ præſides antiquitas voluit, vim infert: nec de aris & focis, ſed de pectore humano, cum illis contendit. Narciſſum olim juuenem pulcherrimum amabant hæ Nymphæ, Nymphæ, inquam, Muſæ illæ noſtræ,

quas

quas κατὰ γλῶσσαν Græci, vt cum magistris loquar, Νύμφας dicebant. Audite, quæso: infelix iuuenis, virgines castissimas, nec illocabiles, à se reiecit. Amorem sibi reseruare cœpit, se amauit, sibi placuit: in fonte gloriæ nimirum & ambitionis, sese contemplatus est. Ita eodem tempore & rivalis fuit omnium, & amator sui. Quid vero? Fugiunt eum Nymphæ,& quæ prius deperibant nunc relinquunt Deæ. Quæris, iuuenum perditissime, cur te amaris? reliquos contempsisti. Quæris, cur reliquos contempseris? te amasti. Hoc vero in amore miserrimum est, quod in reliquis optari solet.Riualem non habent hi amantes: se mirantur, sed sine æmulo: se ambiunt, sed sine competitore.Semper ambiunt,nunquam exorant; semper proci sunt, nunquam mariti. Non enim facile consequuntur quod amant: cum sit idem, & qui amat & qui amatur; qui petit, & qui petitur. Hæc pestis adolescentiæ suauiter obrepit; iuuentuti leniter adblanditur: vtramque vero ætatem opprimit. Optandus hostis est, qui publice bellum indicit, qui ariete muros quatit, qui vultum vultui, pectus pectori, pedem pedi opponit. Hæc priusquam apparet, opprimit: priusquam prouocat, victrix est. Huic ego hosti teterrimæ, coram vobis, Viri Clarissimi,in hoc illustrissimo hominum summorum conuentu, hodie bellum denuncio. Non aqua & igni, quod dici solet,

solet, sed hoc pectore interdico. Abeat, excedat, faceſſat, in exilium ſe conferat. Triumphum de ea non ducam præter eum quem virtus parit: quæ hoc ipſum præmium eſt quod meretur. In ambitione expugnanda ambitioſus non ero. Spolia ejus tholo non affigam: fumus enim ſunt & vmbra. Solum vero mihi id contingat, vt hoc ipſo die prius a modeſtia quam ab eruditione vobis innoteſcam. Non cadit in ætatem hanc ſcientia, non cadit eruditio: ſed quo vtrunque comparatur, labor & induſtria. Hæc ſibi vindicare poteſt quiſquis appetit, hæc poſſidet, quioptat. Hæc in elatum non cadunt animum. Quicquid enim præoccupat opinio, nunquam aſſequitur induſtria. Contra vero facile omnia conſequitur, qui omnia deeſſe ſibi videt: facile in ſcientia proficit, qui ea ſe carere nouit: facile diſcere incipit, qui neſcire ſe prius didicit. Humilitatem ſequitur Sapientia. Montes odit Dea illa, valles amplectitur. Videte colles camporum & tumulos. ſublimiores ſunt infra, quam vt fontes ad eos perueniant; proniores ſupra quam vt imbres in iis permaneant. Planities contra, campiq; ſedentes, lenibus aquarum ſcatebris irrigantur. Eodem modo ſcientiam excludit, qui non prius faſtum excluſit. Opinio ejus neceſſe eſt e pectore migret, priuſquam adueniat ipſa: perſuaſio eruditionis pereat, priuſquam naſcatur eruditio. Ad ætatem vero

vero hanc quod attinet: affirmo vobis, Viri clariſſimi(quod ſine ambitione poſſum) ego horas diligentia, menſes labore, annos induſtria æquabo : ſingula dierum veſtigia premam: ſingula temporum puncta & momenta inuadam. Ætatis enim curſum inhibere nemo, quiuis vti poteſt. Similes nos ſibi natura eſſe voluit. Diligentiſſima eſt illa mater noſtra: gignit vt corrumpat, corrumpit vt gignat. Ita cum vtrumque agit, in neutro ceſſat tamen. Si ceſſare enim poſſet, poſſet non eſſe. Nunc agendo aliquid, omnia conſtituit, ſe tuetur. Ei quiſquis eſt diſſimilis, ſpurius & illegitimus eſt. eſt autem qui ceſſat. Sicut enim motu ſublato natura non eſt, ita generoſus animus ocio non torpeſcit, ſed perit. Si quis enim ſit, Viri clariſſimi, ſi quis ſit, qui hoc cœlum ſupra ſe, & errantes illos ignes, infra hanc terram nunquam ceſſantẽ, ocioſus ipſe intuetur, hoc eſt, teſte cœlo deſidioſus eſt, hunc ego hominem, aut certe id quod nos ſumus, vt eſſe credam, nunquam adducar: quibus hoc vno nomine mors grauis eſt, quod in ea quieſcendum putemus. Ita autem fiet, vt quo longius ab eruditione abſum, tanto plus temporis mihi ad eam vindicem : & quo minus ad vos ſcientiæ adfero, tanto plus vobis promittere poſſim. Difficillima hic, nõ nego, victoria eſt. Reliquis cum hoſte, mihi cum adoleſcentia, id eſt, mecum, decertandum eſt: qui victor eſſe non poſ-

ſum,

sum, nisi vincar: nec superior e pugna euadere, nisi prius succumbam. Sed tamen ad discendum nihil minus serum est quam id vnde incipitur. vt dolendum minus mihi videatur, quod ætatis parum huc adferre possim, quam gaudendum, quia multum restat. Fingite vobis, in Circensibus certantes duos: hunc ad metam, sed cessantem; illum in carceribus, sed currentem. Hic qui cessat, victoriæ est proximus: qui non cessat, eam consequitur. Ita alter victor futurus judicatur; alter est: alter peruenit ad metam; alter prope tangit. In currente enim nihil tardum: in cessante nihil est maturum. Ætas est, quæ addiscere possit: animus, qui optet: mens, quæ gloriam nec contemnit, nec effuse expetit: quorum alterum virtus est, sed paucis laudata: alterum vitium, sed magnorum virorum. Nunc autem ad vos venio, Viri clarissimi, vt ad Horatium nostrum (de eo enim nihil dicturus sum, quod multa ad eum dicēda esse videam) peruenire queam. Ac primum ad vos, Heroes nobilissimi, teque adeo, Iane Dousa, celeberrimæ hujus Academiæ Curator dignissime, clarissimi hujus ordinis antistes maxime; tibi, inquam, sicut gratias ago, quod vt filii loco semper me habueris, ita ipso hoc die, præter motem, non tuum modo, sed & hujus Academiæ, præsentia tua, quanti me facias, testatum volueris: sic te per humanitatem tuam, reliquos enim indoctio-

nes

res per eruditionem, Douſam per virtutem illi propriam obteſtari ſolemus: non quod hæc ſola ſit virtus tua, ſed quod prima: majus enim eruditionem promouere, quam habere; in aliis fouere, quam in ſe admirari. te igitur, vir maxime, oro obteſtorque, vt tantiſper dum me audies, eruditus eſſe deſinas: ſcientiam ſeponas, beneuolentiam induas. Tecum autem quomodo, aut quibus tandem verbis agam, Neoſtadi ampliſſime? Quem ante annos viginti doctorem hæc Academia habuit: nuperrime patrem accepit. Gratulor ergo, gratulor, Vir magne, vtrique noſtrum: tibi de honore nouo: mihi de beneuolentia hac tua. Qui primum tantæ dignitatis compos, non prius in hanc vrbem quam in noſtrum hoc auditorium veniſti: vt, ſi digne de te loqui hoc loco velim, publica mihi voce opus eſſe videam. cum omnes tibi tantum acceptum ferant, quantum oratio mea perſoluere non poteſt. Te vero, incomparabilis Scaliger, vt amare debeo, ſic metuere nonnihil non poſſum: non quidem, vt natus parentem: verum vt qui timide cauſam ſuam agit, judicem: non quin cauſæ confidat, ſed quod de ſe deſperet. Præterquam enim quod ignotus mihi non ſum, diuinam ingenii tui vim, cum inexhauſta ſapientia, perſpectam habeo: cui, vt quiſque maximus eſt, ita libentiſſime cedit: vt jam Scaligeri nomen (quod de Tullii eloquentia

quentia dixit Rhetor) non pro erudito homine, sed pro eruditione sumatur. Sed tamen a te, Mæcenas magne, *atauis edite regibus*, hoc petam; vt dum me docentem audias, doceri velle existimes. Vos vero, Viri clarissimi, Doctores obseruandi, tuque hujus ordinis princeps, Paule Merula, accipite eum, qui non modo profeciſſe se sub vobis gloriari solet; sed & quotidie id facturum sese sperat. majori cum fructu tamen: vt qui ante a vobis didicit, sed sibi tantum: didicit, vt discat; nunc vero, vt doceat: antehac quæ vni prodesse poterant, nunc quæ pluribus. Sic nihil mihi ascribo: nihil vobis detraho. Nam & vos multos docebitis. & paucos ego: idque ope vestra. Vt jam nec beneficii vos in me collati pœnitere possit, quod id in alios transfundam: nec id ipsum male collocatum videri, quod agnoscam. Vos vero, Iuuenes nobilissimi, accipite socium & commilitonem quondam vestrum, nunc etiam amicum: qui certe optat, tam se in posterum prodesse vobis posse, quam vos hactenus amare potuit. Sed quoniam alterum potentiæ, alterum voluntatis est; respicite æquitate vestra quod adest, supplete beneuolentia quod deest.

ORA-

ORATIO XXXII.

Oratio Scipionis, postquam in Africam veniſſet, ante primum conflictum.

PRæclare eo primum die tibi proſpectum eſt, Miles, cum hos gladios & has manus, inter perfidiam Pœni & ſalutem tuam poſuiſti. Quippe violator fœderum, contemptor Deorum, fidei ignarus, quæ mortalibus ſanctiſſima habentur, omnibus, præterquam hoſtibus, metuendus eſt. Dolus, perfidia, crudelitas, cum ſimplicitate hominum & miſeria, non cum virtute, pugnant: cujus mercedem Deus in aperto poſuit. Relliqua in acie, interque tela ferientium & commiſſas manus, nec autoribus præſidio, nec aliis terrori ſunt: imbellis vero fiduciæ veſtigium in animis relinquunt. Quicquid ſecuritati noſtræ patuit, hoc die euaſimus. In aduerſam terram ſponte venimus; Italiam in Africa vindicaturi, niſi non vultis. Carthaginem petimus, vt Romam ſeruemus. Focos & aras, liberos & conjuges, Deos quoque ipſos, præmium victoriæ habemus. Vinci non poſſumus & ſupereſſe: neque fugere hoſtem, quem per mille incommoda vix inuenimus. Nemo pertinacius amicum quærit. Ventos, & procellas, & iratum Iouem, & quæcunque alii timere ſolent, ſpe pugnandi tulimus: Mortem quoque, hoſtis videndi cauſa, fortiter contempſimus. A quo nihil vos

ſejungit amplius. Patriam, opes, & ſalutem in virtute ac manu geſtatis. Siquidem pugnando vincere inſtantem mauultis, quam prementem fugiendo mori. Inæqualis tergo cum manibus pugna eſt. Stultiſſimum eſt ſalutem ex ea parte ſperare, quæ tantum in vulnus patet. Quicquid conſilio fieri debuit, tum effectum eſt cum licebat; non modo caute, ſed & timide. Quod jam reſtat, in audacia habemus. Maxima enim prudentia eſt, omnia conſulentem metuere, pugnantem nihil. Quippe nec timori locus, vbi metuendo non vitatur probrum, ſed incurritur. Qui in acie extimuit, jam commiſit quod timeri debet. Nam & victus, & miſer, & infamis eſt. Nec timere grauiora poteſt, quam quod fecit. Quin & illa, cui nihil æque metuendum ignaui illi putant, metuentem mors ſequitur, ſequentem metuit. Itaque qui expugnare metum potuit, eodem tempore, & mortem fugit, & hoſtem vicit. aut vtrumque ſaltem contempſit: quod vtroque majus eſt. Quia naturæ vitio fit, vt cadas; virtute tua, ne fugias. Si quis autem veſtrum eſt, Miles, qui vel mori non malit & vincere, vel poſtquam victus eſt, mori non poſſit; abeat, excedat, viris locum relinquat. Ex alio aëre flagitioſum ſpiritū trahat: vbi inter ſcortorum ſuauia, & ebriorum ructum, & eunuchorum greges, & turpi morbo laborantes mares, & exoletorum agmina, petulantē animam expuat: unde

e vita

e vita, tanquam e ganeo, lubidinum satur excedat. Tibi vero dico, veterane, quicunque eodem tempore & vincere cogitat & non mori, ociosus est. Neque magis tua refert, qua parte cadas, quam qua natus es. O quam pulchrum est, cum omnia præclare gesseris, negligenter mori! Multa prius meditanda sunt: quomodo aciem instruas, instantem ferias, fugientem premas. Si quid post hæc temporis supereſt, cogitabis quam sit turpe vinci. Vltimum quod cum dolore magnus vir amittit, libertas est: quicquid vlterius timetur, citra miseriam consistit. Eligè vtrum velis: vel impenditur vita, vel amittitur. Quicquid hodie virtuti negas, cras morti debes. cujus jus non perit, sed diffinditur. Equidem cum vultus vestros video, oratione abuti pudet, Miles. Noui enim ingrata esse verba, cum ferrum in manu est. neq; tantum oratione animo alacritatis addi, quantum mora festinationi demit. Nemo enim recte monetur vt felix sit, nec impellitur, quo volat. Rideo sæpe Xerxis consilium, qui cum mare copiis strauisset, terrā milite replesset, neq; vllum relliquum, præterquam in quo vinci posset, spatium feciſſet, turmis singulis lorarios dediſſe fertur, qui a tergo cessantes ferirent, flagrisq; ad virtutem impellerent. Vt in tanto numero nullus esset, quem non flagellarent vt vinceret, cogerent vt fortis esset. Meo quidem judicio, Barbarorum ignauissime,

non exercitum ducebas, ſed armentum: neque dux eras, ſed bubulcus. Bobus orbem impleras. Pecudes prodigioſa iſta tua claſſis vehebat. Græcorum vero etiam me miſeret, ſi aliquid ab his timere potuerunt, quorum nemo ibat ad prælium, ſed agebatur. Lacedæmonios vincere potuiſſe, non miror; ſed voluiſſe indignor. Poterant enim fuſtibus cogi vt recederent, qui loris impellebantur vt venirent. Indignanimi, vt video, nec tam fractam Barbarorum ferre ignauiam poteſtis: neque hoſtem amplius timetis, ſed turbam. Pauciores enim eſtis. Credo. Sed Romani tamen: etiam animo pares, vbi numero inferiores eſtis. Nemo de fortioribus quærit, an ſuffecerint: nunquam pauci ſunt, qui vincunt. Hoſtis Pœnus eſt: cujus nemo fortis quicquam præter fraudem timuit. Mens ſubdola, ſceleſtus animus, Dîs hominibuſque, poſtremo ſibi inuiſus ipſe. Quantum immanitate poſſit, illuſtre documentum vos eſtis: quorum tormentis cruciatibuſq; propinquos patreiſq; ſuſtulit, aut indignas hominibus leges præſcripſit: citra mortem maxime crudelis. Venas palpitantes, ſemimortuoſque vultus & errantes oculos, lætus intuetur. Gemitus & ſuſpiria ſæpe morientium audit cupidus. Neque enim clades veſtras jam repeto: ne dolorem potius animi quam fiduciam pariam. Ticinum, & Trebiam, & Traſimenum, & fatale impe-

imperii noſtri vulnus Cannas, hic commemorare, antequam dedecora iſta eluiſtis, pudet. Crudelitatem belluæ videte. Militem itinere & oneribus defatigatum (pulcram hercules laborum mercedem) pedis parte immaniter ſucciſa, volucribus reliquit. Alios cum feris, quoſdam inter ſeſe, ſed ad mortem omnes, dimicare juſſit. Etiam in iſta ludibrium quæſiuit. cum terrarum victor populus, pontis loco viam properanti dedit. Vt, quæ alia immania patrauit, nunc omittam. Quæ per omnes Deos uno prœlio penſate. Imperare iis poteſtis, quorum imperium timetis. Si Annibalem metuitis, cum Syphacibus res vobis erit. Quos jam vinci poſſe, docuit Hiſpania. Illum eſſe abſentem Dii voluerunt, non vt ſic euaderet, ſed vt victum ſe audiret, & quas debet pœnas, tandem ſic perſolueret. Sceleſtiſſime hominum, fortis in captiuos: totam hanc immanitatem hodie vlturi venimus. Cauſſa jam vincimus. Fortunam aut exorabimus, aut cogemus. Superos inferoſque tibi aduerſos feciſti. Alteros enim perfidia ac ſceleribus irritaſti: alteros crudelitate tua auxiſti. Quod ſi manes injuria tangit aut penetrat, neque cum vita ſenſus abit; totis cum inferis aduerſum te tuoſque pugnabimus. Erumpent alicunde infelices Romanorum vmbræ, quibus vitam aut extorſti aut miſeriorem ipſa morte effeciſti. Præterea

Miles, quicquid hic vides, nunc Pœnorum, mox virtutis erit. Sed majora sic seruatis. Pulchram vobis rerum natura necessitatem imposuit, quibus felicibus esse non licet, nisi pariter & fortes sitis. Postremo, ne quis de vita magis cogitet quam de victoria, meo consilio effectum est. Naues queis aduecti sumus, jam soluerunt. Inter hostem versamini & mare. Vtrinque mors est. Illinc etiam vincere potes, hinc tantum perire. Quid adhuc dubitas? Miles, jam eligendum est. Aut vinces, aut morieris, aut vtrumque. Nemo certe euadet.

ORATIO XXXIII.

Τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ Καλλιμάχου πατήρ.

Declamatio, ex persona Euphorionis Callimachi Patris, qui prœlio Marathonico stans expirauit.

HOc, quem videtis, Athenienses, sanguine, victoriam vobis peperi. Nemo vulnera filii mei quærat. Sic stetit cum pugnauit. Dubito an moriendo vicerit, an vincendo sit mortuus. Mors certe victoriam non interrupit, sed continuauit. Bis vicit; semel Xerxen, iterum naturam. Mille vulnera pertulit, plura optauit. Totam Asiam sustinuit, nec cecidit: mortuus est, & stetit. Quod potuit mori, culpa Naturæ; quod non cecidit, laus illius est. Rerum Natura, tecum mihi res est. Quare aut cœlestem filio meo animum dedisti, aut mortale corpus? Moriantur qui timere mortem

mortem possunt. Ille nec cadere potuit nec vinci, & coactus est mori. Ille corpus non reliquit, sed à corpore relictus est. Primus est qui naturæ cessit, de qua triumphauit: primus qui viuus vicit, mortuus non jacuit: primus qui virtutis documenta post obitum dedit: primus qui vitæ spatium ipsa morte extendit. Quo honore dignus vobis, Athenienses, videtur, quo præmio? Nam si fortiter in bello cecidisse laus est: ille & fortis fuit, & non cecidit. Quæritis, an mortem timuerit? ne sensit quidem. Sepulchrum ambire debeam, nescio, an recusare. Vtinam loqui post mortem, Callimache, posses, sicut potuisti vincere: responderes hoc modo: Pro sepulchro, Athenienses, memoriã mei vobis mando. Pudet jacere inter reliquos, quorum multi ante mortem ceciderunt, nemo in acie post mortem stetit. Repetunt ignaua corpora terram, & in matrem suam toto impetu feruntur. Abstine manum quicunque es, ne crudelior sis ipso hoste: qui occidere potuit, nec potuit mouere. Nemo mihi statuam erigat. sufficit hoc cadaver. Nemo de Persis erigat trophæum. sufficit hoc corpus. Vos Barbaros virtute vicistis: ego socios exemplo. Cur torpetis manus, cur non amplius pugnatis? An timetis, ne quis non sit crediturus? Ego vos hoc metu libero. Non minus credent posteri pugnasse mortuum, quam stetisse.

ORATIO XXXIV.

Laus Pediculi, ad Conscriptos Mendicorum Patres.

SAcrum morbum esse opinionem, vere pariter ac eleganter, Patres Mendicorũ, ab antiquis proditũ memoriæ est. Cujus tanta vis est, vt si quem vel leuiter afflarit, eum, tanquam vinctum constrictumq; teneat, neq; ad veritatis lucem oculos attollere permittat. Id vero vel inprimis deplorandum, quod judicia, in quibus de salute agitur mortalium, cum semel tenuit, suffragia sententiasque moderetur, & in partem alteram, quodcunque animo concepit, ferat ac decernat. imo hercules pro judice se gerat. Quod in causa rei nostri manifestum esse, quis tam nullo præditus est sensu, qui non fateatur? Pediculum hunc, celebre animal ac cuiuis notum, hospitem ipsius hominis domesticumque, ortum ex homine ac creatum, in iisdem focis ac laribus eductum, ejusdem fortunæ, Penatium, & si quæ domestica sunt vobis sacra, omnium participem, vestrum vero comitem fidissimum, premunt libenter homines, & in contemptum, quantum possunt, hactenus adducunt: neque terra jam & mari, sed quam vnam habet vitæ ac fortunarum sedem, corpore humano interdicunt ac proscribunt. Cujus rei causam si quis quærat, nullam præter vnicam inueniet opinionem: quæ vt penitus ex animo tollatur, ad

salutem

salutem rei interesse existimo. Quam vt vobis diligenter commendem, satis est si laudes ejus non ignotas vobis esse sinam. Ajunt primo omnium, infame esse nomen. Dii vestram fidem! quod a parte honestissima desumptum esse, ipsi ne negare quidem audent. Vnde Pedem primo, mox vt, blandientes ac amantes solent, merito Pediculum dixerunt. non profecto minus casta voce, quam aut Oedipum aut Polypum: in quibus eadem vox extat. Opinionis ergo vim videte, ac semel penitus perspicite. Pediculorum montem, populos Pediculos, Pediculorum siue agrum siue flumen, dici nemo turpiter existimat. ne de foliorum & fructuum pediculis hic agam. Quanquam equidem Romani, ne præclara quidem & magnifica deesse illis voluerunt nomina. vt cum Serpentes & Sexupedes dixerunt. Multo vero minus Græci, qui ab ipsa rationis officina, cerebro humano, vnum inter cætera imposuêre. Hebræi quoque ab efficaci voce *canan*, quod fundare illis (vnde *can*, quod est basis, pes, siue fundamentũ) dixerunt. Vel quod puncti instar animalium majorũ fundamenta sint, vel quod multis pedibus, vt basi, nitantur. Ergo *cinnim* genti antiquissimæ vocantur. Græci Sacrorum interpretes, σνίπας, non vt diuersa animalia, quod nobis semper visum, sed a spatio dixêre, quia σκνιπὸν, id quod exiguũ, aut paruum. Vnde & Chaldæis, a contracto corpore, & cõciso

cimlin. A quo & Arabum *camla:* qua voce hoc animal designant. Neq; est quod quenquam horum pudeat. cum subtilitatem corporis, ac modum, virtus vel excuset vel commendet. quam & in formicis quisque admiratur. quibus summam quoque antiqui prudentiam asscribunt. Neque minus nostri, cum humana corpora inuadunt, strenue rem gerunt. Vt de singulis eorum dici possit, quod de maximo heroe summus vates,

Τυδεὺς μὲν ὀλίγος μικρὸς ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Corpore paruus erat Tydeus, sed maximus armis.

Quanquam sane reus noster, nihil ad se pertinere quo dicatur nomine, existimauit vnquam. Quam præclaram ἀδιαφορίαν, sine dubio e Stoicorum barbis superciliisque, in quibus olim vixit, idem traxit. Porro cum a patria plerumque fontem laudis ac originem & oratores & philosophi deducant, quod Platoni quoque in Menexeno probatur, noster, neque Athenis neque Romæ natus est. quarum ciuitatum laudes sæpe ad fastidium jam vsque magni oratores celebrarunt. Patria pediculi est Homo. Cujus merita ac laudes prædicare velle, putidi sit & inepti. Sicut autem solus ratione præditus est homo, ita ratio in summa ejus editaque parte, domicilium ac sedem habet: capite nimirum. Quam profecto sibi, tanquam arcem quandam, minime, vt reor, contemnendam, merito delegit.

git. In hac naſcitur ac educatur, in hac opes ſtabilitas ac fundatas habet. Hujus incola & ciuis eſt. Non inferiora, hercule, ſecutus. Cum vero, quod antiquus vates eleganter cecinit, vicino bono nulla res ſit melior, ille mentem, ille intellectum, ille prudentiam ac ſapientiam, vicinas ac propemodum domeſticas hic habet. A quibus cum longiſſime abſit aſinus, obtuſum animal ac hebes, ſolus pediculos, vt vulgo creditur, non nouit. Contra autem prudentiſſimi mortales, præter hominem, diuinum animal ac vere primum, canem quoque ac philomelam ardentiſſime ſectantur: quos ingenio præſtare norunt. Ne non verum ſit, quod primum ab Homero, mox ab Ariſtotele eſt dictum, Cum ſimilibus plerumque ſimiles conjungi. Soli ex felicitate ingenii diuinitatis vocabulum Platoni impoſuit antiquitas. Cujus pediculi prouerbio circumferuntur. Ne de Pherecyde & Alcmane, quos ad necem vſque comitati ſunt, hic dicam. Porro nobiliſſimi in capite morantur.

Plebs habitat diverſa locis.

Nam, colonias, vt plurimum, vbiq;, in veſtibus, in ſuperciliis, in barba, deducũt: licet non ejuſdem omnes generis ac formæ. Antiquitatem ſi ſpectes, ſupra Erichteũ ac Cecropem, ad Deucalionis tempora continuabis. Simul enim ſpiritu humano incaleſcere cœperunt ſaxa, hunc calorem reus noſter eſt ſecutus. Qui vt quam lon-

longissime ab omni frigore versetur, sua semper interesse existimauit. Homo igitur e saxis, ex homine prognatus est pediculus: tanto nobilior origine, quanto saxis ac lapidibus nobilior est homo. E carne nasci Aristoteles, e sanguine autem Theophrastus voluit. Vtramque nobilissimam esse corporis nostri partem, nemo ignorat. Ajunt vero e corruptione nasci. & hoc telum contra innocentiam valere, crudelissimi actores arbitrantur. Nolite pati, Patres, imperitiam in foro vestro ad calamitatem rei, vltra veritatem posse. Idem enim homini, si pergant, idem cunctis animalibus eueniet. Ex corruptione enim sanguinis vt semen, ita e corruptione seminis cum homo, tum & animalia nascuntur cætera. Quid formosius pauone? e corruptione oui nascitur. Quid apibus prudentius? quid fœdum minus, magis autem necessarium in terris? e corruptione bouis nascuntur. Nihil enim generat ex alio Natura, nisi ista lege, vt aliquid corrumpat. & hac lege omnia conseruat. Vnde omnia mutari, nihil interire, a Pythagora præclare dictum. Contra vero, ita me Dii ament, mira ratione factum dicas, vt eodem modo duo celeberrima nascantur animalia; Pediculus & Phœnix. Alter e parentis sui cinere: e lende alter. Vt non sine causa vtriusque originem scriptores nobilissimi conjungant. At vero, Aristoteli si credas, nihil fieri e lende, jam vicarium

carium diuinitatis, primum feceris Pediculi autorem. Calorem nempe vniuersalem, quem non sine causa creatorem Arabes dixerunt. cui cum hoc animal est procreandum, naturalis quoque accedit. Iam si educationem videas: simul ac vsuram lucis pediculus vsurpat, iis artibus ac disciplinis instituitur, in quibus plurimum vtilitatis ad institutum vitæ repositum existimat. Natare non discit. in continente enim habitat. Neque literas & disciplinas. quippe quas prodesse parum ad virtutem doctoribus plerunque videt. Igitur in re familiari & domesticis negociis plerunque occupatus, quicquid ab edendi exercitio ac cura relliquum est, contemplationi ocioque impendit. Facilitate autem vitæ, ad Homeri Deos ῥεῖα ζώοντας, quam proxime accedit. Cibum enim quo se sustinet, non quærit, sed in promptu habet: qui quocunque se conuertit, sine apparatu fruitur paratis. Vt omittam aliud quod cum Homerica diuinitate habent commune.

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', ἀ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον.

Nec fruges comedunt, nec libant munera Bacchi.

Terram non exercent aut arant, sed humanas carnes vellicant leniſſime ac pungunt. Constitutionem corporis si quæras, pene oculorum aciem excedit. Membra quidem certe maxima subtilitate artifex natura texuit. vt ad intellectum proxime accedant: visum autem

vix

vix admittant. Quod cum incorporeis propemodum commune habent. Quæ nobilitate ſua ſenſus excedunt. quare & ſola ratione penetrari poſſunt. Etiam cum atomis. è quibus architectus olim Leucippus, fabri Democritus & Epicurus, orbem conſtruxerunt. Quas idcirco *corpora materiai*, *corpora prima*, *primordia*, *rerum ſemina*, item, *materiem*, familiaris Epicuri Romanus poëta dixit. Sed præſertim Acari, notus Ariſtoteli, qui & nomen idem fere, certe ab eodem, traxit: cæterum nec diuidi, nec findi, & propemodum videri non poteſt. Qui ſi incurreret in oculos, neque modo ipſe ſed & membra ſub aſpectum ſingula, inprimis autem pedes, venirent, faxo protinus hamatum illud, aſperum, ac leue atomorum, ſpectares. Iam viuendi genus placidum delegit ac tranquillum. Non volatile, vt aues, neque deſultorium, vt pulex: ſed pro dignitate vitæ ſuæ, ſtabile ac quietum. Paſſu tardo ac compoſito incedit, neque quicquam è philoſophia tam amplecti quam ſilentium Pythagoræ videtur. Intentionem enim mentis nihil æque ac ſtrepitus offendit. Quæ ſi eſt continua, felicitatem quidem certe humanam excedit. Neque ab actione tamen prorſus abſtinere ſolet. Semper enim epulatur. Sociale animal eſſe hominem, ideoque ciuitatis fundamentum eſſe ac Reipublicæ, præclare dixit Ariſtoteles. Quod inprimis

mis noſtro conuenire, nemo ignorare poteſt niſi qui non vidit. Nam & inter ſe & cum homine libenter ſociantur. De forma Reipublicæ, qua vulgo vtuntur, haud perinde pronum judicare eſt. Niſi quod à populari minimum recedat. Nam & numero cenſentur, & judicio a plebe ac dignitate non vincuntur. In bello, non tam cuneatim quam globatim incedunt. Neque inter ſeſe, quod & furioſum eſt in homine ac dirum, ſed cum ipſo homine confligunt. De quo & ſæpiſſime triumphant. Neque minus cum eodem amicitiam conſtanter colunt. fide vero ipſum vincunt. Siquidem

——*fugiunt cadis*
Cum face ſiccatis amici;
Ferre jugum pariter doloſi.

At Pediculus conſtanter manet: nec fortunam venientem ſequitur aut fugit recedentem. niſi quod aduerſa, hoc eſt veſtra (ea eſt præclaræ mentis generoſitas) inprimis delectatur. Paupertatis enim comes eſt & aſſecla,

Forumque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

Quare, vt olim Scipio, de quo antiqui, nunquam minus ocioſus erat, quam cum ocioſus eſſet: ita vos, Conſcripti Patres, nunquam minus eſſe ſolos reor, quam cum ſoli in compedibus ac carcere verſamini. Adſunt enim vobis comites perpetui ac fidi, qui in crucem

vſque

vſque vos ſequuntur, ſed præſertim Peſſulatas ſive Plactulas quas vocant: quæ plerunque in pube, axillis, barba, palpebriſque ſtabulantur: quemcunque ſemel inuaſere locum, ejus ad ſupremum vſque ſpiritum tenaces. At de cæteris, inprimis mirum eſt ac prope ſupra fidem, quod dicturus ſum. Nam vt Trojanorum Deos Magnos & Penates, cum jam vrbem inuaſuri eſſent Græci, eam reliquiſſe nobiliſſimi autores tradidere, ita iſti, cum quem moriturum vident, agminatim cedunt. Neque id medicos prudentes vnquam aut philoſophos fefellit. Vnde ariolos nonnulli & diuinos autumant. Res eorum geſtas, ſi menſuram corporis intueare, paucas eſſe aut nullas, credas.

At ſimul heroum laudes ac facta parentum
Iam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus,

in diuerſum protinus abibis. Ipſi enim, ſiue ingenua, vt arbitror, modeſtia, ſiue quod Annalium memorias contemnunt, rebus aliis intenti, laudes ſuas, & quæ fortiter geſſere, non nolentibus hominibus, diſſimulant. Syllam quidem hercule, terrarum principem, ac Romanorum ducem, qui bis Marium bis Mithridatem profligauit, qui Athenas expugnauit ac euertit, ferro Italiam ac cædibus miſcuit, facto ſimul agmine inuaſere. Ne Arnulphos, Antiochos, Herodas, Maximinianos, Pheretimas, Honorios, Caſſandros, hic commemorem,

morem, reges omnes principesque, ne nunc ad priuatos eam. Cum quibus sine ferro aut milite congressi, illustrissimam victoriam ab iis retulêre. Vt merito, si quicquam judicare possum, vsurpare de se illud reus noster possit,

Εἰμὶ φθείρ, ἀνδρῶν δαμάτωρ, δαμάτωρ δ' ὑπερφέρνων,
Τῆς μεγαλαυχήτου φθείρ Θέμιδος τε Διός τε.

Quos Latine reddidissem, nisi carmen Romanum fugeret Pediculus: Græculis non sine causa æquior. Quanquam sane & reliquos, cum quibus contrahit, benigne ac familiariter habere solet. Non enim lancinat aut lædit quenquam, sed titillat. nisi si quos facto agmine expugnat. Qua in re, ut recte in Phædone ait Socrates, majorne sit voluptas dubites an dolor. nisi quod ex ipso (si quis tamen dolor hic est) oritur voluptas. Quam quidem titillationem, ita vobis gratam esse equidem confido, Patres, vt præcipuuum ac maxime jucundum paupertatis vestræ ac calamitatis condimentum esse arbitrer. Sæpe vidi, quanta delectatione, modo tergum, modo caput, modo latus, modo partem aliam, quam leniter sollicitare hospes vester cœperit, fricare soleatis. Si voluptas enim, teste Platone, mera est repletio, ea autem nascitur ex indigentia, causam voluptatis vestræ quæ in frictione summa est, vllam præter hunc quem accusatis; miror si adferre potestis. Quem (quod

lepidum est dicam) caput dum scalpitis, membra fricatis, hoc ipso non extinguitis, sed generatis. Cujus rei causam vos philosophi docere possunt. Quid quod medici officio funguntur? Sanum enim optimeque constitutum iis esse caput quos inuadunt, ipsi medicorum principes fatentur. Iam in morte qua constantia, Dii boni, qua præsentia est animi! Sæpe enim fato jam vicinus, & in pectine ipso situs, in quo diem claudere supremum solet, spatia securus ac sine vlla mentis perturbatione conficit: ne quid præter vitæ anteactæ dignitatem agat, aut existimationi suæ maculam inurat. cujus magnas præclarasque animas, præcipuam habere semper rationem constat. Augustus quidem Cæsar εὐθανασίαν, hoc est, mortem facilem ac repentinam exoptasse fertur. Quam me judice unus hic consequitur. Non enim lentis, non acutis conficitur dololotibus. Non laterum, non renum, non vesicæ morbos experitur. Puto, quod nascente illo Venus in octavo ab horoscopo loco constituta fuerit. quæ, vt mathematici præclare docent, mortem facilem, & ab omni immunem dolore, generi mortalium, in quo non postremum noster locum obtinet, decernit. Ille autem pollice conuerso, protinus extinguitur. Ea tantum parte deplorandus, quod immerito. Quanquam nec idcirco miser dici potest. Nemo enim innocentem

tem & calamitosum, recte infelicem dicat. Quod & ante mortem Socratem dixisse ferunt, cum amici quidam ideo dolerent, quod immerito id euenire viro optimo existimarent. Et plerique morte acerba extinguuntur: ideoque, sine pompa, ludis ac præcone, tacito non indictiuo funere, exponuntur verius quam efferuntur. Forte quia intra tyrocinium & ante sumptam publice virilem togam moriuntur. Vnde & intestati, vt plurimum, discedunt. Atq; hæc quidem pauca sunt de multis. Nam quis omnia se posse speret? Cum præcipuus scientiarum omnium consultus ac interpres maximus Homerus, si quid Græcis creditur, naturam ejus cum quo semper vixerat, ænigmate delusus, explicare non potuerit, reique tam excelsæ victus tædio, cum vita mortē commutarit. Forte & in pœnam. Sunt nonnulli quippe, qui de dignitate ejus parum reuerentur alibi locutum ferunt. Grammatici inprimis: qui à reo nostro nunquam alieno animo fuerunt; paterni ejus hospites ac familiares. Vos vero, Patres Principesque Mendicorum, etiam atque etiam in posterum videte, quid agatis. Quippe si supplicium delectat; relegatio in promptu aut exilium. Possunt enim aut in terram comiter deponi, aut, quæ vestra est ciuilitas, in alium honoris specie cum voluptate ac judicio transferri. vbi æuum, sicut prius agant, neque quicquam præter locum

mutent. Exemplo sane res non caret, & proficere in re magna, serum nunquam esse debet. Prudentissimos mortalium ac prope solos sapientes, Indos jam inde a Gymnosophistis, esse habitos, ignorare non potestis. Gentem apud eos esse ferunt, Bancanam quam vocant, ea parte quam Guzzaratam dicunt, qui cum admirandi hujus animalis soli prope intelligant præstantiam ac dotes, fovent, quantum possunt, & hospitio indulgent. Cæterum, vt mire est fœcundum, vbi generis propago jam diffundi cœpit,

Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis,

è deserto sacerdotem vocant, qui diuinis eos manibus cum cepit, suo sibi capiti imponit, ac deinceps liberaliter educit. Sunt qui captos in parietum ruinis ponunt ac occultant: si quis autem mortem dum assistunt inferat aut tollat, lachrymis ac precibus plerunque intercedunt, ne in oculis atque in conspectu suo tantum facinus patretur. Quæ si nihil possunt, auro vitam singulorum redimunt. quod protinus persoluunt. Cum quibus prudentissimi mortalium Iudæi faciunt: a quibus, vt eorum sapientes tradunt, הַהוֹרֵג כִּנָּה בְּשַׁבָּת, hoc est, *qui sabbatho pediculum trucidat*, reprehenditur. quos & ad luminaria, quæ tum accendunt, venari nefas habent. Hæc si nunquam audiuistis, saltem nunc vos tangant, & religione animum commoveant. Miseremini per ipsas

eorum

eorum vmbras ac manes, qui crudelitatem veſtram ſunt experti. Parcite miſeris, ſupplicibus, victis, conſanguineis veſtris ac propinquis: qui è vobis nati, à vobis educati ſunt. Qui vos colunt, vos ſequuntur, vobis hærent, qui vtranque vobiſcum fortunam experiri ſunt parati. Cauete, ne dum ſolam hic, vt alibi, opinionem ſequimini, multis modis à veritate aberretis: aut dum nihil præter perſuaſionem tuemini, ſcelere eam cumuletis.

FINIS ORATIONVM.

Sequuntur, quæ ſupra in hunc locum rejecimus. Ac primo

DE AVCTORE *Libelli de Mundo, cuius ſupra poſt Orationem* X. *ſit mentio.*

OMnium controuerſiarum grauiſſima de libelli hujus autore eſt, quem præclari quidam noſtræ ætatis viri, aſſcripſerunt Ariſoteli. A quibus quia abeundũ nobis videmus, illud viri diuini Nicomachiorũ 1. c. VI. nos ſolabitur. vbi cõtra Platonicas diſputaturus Ideas, moleſtiſſimum ſibi eſſe illud, quod à viris diſſentire amiciſſimis cogatur, idem ille Ariſoteles profitetur. Neque minus tamen addit, δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν, ὅπως σωζηείας γε τὰς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσό-

φυς ὄντας· ἀμφοῖν δ' ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προλιμᾶν τ' ἀλήθειαν. Idem nos dicemus, & amicis salua veritate concedemus reliqua. Primo autem, aliorum argumenta proponemus ac refutabimus: deinde & nostra proponemus. Vtriusque autem finis erit veritas.

Primum & præcipuum est eorum, qui Iustini Philosophi & Martyris nituntur testimonio, cujus verba in Admonitione ad Græcos hæc leguntur. Hoc enim ferreum argumentum, &, vt cum Hippocrate lib. De natura humana loquar, ἀνάγκας ἀποφαίνοντα λόγον, quidam Theologus existimauit. Ἀριστοτέλης γὰρ ἐν τῷ Πρὸς Ἀλέξανδρον τὴν Μακεδόνα λόγῳ, συντομόν τινα τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας ἐπιθέμενος ὅρον, σαφῶς καὶ φανερῶς τῷ Πλάτωνος ἀναιρεῖ δόξαν, οὐκ ἐν τῇ πυρώδει οὐσίᾳ τὸν θεὸν εἶναι λέγων, ἀλλὰ πέμπτον αἰθέριόν τι καὶ ἀμετάβλητον ἀναπλάττων σῶμα, ἐν τούτῳ αὐτὸν εἶναί φησι. id est, *Aristoteles autem in eo quem ad Alexandrum Macedonem scripsit libro, breuem quandam philosophiæ suæ delineationem proponit: vbi manifeste quoque ac perspicue Platonis tollit sententiam. Neque enim in ignea substantia vult esse Deum, sed vero quintum aliquod æthereum atque immutabile constituit corpus, in quo eum ponit.*

Locus alter mox sequetur. nunc hunc videamus. Ait ergo primo omnium, Aristotelem philosophiæ suæ, in libello illo, brevem delineationem proposuisse. Atqui tantum abest, vt hoc huic conueniat scripto, vt ne quidem

dem id inscriptio admittat. Siue enim vera ea sit & legitima, nihil minus quam compendium philosophiæ promittit: siue sit falsa, vt mox esse ostendemus, nulla tamen dari huic operi conuenientior potest, quæ tam magnum aliquid promittat, cum res ipsæ hoc non sinant. Vbi enim hic est celeberrima & πολυθρύλλητος illa Logica, in qua præcipuum Aristotelis inuentum est, demonstrandi ratio? Vbi totum illud, quod vulgo πραγληκὸν vocatur, & ad mores aut Rempub. spectat? Contra vero, cum nihil hic sit, nisi quod ad contemplatiuam refertur; hujus quoque partem illam strictim tangit quam Philosophus absoluit, eam autem quam vix tangit, fuse persequitur. Nam cum vniuersum hoc, & quicquid existit, duo comprehendat, ea quæ ἐγκόσμια & quæ ὑπερκόσμια dicuntur, veteres posteriora absoluisse Aristotelem, in prioribus vix quicquam scripsisse, fatentur. Ita vt non defuerint, qui ne quidem operam in iis posuisse eum notarent. Quo Ammonii illud ad Categorias spectat. οὐ γὰρ τὰ ἐγκόσμια μόνα ᾔδει, ὥς τινες ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλὰ καὶ τὰ ὑπερκόσμια. id est, *Neque enim solum ea quæ in mundo sunt, vt quidam arbitrantur, sed & ea quæ supra illum, norat.* Illud autem vt probaret, quia aliud videbat nihil, quam jejuno vsus argumento est! Addit enim, rei Theologicæ peritum fuisse vel ex eo posse ostendi, quod octauo Nat.

Auſcult. lib. *primam* docet *cauſam, neque per ſe, neque per accidens, mobilem eſſe.* Ergo aut ſtipes, lapis, plumbum Ammonius fuit, qui hoc argumento vſus eſt, cum in hoc libello ea de diuinitate & Deo, de potentia, vi, prouidentia, omnipotentia, & mediata, vt ita dicam, omnipræſentia illius, dicantur, quæ non ſine maximo ſtupore ac admiratione, ipſi Chriſtiani legunt: aut libellum, quod dicebam, illum nemo illo tempore, philoſopho aſſcripſit. Quid quod duas cauſas adfert Philoponus, cur in naturali contemplatione hæſerit, mathemarica autem & theologica vix attigerit Ariſtoteles? Primo, quia naturalis contemplatio *σύγγοιχός ἐϛι μᾶλλον τῇ φύσει τῇ ἡμετέρᾳ*, id eſt, *magis cum natura noſtra eſt conjuncta.* Secundo, *ὅτι τὸ μὲν θεολογικὸν καὶ μαθηματικὸν πολλοῖς λίαν καὶ πρὸ Ἀριϛοτέλους ἐξήργασμένα, τὸ δὲ φυσικὸν οὐχ ὅμοιως. quia theologica & mathematica à multis ante Ariſtotelem exculta erant: naturalis autem pars non item.* Quomodo igitur Alexandro ſuæ hic Philoſophiæ compendium proponit? quod non eſt docere ſed repetere. Adde quod aut nihil hæc ad Alexandrum, aut minus certe, quam quæ *πλατωνικὰ* vocantur. Cur enim non iis potius de rebus ſcripſit, quæ vel quinto Politicorum tractantur, vbi de Rerumpubl. mutationibus ac conſeruationibus earumque cauſis agitur: aut quæ ſeptimo, vbi de optimo ſtatu agit, aut octauo,

octauo, vbi de liberorum educatione multa dixit? Cur non aliquid de regno ad regem tantum? Quod profecto fecit. Scripsit enim librum De regno ad Alexandrum. Ecce Ammonii verba: τῷ δὲ Ἀλεξάνδρῳ ἔτι περὶ βασιλείας ἔγραψεν ἐν ἑνὶ μόνῳ βιβλίῳ, παιδεύων αὐτὸν ὅπως δεῖ βασιλεύειν, id est, *Scripsit & ad Alexandrum De regno, vnico volumine, in quo rationem regnandi illum docet.* Quo & Plutarchus libro De Alexandri fortuna aut virtute respexit. Ἀλέξανδρος δὲ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον παρέσχεν. οὐ γὰρ ὡς Ἀριστοτέλης συνεβούλευεν αὐτῷ, τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἡγεμονικῶς, τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς χρώμενον, id est, *Alexander autem re ipsa doctrinam eam expressit. Neque enim sicut Aristoteles suadebat, qui quidem Græcos regie, barbaros vero heriliter tractare eum jubebat.* Alterius vero ad Alexandrum libri, nec Ammonius nec Laërtius, in prolixo illo Indice meminit. Apud quem De coloniis librum inuenio, qui Alexandro inscriptus erat.

Sequitur in Iustino, *Vbi manifeste quoque ac perspicue Platonis tollit sententiam. Neque enim in ignea vult Deum esse essentia, sed vero quintum æthereum*, &c. Vbi vero in hoc scripto manifeste & expresse tollitur sententia Platonis? cum directis verbis in essentia quinta Deum statuat. Etenim capite quidem secundo, quinta essentia statuitur, sed, vt mox audiemus, sine vlla Platonis reprehensione, quod putarunt tamen docti viri: sexto autem, Deo locus,

verum in ſuprema cœli parte, tribuitur.

Sed jam reliqua audiamus. Ipſa enim verba adducit Iuſtinus: γέγραφε γᾶν ἔτως, Οὐχ' ὡς ἔνιοι τ̃ περὶ τὸ θεῖον πλημμελήνλων, ἐν τῇ πυρώδει ἰσίᾳ τ̃ θεὸν εἶναι φασίν. & paulo poſt, γέγραφε δὲ ἔτω γᾶν· ἡ Ὅμηρος λέγει, ζαὺς δ' ἔλαχ' ἐρεγνὸν ἀέρα, ἐν αἰθέρι ἐ νεφέλῃσι. Ante omnia illud notandum eſt, hujus ſcripti autorem, non modo opiniones interdum ſequi Ariſtotelis, vt de eſſentia quinta (quamuis ne quidem Plato, ſicut infra oſtendemus, multo aliter de ea locutus ſit) ſed & ſæpe verba imitari & exprimere. Vt cum Ariſtoteles, exempli cauſa, lib. II. De cœlo, cap. I. de Deo dixiſſet, διόπερ καλῶς ἔχει συμπέφηνεν ἑαυτὸν, σ̃ τ̃ ἀρχαίας ἐ μάλιςα σ̃ τ̃ πατρίας ἡμῶν ἀληθεῖς εἶναι λόγυς, ὡς ἐςιν ἀθανάτον τι ἐ θεῖον, τ̃ ἐχόντων μὲν κίνησιν, ἐχόντων μέντοι τοιαύτην ὥςε μηδὲν εἶναι πέρας αὐτῆς, hic dixit ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος ἐ πάτριός ἐςι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεῶ τὰ πάντα. Talia ſunt plura, quæ jam prætermittentur. Porro quod ad locum priorem, quem adducit Iuſtinus, ne quidem in hoc ſcripto extat, ſed pro eo non diſſimilis. qui fortaſſe ex illo adumbratus aliquatenus videri poſſet. Οὐρανὸν ἢ ἐ ἄερα οὐσίαν μὲν αἰθέρα καλῶμεν· οὐχ' ὡς τινες, ἀφ' τὸ πυρώδη εἶναι, αἴθεσθαι, πλημμελῶντες περὶ τὸν πλεῖςον πυρὸς ἀπηλλαγμένον δυνάμιν. Hoc longe eſt aliud. Primo enim nihil hic de loco Dei, ſed de quintæ eſſentiæ origine, ſiue

ætheris

ætheris etymologia. Secundo, qui hic reprehenditur, non est Plato, sed vero Anaxagoras. Id qui non existimat, ipsum Aristotelem audiat, qui de tota hac re ita lib 1. De cœlo, cap. III. quem hic noster respexit : διόπερ ὡς ἑτέρας λινὸς ὄντος τοῦ πρώτου σώματος τοῦ γῆ, καὶ πῦρ, καὶ ἀέρα, καὶ ὕδωρ, αἰθέρα προσωνόμασαν τὸν ἀνωτάτω τόπον, ἀπὸ τοῦ θεῖν ἀεὶ τὸν ἀίδιον χρόνον, θέμενοι τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῷ. Ἀναξαγόρας δὲ καταχέχρηται τῷ ὀνόματι τούτῳ οὐ καλῶς· ὀνομάζει γὰρ αἰθέρα ἀντὶ πυρός· id est, *Ideoquo quod aliud quod sit à terra, igne, aëre & aqua, corpus primum, locum omnium altißimum æthera vocarunt: ex perpetuo enim ejus & æterno cursu desumpserunt hoc nomen. Ea autem voce Anaxagoras abusus est, cum æthere vtitur pro igne.* Vbi Simplicius, ἐπιλαμβάνεται δὲ Ἀναξαγόρου, οὐ καλῶς ἐτυμολογοῦντος τὸ τοῦ αἰθέρος ὄνομα ἀπὸ τοῦ αἴθειν, καὶ διὰ τοῦτο χρωμένου αὐτῷ ἀντὶ τοῦ πυρός. id est, *Reprehendit autem Anaxagoram, quod non recte ætheris etymologiam ab* αἴθειν, id est, *ardere, deducat, & idcirco pro igne vtatur.* Neque ergo locus hic vsquam extat quem adducit Iustinus, neque Plato reprehenditur in quinta essentia, sed Anaxagoras. Quod ad locum quem adducit alterum, Homeri quidem versus, sed aliter citatus, hic legitur: hoc, nimirum, modo: καθ' ὃν λόγον οὐ καλῶς δὲ ἐκεῖνο ἀναπεφώνηται, Ζεὺς ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν. Et hæc quidem de Iustino.

Argumentum secundum ex Apuleio petitur,

tur, cujus hæc in Præfatione ad Fauſtinum verba ſunt : *Quare nos Ariſtotelem, prudentiſſimum & doctiſſimum philoſophorum & Theophraſtum autorem ſecuti, quantum poſſumus cogitatione contingere, dicemus de omni hac cœleſti ratione, naturas & officia complexi, & cur & quemadmodum moueantur explicabimus.* quæ de ſuo Apuleius addidit. Si ergo, Ariſtotelem & Theophraſtum ſecutum ait Apuleius, eo ipſo autorem eſſe Ariſtotelem innuere videtur. Quid vero obſtat, quo minus & nos ſic argumentemur: Apuleius Ariſtotelem, & Theophraſtum ſequi ſe dicit, ergo autor Theophraſtus eſt? Verum multo argumentabitur firmius, qui neutrius eſſe ex eo probabit. Apuleius enim, qui amico ſuo Fauſtino verſionem mittebat ſuam, monet hoc ſcriptum, cujuſcunque tandem ſit, ex Theophraſto & Ariſtotele collectum eſſe: quod ex parte tantum altera verum eſt. Quatenus enim τὰ ἐγκόσμια ἢ τὰ ὑράνια κυρίως λεγόμενα tractat, Peripateticos ſecutus eſt autor: neque aliud vocare nunc videtur *rationem cœleſtem* Apuleius. Cætera autem omnia, ex diuerſæ ſectæ autore ſunt petita. Ac propterea in Græco cum legitur, λέγωμεν δὴ ἡμεῖς, ἐκ καθ' ὅσον ἐφικτὸν θεολογῶμεν, omnino θεορῶμεν eſt ſcribendum: tum quia vox Theologiæ ibi locum non habet, tum quia inepta & συρφετώδης erit loquendi ratio, λέγειν ἐκ θεολογεῖν, *dicere & diuina dicere.* Apage has ineptias.

Sed

Sed profecto, nisi pueri sumus, plane Apuleius negat Aristotelis hoc scriptum. Nam cum Aristotelem & Theophrastum, non se, sed autorem, secutum ait (neque enim autor sed interpres Apuleius) plane significat, neque Aristotelem esse autorem neque Theophrastum: nisi eundem, qui sequitur & quem sequitur, dicamus. Vt Homerus, qui à veritate, vel ab ipsa idea, tertius Platoni dicitur, ipsa sit idea, ipsa veritas, à qua quam longissime abesse eum Plato testatur, & propterea è sua, quæ est κατ' ἰδέαν, Rep. ejiciendum putat. Aut, vt magis jam familiariter agamus, Virgilius erit Theocritus, Hesiodus, Homerus, quia hos imitatur.

Tertium est, nonnulla hic extare, quæ cum Aristotelis philosophia conueniunt. Sicut de essentia quinta, quæ peculiaris Aristoteli putatur. Quasi vero eum qui in parte Aristotelem sequitur, sequi in omnibus necesse sit, cum hoc proprium illorum fuerit philosophorum quos ἐκλεκτικοὺς dicebant, vt ex aliis alia seligerent: aut quasi nemo extiterit vmquam, qui doctrinam Aristotelis amplexus sit. Adde quod hoc ipsum non est ita proprium ac peculiare, vt plerique putant, Aristoteli. cum & Plato ipse eodem modo sit locutus de æthere. Nam quod πέμπτην οὐσίαν Stagirita, id πέμπτον στοιχεῖον, πέμπτον κόσμον, & πέμπτον χρῆμα vocat Plato: vt Platonici nos docent. & inprimis

mis ad Timæum recte obseruat Proclus. Ἢ γὰρ διαφέρει πέμπτον στοιχεῖον καλεῖν, ἢ πέμπτον κόσμον, καὶ σχῆμα πέμπτον, ὡς ὁ Πλάτων ἐκάλεσεν; id est, *Quid enim interest, an quis quintum elementum, an quintum mundum, aut figuram vocet, quod est a Platone factum?* Sicut Orpheus, siue is Onomacritus fuerit, ἄιθερα στοιχεῖον, ætherem in Hymnis vocauit. Omnia Aristoteli asscribunt, qui nihil præter Aristotelem legerunt. Et hæc quidem aliis responsa sint. Nunc ad nostra veniamus. Ac de rebus primo, mox de verbis.

Primo ergo Aristoteles, cœli æternitatem, & quidem ita pertinaciter tuetur, vt hoc tanquam proprium Aristoteli Aphrodiseus tribuat: qui non interiturum modo, sed & genitum fuisse negat. Vide quæ lib. Phys. VIII. cap. X & II. De cœlo, cap. I. dicuntur. Secundo, ex nihilo nihil fieri, ideoque nullo modo productum esse mundum; quem ingenitum esse, sempiternum & necessarium, ex illo de quo diximus principio, quod Auerroes vrget contra Auicennam, primo Physicorum omnes docent ejus sectatores. At hic recte, ipsum mundum esse ait διακόσμησιν ὑπὸ θεοῦ καὶ διὰ θεῶν φυλακῆ μόνῃ, hoc est, Apuleio interprete, *ornatam ordinationem Dei munere, Deorum recta custodia.* Et post aliquanto etiam clarius, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ συνέστηκε. *omnia ex Deo & per Deum consistere.* Ita enim ex Stobæo illud legendum & intelligendum est.

Secun-

Secundo, Aristoteles intelligentias cœlo affixas statuit, qui & VIII. Physic. Primam causam neque per se neque per accidens moueri ait : de quo jam diximus. Hic simpliciter duas supernaturales causas, & vtramq; in vno Deo, statuit. Quarum altera, ποιητικὴ siue δαιμιουργικὴ, quæ formauit orbem ; altera σωτερικὴ siue φυλακτικὴ, quæ conseruat, continet, & regit. Ita primus motor Aristotelis, & prima excluditur natura. ita Prouidentia statuitur, quam Aristoteles aut nullam, vt nonnulli, aut longe aliam, de quo infra, agnoscit.

Ex hoc tertium jam & firmissimum deducitur. Clemens Alexandrinus, qui optime in Philosophorum scriptis versatus fuit, Deum, quem scriptores alii ex Homero Υπατον vocant, Aristotelem nouisse, & hoc nomen in illius scriptis inueniri negat, cum pro eo animam præficiat vniuerso. Verba autoris eximii hæc sunt: ἀλλ' ὁ τῆς αἱρέσεως πατὴρ, τὸν ὅλων νοήσας τὸν παλαιὸν, τὸν καλούμενον Υπατον, ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται. id est, *At vero familiæ pater, vniuersi patrem cum non nouerit, quem Υπατον vocant alii, animam esse vniuersi arbitratur.* Duo ergo objicit philosopho. Prius est, quod falsum scripserit de anima : alterum, quod verum de supremo nesciuerit rectore, quem antiqui sæpe voce Homerica Υπατον vocabant. Ad prius quod attinet, sane libri hujus autor eam oppugnat opinionem quam Aristoteli tribuit Cle-

Clemens. Impium quippe esse & detestandum, arbitrari, Deum misceri ita rebus ipsis vt ab iis polluatur. Satis enim esse si vbique ejus potentia versari existimetur. Idque vbertim demonstrat. Quod ad alterum autem, tantum abest, vt extare alibi Deum quem Υπατον vocabant, ignorarit autor iste, vt hoc ipsum inter atrributa Dei ponat. τὼ οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτω ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν, Υπατός τε διὰ τοῦτο ὠνόμασαι. Vides ipsam vocem, quam in Aristole nusquam inueniri vir doctissimus affirmat.

Quarto, Peripateticos & eorum principem Aristotelem accusant veteres, quod ad Lunam tantum vsque, Dei prouidentiam extendant. Vnde Origines, infra Epicurum quoque ponere philosophum non dubitat. Hic vero, inter alia multa, θεὸν μὲν ὑπὲρ τὸ ἀνωτάτω χώρας ἱδρύσθαι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ τῆς συμπάντου κόσμου διήκουσαν ἥλιόντε κινεῖν καὶ σελήνην, καὶ τὸ πᾶν τοῦτο θερμὸν ποιεῖν, αἴτιόν τε γίνεσθαι τοῖς ὑπὸ τὴν γῆς σωτηρίας. *Deum quidem in suprema constitutum esse regione. Ejus autem vim ac potestatem totum ita penetrare vniuersum, vt & Solem moueat & Lunam, totumque pariter circumagat cœlum: iis autem qui in terra sunt, conseruationis sit causa.*

Quinto, vniuersam Aristotelis de prouidentia opinionem, cum ex ejus quæ quidem hodie habentur scriptis explicare non sit promptum, (cum semel ejus tantum, duodecimo

cimo nimirum Metaphysicorum, meminerit, accurate eam Alexander exposuit. Quæ ab eo autem adferuntur præter illa quæ jam diximus, hæc fere sunt. Primo, nullam intelligentiæ supremæ esse prouidentiam, cum à rebus excludatur humanis, neque quicquam præter se intelligat. Secundo, nulla mundum hunc, vel vt sit, vel vt bene sit, egere prouidentia: cum sit ipse Deus, non genitus, non corrumpendus, denique æternus. Tertio, quod idem fere est cum ante dictis, nullam ejus causam esse efficientem. Quarto, eorum modo quæ corrumpi & generari possunt, quod ad speciem eorum, prouidentiam haberi. Quinto, eam ipsam, non per se sed per accidens fieri: sequi enim Dei operationem, alio spectantem, quamuis præter ejus non fiat voluntatem. De quibus posterioribus duabus, quia sunt obscuriores, infra. Hic vero autor, primo nec intelligentiam supremam ponit sine prouidentia: ipsum vero Deum νοητόντε & λογοθεώρητον rebus docet prouidere omnibus. Statim quippe in definitione, mundum ait, ὑπὸ θεῶ διακοσμηθῆναι, διὰ θεῶν δὲ φυλάττεσθαι. Deinde toto sexto capite περὶ τῆς σωτηρικῆς αἰτίας agit, quæ est prouidentia. Secundo, non egere mundum vlla qua seruetur prouidentia, diserte negat. Imo contra, ἀδεμία φύσις, inquit, αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκτὸς σωτηρίας. Hoc est, Neque

vlla in hoc mundo natura, per se satis ad salutem sui est instructa, si priuetur ejus conseruatione, hoc est, prouidentia. Eodem modo paulo post. Ipsum autem mundum esse Deum negat, cum ait, εἶναι σύστημα ἐξ οὐρανοῦ τε & γῆς. Nam quis Deum esse dicat σύστημα? Deo autem tribuit quæ mundo Aristoteles: æternum esse, hoc est, neque genitum neque corrumpendum. Vt cum ait eum δι' αἰῶνος διήκειν. Tertio, efficientem mundi causam esse docet, & hanc esse Deum. Nam in definitione ὑπὸ θεοῦ διακοσμηθῆναι eum ait. hoc est, factum vt nunc est, ac ordinatum. Et simpliciter, ὡς ὂν θεοῦ πάντα καὶ δι' θεοῦ ἡμῖν συνέστηκε, *omnia ex Deo & per Deum esse constituta*. Ab opinione autem quarta longissime recedit. quæ est, omnia quæ corrumpuntur & subjecta sunt Lunæ, nullo modo regi à Deo, sed à septem planetis, qui mutationis eorum ordinatæ, æternæque secundum speciem conseruationis causa, mouentur. Et sic vocem prouidendi sumunt, cum de his inferioribus loquuntur. Quamquam & de altera quæ τῶν ἀνωτάτω est ad Lunam vsque, disputant. Quos jam labyrinthos non ingredimur. Satis est si nostri autoris mentem ostendamus. Quæ & proprie sic dictam ponit prouidentiam. & hanc soli Deo tribuit, & vnam eandemque, non, vt Aristoteles, diuersam facit, & à summis vsque ad infima pertingere ostendit. Huc enim manifeste spectant illa: καλὰ γὰρ τὰ

ἄνω θεῖα

ἄνωθεν ἐνδόσιμον ὑπὸ δὲ Φερωνύμως αὖ κηρυφαίῳ προσαγορεύθη, κινεῖται μὲν τὰ ἄστρα ἀεὶ καὶ ὁ σύμπας οὐρανός. πορεύεται δὲ διττὰς πορείας ἥλιος, τῇ μὲν ἡμέραν καὶ νύκτα διορίζων, ἀναλογῇ δὲ δύσει, τῇ δὲ τὰς τέτταρας ὥρας ἄγων καὶ ἔτος, πρόσω τε βορέου καὶ ὀπίσω νότου διεξέρπων· γίνονται δὲ ὑετοὶ καὶ καιρὸν, καὶ ἄνεμοι καὶ δρόσοι. & quæ ſequuntur. Hoc eſt, *Etenim & aſtra ſemper & cœlum vniuerſum, eos ad numeros mouetur quos Deus modulatur. Quem idcirco coryphæum, & hujus quaſi chori magiſtrum, recte dixeris. Geminis autem itineribus Sol egreditur, diem noctemque altero diſtinguens itinere, ortu nempe & occaſu, altero quatuor anni tempeſtates ſecum adducens, dum vltro remeat citroque; Aquilonius modo, modo Auſtrinus. Hinc tempeſtiuæ generantur pluuiæ, & venti, & rores.* Quibus verbis, & quæ poſtea ſequuntur, non vniuerſalem modo ſed & ſpecialem ponit prouidentiam. ſicut & cum cuncta ait κατὰ γένη τε καὶ εἴδη à Deo conſeruari. Et deinde ſingulas enumerat plantas. Vt propemodum ad τὰ ἕκαστα εἴδη καὶ ἄτομα, venire videatur. Quarta opinio eſt talis. Prouidentiam per ſe non conuenire Deo. quod qui prouidet per ſe, iis quibus prouidet, illorum cauſa prouidet, vt nimirum ea conſeruentur quibus prouidet. Hoc in Deo ponere, inquit Alexander, tale eſt, ac ſi quis dicat, dominum agere, vt ſeruus conſeruetur. Aut dominum ſerui cauſa agere. Hanc opinionem noſter valide

refutat, cum vbique περὶ τῆς συνεκτικῆς αἰτίας agens, voce σώζεσθαι, hoc est, conseruandi vtitur. Vt cum dicit, θεὸν αἴτιον γίνεσθαι τοῖς ὑπὸ τὴν γῆς σωτηρίας. Nunquam enim aliter hic autor loquitur. Quasi qui rebus prouidet vt conseruentur, earum causa prouideat quæ conseruantur. Ideoque id per se faciat. Quemadmodum & ipse Alexander fatetur. Postremo totam sic concludit disputationem: *Quod in naui gubernator, auriga in curru, in choro coryphæus, lex in vrbe, imperator in exercitu, hoc in mundo est Deus.* Gubernator autem & auriga & imperator, cæterique, per se prouident: ille vt nauis, iste vt currus, hic vt exercitus seruetur. & sic de reliquis. Idem ergo facit Deus.

Sexto, Autor hujus scripti Britanniam & Hiberniam describit, quas Alexandri tempore fuisse ignotas, nemo ignorat. Ita quidem, vt ante audacem illam & primam Cæsaris expeditionem, multi, teste Plutarcho, ne extare quidem vsquam ipsam Britanniam putarint, sed deliria esse poëtarum quæ de illa scribebantur, quia ἐκτὸς τῆς οἰκουμένης, id est, extra orbem habitabilem, esset, ac propterea *alter orbis*, teste Servio Grammatico, à poëtis appellaretur. Qui ergo scripti hujus autorem esse Aristotelem volunt, ἀνιστορησίαν & ἀγεωγραφησίαν profitentur. Huc accedit de Taprobane quod dicit. Nam si ante expeditionem magni Alexandri hæc scripsit, quomodo ejus

situm

situm scire potuit, cum rex ille insulam istam detexisse dicatur? Sin in ipsa expeditione, quid ineptum magis poterit excogitari, aut quid φορτικώτερον, quam vt doceat quod ipse pridie fortasse didicerat, & de rebus parum eo tempore compertis, tam audacter loquatur? Tum vero, quare docet Regem, quod aut primus sciuit Rex aut solus?

Septimo, Platonicorum & Pythagoricorum est proprium, quatuor τῶν λογικῶν statuere εἴδη: Deos, nempe, Dæmonas, Heroas, & Homines: quod hic facit autor. Ita vt Deum supremum, & quem Τὸν πάλον vocat, quasi architectum, dæmonas vt administros statuat. Qui cum suo singuli fungantur munere, totum tamen ad autorem primum merito refertur. Et hos ipsi modo δαίμονας, modo θεὸς δεύτερος, modo θεὸς absolute vocant. Atque ita statim in principio legendum, vt jam dixi, κόσμος ἐστὶν ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις· ὑπὸ θεοῦ & ἀπὸ θεῶν φυλαττομένη. Qui Dii, aëriæ sunt potestates, de quibus infinita Platonici. Ipse autem in Timæo, quomodo à Deo per Deos administretur mundus, luculenter ostendit.

Octauo, Autor hujus libri duas Mundi definitiones ponit: quarum altera peripatetica est talis, κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, id est, *Mundus cœli & terræ constitutio est, earumque naturarum* (vt cum Apuleio loquar) *quæ sunt vtriusque.* Altera

Platonica est aut Pythagorica : κόσμος ἡ τῶν ὅλων τάξις ἐστὶ καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένη. *Mundus est ornata ordinatio* (vertit Apuleius) *Dei munere, Deorum recta custodia.* qui τὸ ὑπὸ θεοῦ, ad vocem διακόσμησιν, refert, non ad φυλαττομένη, quod sequitur. Illa ergo constituit, τὸ πρῶτον γνωσθὲν τοῦ κόσμου, cum Platone, Pythagora & aliis, qui De cœlo lib. 1. cap. 10. rejiciuntur. Altera priori parti libri respondet, quæ Peripatice tractatur : altera posteriori, in qua nihil est quod non ab Aristotelis opinionibus recedat Hoc quoque factum esse ab Aristotele quis credat?

Nono, Aristoteles nunquam συμφωνηθεῖσι προοιμίοις est vsus, neque dedicare libros suos solet. Vnde liber Rhetoricorum ad Alexandrum quoque, vt inter Aristotelica, ἀθετεῖται & rejicitur. Atqui idem fit in isto.

Decimo, Ipse Aristoteles lib. Meteor. 1. cap. 1. totum ordinem eorum quæ de Mundo & Natura scripsit, proponit. quibus sigillatim consummatis, negat aliud restare quod de his scribat : quandoquidem instituti sui finem esset consecutus. Primo autem ponit, quæ de primis naturæ causis omnique motu naturali scripsit. Ita octo libros physicæ Acroaseos vocat. Secundo, quæ de stellis in sublimi regione dispositis & ordinato earum motu, item de corporeis elementis. Ita libros IV. De cœlo

vocat.

vocat. III. quæ de generatione & corruptione. Ita libros qui eadem inscriptione circumferuntur. IV. quæ de Meteoris, de quibus tum agebat. V. Iis absolutis animalium historiam promittit. quo Alexander libros De anima, De sensu & sensibilibus, De reminiscentia, somno & diuinatione in somno, tum De senectute ac juuentute, De longitate & breuitate vitæ, & si quæ sunt alia quæ ad animalia spectant, vt de partibus, de incessu, de motu eorum, putat referenda. VI. De plantis. Addit autem post hæc omnia, κεδὸν ἦ, τάτων ῥηθέντων, τέλ@ ἂν εἴη γεγονὸς τ ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως, id est, *hæc autem cum absoluerimus, forte finem instituti nostri consecuti erimus.* Eadem propemodum lib. III. De cœlo.

Vndecimo, cum olim essent nonnulli, qui IV. De cœlo libros Aristoteli De mundo scriptos esse existimarent (vocem enim ὐρανὸν sic ibi intelligendam esse, siquidem vt illi existimabant, ibi primo κὰ προηγυμνώς de mundo, secundo de cœlo, postremo etiam de elementis ageretur) Simplicius pluribus iisq; satis firmis probat argumẽtis, nihil ibi dici de mundo, nisi quod simul & de cœlo dici Aristotelice possit: aut potius, nihil ibi dici de mundo, nisi quod mundus cum cœlo commune haberet: quod, nimirum, perennis, quod finitus magnitudine, & quod vnus sit numero. Vbi inter cætera hoc addit: Ἀλλ' εἴπερ βέλοιτό τις τὼ

εἰσοτέλκς τὸν κόσμκ θεωρίαν ἰδεῖν, ἐν πάσαις ὁμοῦ ταῖς φυσικαῖς αὐτοῦ πραγματείαις τὸν κόσμκ πραγματεύσασθαι ῥητέον. id est. *Si quis autem Aristotelis De mundo scripta videre velit, dicendum est, eum in omnibus in quibus de natura egit, de mundo quoque egisse.* Vbi quæso tum Aristotelis De mundo liber latebat? quem simplicitate mera viri docti Aristoteli asscribunt.

Duodecimo, Addit ibi Simplicius, Si quis opus desideraret, in quo simul de omnibus mundi ageretur partibus, ei Nicolaum Damascenum potius legendum esse, qui De mundo, vel De vniuerso, librum scripsisset. Διὸ Νικόλαος ὁ περιπατητικὸς τὰ πάντων τὰ ἐν τῷ κόσμῳ καθ' ἕδος ποιεῖται λόγον. id est, *Ac idcirco Nicolaus Peripateticus de omnibus quæ sunt in mundo, sigillatim agit.* Et ne quis dubitare possit, quamuis hoc sufficiat, diserte addit, Ex duobus Aristotelis quos jam adduximus locis, firmiter concludi posse, primo, Aristotelem nusquam De mundo, nisi in istis, scripsisse. Deinde, neque ita de cœlo vt de mundo. ὅτι ἀλλαχοῦ περὶ κόσμκ εἰρῆσθαι, ὅτι ὅτως περὶ οὐρανοῦ ὡς περὶ κόσμκ.

Etiam hoc accedat. Solet Aristoteles, quoties Platonicarum meminit opinionum, earum ita meminisse, vt non sine aliqua maleuolentiæ aut animi acerbitatis suspiciuncula, de qua ante diximus, euertere illas & extenuare conetur: quod jam plurimi notarunt. Vnde a vete-

veteribus nonnullis prope impietatis accusatur. Qua de re, cum alii, tum præcipue Ælianus Var. Hist. lib. IV. cap. x. Satis quoque notum est, quomodo lib. I. Eth. de Ideis, II. Politicorum de Republica Platonis agat: non præter mentē modo viri, sed & interdum contra eam. Vbi & subacerba nota illa extat: τὸ μὲν ἂν πεπλεῖον, ἔχουσι πάντες οἱ δὲ Σωκρατικοὶ λόγοι, καὶ τὸ κεκμηκὸς & τὸ κεκνοτόμον, καὶ τὸ ζητητικόν. καλῶς μὲν πάντα, ἴσως χαλεπόν. id est, *eruditionem certe & elegantiam ac nouam distinguendi ac quærendi rationem omnes Socratici sermones præ se ferunt: vt vero omnia recte, forte est difficile.* Eosdem libros vix inchoauit, cum Platonem nomine dissimulato reprehendit, quod is in Politico, subjectorum numero non specie, distare inter se familiam putaret & Remp. Et profecto satis inciuiliter, ὅσοι μὲν ἂν οἴονται &c. ὃ καλῶς λέγουσι. quemadmodum sæpe alibi. Cum hic non modo non ab ejus opinione maleuole discedat, sed in partes ejus transeat nonnunquam. Nam & γνωσιμώτερον vocat: & diuini viri laude opusculum concludit. quod non est illius quem antiqui notant, αὐτοσχεδιάζοντα τῷ Πλάτωνι ἀμφισβητοῦντα.

Postremo, Vt Laërtium omittam, quid de Pachymerio dicent, homine doctissimo, qui & compendium totius Aristotelicæ philosophiæ dedit, & hos ipsos libros ordine digessit? Cur non inter reliqua quoque, scriptum

hoc interpretatur vel recenſet, vel cur id non faciat, rationem ſaltem reddit?

Iam ad rationem ſcribendi veniamus: in qua duo potiſſimum examinanda, Methodus, & Forma orationis.

Nam ſi methodum reſpicias, vbi eſt accuratum illud philoſophi & conſuetum? Vbi diuina illa ἀναλυτικὴ, quæ in partes ſuas totum ita reſoluit, vt intelligantur perſpicue quæ proponuntur? quam aliquoties τῷ ὑφηγημένῳ μέθοδον, id eſt, ſolitam ſibi & conſuetam ac quaſi propriam agendi rationem, vocat. Vt Polit. lib. 1. cap. 1. Item in libris De generat. & corrupt. Sicut Met. lib. 1. cap. 1. τὸν ὑφηγημένον τρόπον. Vbi tamen Alexander docet, τὸν ὑφηγημένον τρόπον dixiſſe, ὅτι μὴ ἰσορίαν τινὰ παρέδωκεν ἐν τοῖς περὶ τούτων γιλίῳ, ἀλλὰ μὴ τὰς οἰκείας ἑκάστου τῶν λεγομένων ζητεῖν αἰτίας τε καὶ ἐκδιδόναι, καὶ μετ' ἀποδείξεως τῷ περὶ αὐτῶν ποιεῖσθαι θεωρίαν, id eſt, *quod non nudam aliquam in illis traderet doctrinam, ſed quod cauſas ſingulorum inquireret ac redderet, & demonſtratiue ageret.* Vbi ſunt diuiſiones illæ, à quibus exorditur plerumque? vnde & vniuerſales in principio enunciationes, & illud πᾶσα vel πᾶν vel πᾶς, quod in prima fere ſemper nouæ doctrinæ periodo genus complectitur. Vt in Phyſ. Ἐπιδὴ τὸ εἰδέναι καὶ τὸ ὁπόσα σημαίνει περὶ πάσας τὰς μεθόδους, In Nicom. Πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, In Polit. Ἐπιδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν, κοινω-

καινωνίαν τινα ἔσαν, In principio τῆς ἀποδεικτικῆς, Πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ, ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως· quæ καινὰ ἀξιώματα ab interpretibus vocantur. Cujus causa primo Metaphysicorum in diuina illa reddi-tur præfatione, vbi de experientia & arte di-sputatur: quam philosophus ostendit, τῶν καθόλου εἶναι. Quare poterat fortasse, hoc aut si-mili modo, πραγματείαν istam suo more in-choasse, Παντων τῶν ὄντων εἰς ἐγκόσμιά τε καὶ τὰ ἐπὲρ τοῦτα διηρημένων. Quanquam nonnemi-ni minuta nimis videri ista possunt. & sint sa-ne: cum non tam docere quam describere vniuersum hoc, & delineare καθ' ἰσορίας τρόπον, autori sit propositum. Tota enim consi-deratio est τῶν ὅτι. Quod non est proprium philosophi. Habet enim ille se ad reliquos scri-ptores, sicut architectus ad operarios: quem-admodum ibidem Metaphysicorum primo dicitur. Philosophia enim vere est architecto-rum, quia nouit causas & exponit. Ita nautæ nostri Itineraria quotidie sua fide optima sed simpliciſſime conscribunt, qui τὸ ὅτι submini-strant: vt qui singulorum cognitione sunt præditi, quam obseruatione & αὐτοψία pepe-rerunt. At philosophi τὸ διότι sibi seruant. Ta-le autem hic nihil. Est enim fere nihil aliud quam nuda descriptio. Vnde in codice MS. quo vsi sumus, περὶ κοσμογραφίας inscribe-batur.

Venio

Venio ad orationis formam & dicendi genus: quod qui non aduertit, plane fine sensu vivit, & profecto fœnum esse oportet.

Tria, quod antiqui quoque monuere, in omnibus Philosophi scriptis, quod ad elocutionem, obseruabit, qui non perfunctorie in iis est versatus, & in lectione veterum non leuiter subactum judicium habet: τὸ τῆς λέξεως ἄκομψον, τὸ τῆς φράσεως ἀκριβὲς, & τὸ τῶν ἐννοιῶν σωφρονισμένον. Primum vocare possis, *castitatem verborum*, secundum *accuratam loquendi diligentiam*, tertium *constrictam in sensibus breuitatem & cumulum*. Quorum è postremo illa nascitur ἀσάφεια, siue obscuritas, quam illi tribuunt interpretes. Eorum autem omnium nihil hic quisquam inueniet. Quippe & dictio est comptior quam pro castitate Aristotelis: & minime λοπόνηρος, sed potius sophistica. à quo alieniſſimi sunt sani scriptores. Nam quemadmodum illi qui tum temporis viuebant & scribebant accurate, tanquam scopulos & cautes, voces ἀπηρχαιωμένας & vetustate obsoletas fugiebant, ita non necesse fuit, vt sophisticas vitarent, quæ tum puritatem sæculi nondum inquinarant. Adde, quod locutiones minus accuratæ, vt nec constrictæ: cum in tanta breuitate describendi res multas, sæpe luxuriet oratio. Tanta vero est perspicuitas, ut nihil ad intelligendum opus sit illa γυμνασιωτέρα, quam Simplicius requirit in le-

in lectore, Aristotelis ἀγχνόιᾳ, cum ab homine imperito prope possint capi singula. Ne dicam verba vsitata & vulgaria, aut æuo Aristotelis vix vsu confirmata. Qualia multa afferri exempla possent, nisi satis esset indicasse. Tamen vt studia aliorum acuamus, ipsam opusculi præfationem videbimus.

Πολλάκις μοὶ ἔμοιγε, θεῖόν τι καὶ δαιμόνιον ὄντως χρῆμα, ὦ Ἀλέξανδρε, ἡ Φιλοσοφία ἔδοξεν εἶναι.] Est periodus plane σωεσραμμένη & περιωδυμένη, & rhetorico more cumulata ac contorta, quæ vt in ambitum majorem excresceret, θεῖον & δαιμόνιον χρῆμα, philosophiam vocauit. Quod mirabitur aut etiam ridebit, qui de stricto Aristotelis dicendi charactere cogitabit. Philosophus autem statim ex qua officina prodeat videbit. Eorum nempe, qui quod Plato etiam quæ ad naturam referenda essent, καθὸ τι ὑπὲρ φύσιν μετέχουσιν tractaret, contra autem etiam quæ supra naturam essent, καθὰ πρὸς τὴν φύσιν ἔχουσιν Aristoteles consideraret, alterum θεὸν, nempe Platonem, alterum δαιμόνιον aut δαίμονα dicebant. quo respeximus in Peplo nostro cum de Aristotele cecinimus,

Δαίμονα τὸν μερόπων, τὸν Νικομάχου γενετῆος.

Τῶν Ἀσκληπιαδέων φέρτορ Ἀεσκολήπι,
Τὸν γαίης περιέοντος Ἀλεξάνδροιο πολίτην,
Καὶ τροφὸν, ὡς Χείρων ποτὲ Πηλείδου,

Τὸν

Τὸν σοφίης κρατέοντα, φέρῃ τότε ἐς τότε φαίνῃ,
Γῆς ὅτε τ' πάσης ἡ Μακεπὴς κρατέῃ.

Sicut ergo duas definitiones posuit, Peripateticam alteram, alteram Platonicam aut Pythagoricam, qui alia è Platone alia ex Aristotele desumpsit: ita nunc cum θεῖον καὶ δαιμόνιον χρῆμα philosophiam vocat, ad autores ejus alluisse videtur: plane sophistico acumine. Nisi quod illud ὑστεροβδηλότερον. Nam cum θεῖον primo loco posuisset, addit καὶ δαιμόνιον ὄντως. quod minus est quam prius, cum majus quid expectaretur. tum quia ὄντως notat plus esse id quod sequitur quam quod præcessit. At quis ignorat longe minus esse τὸ δαιμόνιον quam τὸ θεῖον? Quare longe aliter hæc Apuleius extulit. Illud vero plane redundans est & ineptum, quod sequitur:

Ἐπὶ δὴ γὰρ ἀχ' οἷόν τε λῷ τῷ σώματι εἰς τὸν ἀέριον ἀφικέσθαι τόπον, ἢ τῷ γλιῷ ἐκλιπόντα, τὸν ἀέριον ἐκεῖνον χῶρον καλοπλεῦσαι.] Quis ab Aristotele vnquam expectaret, vt ἀέριον τόπον vocaret τὸν ἀρανὸν: &, quod stultum est plane ac ridiculum, in eadem rursus periodo, ἀέριον χῶρον diceret? Qui hæc talia non videt, sub lentissimis maxillis edit, &, si verum volumus fateri, plane est indignus, qui tria vnquam commata in Aristotele legerit.

Καθάπερ οἱ αὐόητοί ποτε ἐπενόησαν Ἀλωάδαι] Ἔννοια plane sophistica, aut declamatoria. quæ magis locum habet in Ouidii carmine, qui

ne, qui idem plane dixit, sed sine vitio:

Sic petitur cœlum; non vt ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliacus sidera tangat apex.

Deinde illa, ἡ γὲν ψυχὴ ἀφὲ φιλοσοφίας λαβοῦσα ἡγεμόνα τὲ νῦν, &, ᾗ θεῷ ψυχῆς ὄμματι τὰ θεῖα καθαλαβοῦσα, qui non statim odoratur vnde sint desumpta, numquam Pythagoricos recentiores inspexit, qui ad nauseam vsque hæc & id genus alia inculcant, τὸν τὲ ψυχῆς ὀφθαλμὸν, τὸ τὲ ψυχῆς ὄμμα, τὲ πάσης γνώσεώς τε ᾗ παιδείας ἡγεμόνα νῦν, & similia. Quæ in Iamblichi Protreptico, Hierocle & aliis, millies occurrunt.

Τοῦτο ἢ ἔπαθε, καθ' ὅσον οἷόν τε ἰῶ πᾶσιν ἀφθόνως μεταδοῦναι, βεληθεῖσα τῶ παρ' αὐτῆς πιμίων] Primo τῶν παρ' αὐτῇ maluisset Aristoteles. sed qui πίμια τῆς φιλοσοφίας vocare potest disciplinarum scientiam, etiam κτμήλια φιλοσοφίας (& quid non?) dicere audebit. Hæc imbelli sophistarum generi sunt relinquenda. Alios profecto artus & membra habet magni viri oratio.

Οἱ μὲν πλὴ Ὄσσαν, οἱ ἢ πλὴ Νύσσαν, οἱ δὲ τὸ Κωρύκιον αὖτρον] Hæc periodus & quæ præcedit, ἐνὲς τόπε φύσιν, ἢ μιᾶς ἁρμα πόλεως, ἢ παταμῦ μέγεθος, ἢ ὄρεος κάλλος, plane ad actionem factæ videntur, neque aliud requirunt, ἢ χεῖρα ῥήτορος ἐμπεριαγομένην τῷ ῥυθμῷ, *quam manum rhetoris quæ rythmum sequatur.* quod propositum, si Diis placet, Aristoteli fuit, qui nihil

nihil ἐνδοξικῶς ἢ παναγυρικῶς, sed potius ἀποδεικτικῶς & διδασκαλικῶς omnia scripsit. Neque est dubium, quin illi, quorum hic meminit, diu post Aristotelem & scripserint & vixerint. fuerunt enim homines nugaces, & qui ne nihil agerent, hoc modo ocium suum quia ferre non poterant, vlciſci voluerunt. Ibi autem vere, si Musis placet, Aristotelem agnoscis, τῶτο ἢ πάσχουσι, διὰ τὸ ἀθέατοι τ κρεττόνων εἶναι. λέγω ἢ κόσμε καὶ τ ἐν κόσμῳ μεγίσων. Neque minus in eo quod præcessit, οἷα τέ τινες ἤδη πεποιήκασι, φερόζοντες, οἱ μὲν τὴν Ὄσσαν. vt φερόζειν τὴν Ὄσσαν, sit, Ossæ montis historiam diligenter persequi, aut, vt vertit Budæus, *accurata dictione describere*. Postrema vero ita est languida & frigida, vt nihil magis. Περίπυ δὲ οἶμαί γε καί σοι, ἡγεμόνων ὄντι δρίσῳ, τὴν τ μεγίσων ἱστορίαν μελέτην, φιλοσοφίᾳ τε μηδὲν μικρὸν ὑπονοεῖν, ἀλλὰ τοῖς τῶτης δώροις δεξιῶσθαι τὸς ὁρίσας. Nam quam dignum est Aristotele, monere Alexandrum, δεξιῶσθαι σὺν ἀορίσως τῇ φιλοσοφίᾳ, longe alio sensu quam eruditi viri suspicantur, & quo nemo facile apud antiquissimos reperiat scriptores. Deinde δῶρα τ φιλοσοφίας, pro ipsa, quam est dignum casta & seuera Aristotelis oratione, qui vix illius meminit, cum eam commendat! Quare manum tollo, vnum si addidero. Duo agit autor in præfatione: primo tam κυδαίως philosophiam laudat, quam diuinus vir θαυμασίως.

eo de

eo de quo egimus loco. Secundo ait, Rege in primis dignam esse accuratam philosophiæ cognitionem. idque illis quæ jam adduximus verbis. An autem hoc ita dignum putant Aristotele, vt ne dici quidem potuerit ab alio? Quid si contra Alexandro Aristoteles persuasit, indignum rege nimium philosophiæ esse studium. imo satis esse, si philosophis vtatur? Cum præsertim hic de Naturali potissimum agatur. Quod in oratione Quinquennali, quam nos primi edidimus, Themistius testatur. ἄγαθῃ ἦ ἄξιον Ἀριστοτέλω, ὅτι μικρὸν τὰ Πλάτωνος ῥήματα μεταθεὶς ἐς λόγους, πεποίηκεν ἀληθέστερον· φιλοσοφεῖν μὲν τῷ βασιλεῖ οὐχ ὅπως ἀναγκαῖον εἶναι φάσκων, ἀλλὰ καὶ ἐμποδών· τοῖς δὲ φιλοσοφοῦσιν ἀληθινῶς ἐγκυλιάν, δὲ πρὸ τῆς καὶ δίκηθον. Vnde & Platonem reprehendit, qui philosophis tradiderat imperium. Conferantur hæc cum illis. Eum autem locum ex Politicis Acroamaticis illius, aut ex libro quem de Regno scripserat, depromptum arbitramur. In quibus multa liberius, quæ alibi celabat, homo vere vafer καὶ τοῖς βασιλεῦσιν ὁμιλεῖν natus, ut à Luciano describitur. Intelligebat enim, perpetuo futurum sese Regi suo admirationi, si non prorsus intelligeret quæ miraretur. Compone cum his, si videtur, diuinam & laude omni majorem Metaphysicorum præfationem. Verum pudet diutius his immorari.

Refutatis aliorum opinionibus, reſtat vt ipſi aliquid ponamus: quod priuſquam faciamus, illud eſt notandum, Tres fuiſſe cauſas antiquis philoſophis, cur aliquod Ariſtotelis ſcriptum in dubium vocarent. Vna ex iis erat, quod ejuſdem nominis cum Ariſtotele alii fuiſſent. Octo enim commemorantur, quorum ſcripta ſæpe falſo huic Ariſtoteli aſſcripra fuiſſe docer Ammonius. Secunda, quod plurima hononyma ſcripta eſſent edira. Cum diſcipuli illius Eudemus, Phanias, & Theophraſtus, ſtudio & æmulatione præceptoris ſui, plurima inſcriptione eadem cum Ariſtotele darent: quæ & ipſa Ariſtoteli aſſcripta à nonnullis ſunt. Tertia, quam nos addimus, eſt, homonymia ejus ad quem ſcribitur: ſiquidem plures Alexandri præter Macedonem illum fuerunt: ideoque ſcriptum aliquod quod Ariſtotelis non eſſet, & aſſcribi tamen ei potuit. Quarta eſt, quod Prolomæum Philadelphum, ſtudioſum admodum Ariſtotelis fuiſſe ſatis conſtat. Hoc autem ſtudio Regis, multos excitatos ea tempeſtate, vt quæ ipſi ſcripſiſſent, ſub Philoſophi nomine Regi offerrent. Quamquam ad ætatem illam numquam referre hoc ſcriptum auſim. Longe enim recentius videtur. & eſſe certum eſt.

Vnum ergo ex his tribus reſtare videtur: Scilicet aut Alexandri nomen perperam adjectum eſſe, quod in exemplaribus nonnullis hodie-

hodieque omittitur, vt jam ante docti monuerunt: & occasione ista in præfationem simul irrepsisse. Aut hunc Alexandrum cognominem superiori fuisse: aut postremo, Alexandri nomen ab autore additum fuisse, vt facilius sub nomine Aristotelis admitteretur. Quod mangonium familiare admodum sophistis semper fuit. Idem certe in Rhetoricis ad Alexandrum, factum videtur. Quem librum nemo tam est imperitus qui Macedonis ætate scriptum persuadere aliis, aut sibi, possit. Multo minus, γνήσιον ϑ πατρὸς εἶναι τὸ τεχνίον. Neque tamen erat cur hoc nomen aut hic fucus tantum apud eruditos posset, vt diuinum etiam Mureti ingenium mouere debuerit. Ego autem ex his tribus, primum esse omnino verum arbitror: perperam nimirum Alexandri nomen esse adjectum, quia aliquid scripsisse ad Alexandrũ olim Aristotelem pleriq; credidissent. Ipsum vero autorẽ, sub Romanis, vel Augusti tempore, vel infra, scripsisse existimo: siue is Nicolaus Damascenus, siue alius quicunque fuerit: qui profecto non tam Peripateticũ aut Platonicum, quam Electicum hic egit. Quin, vt plane dicam quod sentio, ne Præfationem quidem plane judico ejusdem esse autoris cum reliquis. Et fortassis Apuleii est antiquior. Quid enim an non potuit mutatis paulũ verbis, aut omissis aut additis, ab aliquo appingi, qui ascribere Aristoteli libellum voluit?

Ad Librum Aristotelis Politicorum Præfatio, seu Dissertatio, postridie habita: cuius supra post Orationem XX fit mentio.

SApienter cum primis & grauissime ab Aristotele, libro de Morali disciplina decimo, capite octauo, dictum est, *Si mens hominis, cum reliquo collata homine, diuina est, etiam quæ ex ejus præscripto vita instituitur, si cum reliqua conferatur hominis vita, erit diuina.* Vitam autem quæ secundum mentem est, cum Pythagora & Pythagoricis, Platone item in Phædone, & omnibus Platonicis, eam intelligit, quæ in contemplatione rerum cœlestium & perfectione sui consistit. Solius Dei est semper contemplari: hominis autē in hoc versari, vt quam proxime ad Deum contemplando accedat. Ac propterea, quod Philosophus ibidem docet, Contemplatio, vt hominem cum Deo conjungit, ita a non homine quā maxime distinguit. Porro, cum duo in homine spectentur, solus Deus simplex sit & non compositus, necesse est, quod ab eodem diuinitus dicitur, ἀνθρωπεύεσθαι τὰ ἀνθρώπου, hoc est, vt humano more gerat se homo, quatenus id partis alterius requirit necessitas. Quod cum sæpe tradidissent duo sapientiæ lumina, Aristoteles & Plato, vterque eas quoque disciplinas quæ ab actione nomen habent, diligenter pertractauit. quam philosophiam, τὴν περὶ τὰ ἀνθρώπινα

πνα, seu quæ de humanis agit rebus, decimo De moribus propterea vocauit idem Aristoteles. Ejus quippe finis est felicitas humana: materia, humanæ actiones. quæ ex voluntate hominis, seu, quo verbo vtitur Philosophus, ex humana prælectione oriuntur. Cum autem aliter in vita, aliter in Republica consideretur homo, fit vt aliter in solo homine considerentur actiones, de quo agit disciplina morum, quæ μονάζουσα idcirco a nonnullis dicitur: aliter in homine ad alios relato, quem Politicus considerat & Oeconomicus. Quippe, exempli causa, aliæ sunt actiones hominis vt hominis, aliæ hominis vt domini. Quo videndum est an Philosophus respexerit, cum initio Politicorum primi, Platonem suo more tangit, quod tantum subjectorum numero, non autem specie, familiam distare & Rempublicam in Politico dixisset. Aliud enim boni Regis in Republica, aliud boni heri. in familia imperium. Quamquam hoc ad juris potius æqualitatem, qua in ciuitate continentur omnes, & ad imperandi rationem, quæ non habet locum in familia, sit referendum. Nam & in Republica, aliæ sunt Regis, aliæ Consulis, aliæ Imperatoris virtutes. Ejus enim qui paret & qui imperat, aliquod per se opus esse potest: potest item aliud ad inuicem relatum, quod καθ' ἕξιν dicunt. Plato ab animo plerumque, etiam in Rep.,

exempla desumit. Est in eo pars quæ paret & quæ imperat. Imperat pars illa quæ à ratione habet nomen. Ea ergo pars cum contemplatur, simplex & naturæ suæ opus agit: cum vero appetitum moderatur, jam relate agit, sicut dominus in domo, rex in vrbe, imperator in familia. Priores actiones in Moralibus, alteras in libris De ciuili doctrina Aristoteles considerat: quos cum istis vna serie continuauit. Cæterum ingenii cœlestis & vbique contemplationi propior, καὶ πάνυ, vt loquuntur Aristotelis interpretes, καθὸ τῶν ὑπὲρ φύσιν μετέχειν, considerans Plato, quod plerique non satis intellexerunt, & contemplatiuam & actiuam descripsit Rempubl. Quia enim judicabat, nihil sine idea, ac ne ea quidem quæ à Deo immortali fiunt, posse produci, omnium primo Reipubl. exemplum, deinde ipsam quam ex ea efformauit Remp. descripsit. Hæc est illa nobilis Reipubl. idea, in qua summum magistratum suum vult philosophari: quod non est tam agere, quam contemplari, ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν, καὶ τὰ ὄντα πάντα ἀεὶ ἔντα, qui est Deus immortalis, contemplatione jugiter versari. Contemplantis enim actiones non sunt περόδους ἐξωτερικὰς aut μεταβαίνουσας, sed ἐμμενούσας, quales multæ Dei sunt, quia ad alium non transeunt sed in contemplante manent. Tum nullius indigent auxilio quemadmodum Politicæ. Ideoque

septi-

septimo Politicorum eleganter à Peripateticorum principe, αὐτοτελεῖς dicuntur. vbi prolixe de his disputauit. Hæc est illa, in qua in exilium ejicitur Homerus. Hæc est illa, libris decem comprehensa, quam De Iusto idem quoque Plato inscripsit: in quam toties incurrit Lucianus: quam in Iouis aula Epigrammatarius reponit. Quod astricta nulli loco, nullis circumstantiis accommodata (diuersa scilicet ab illa, quam Politicorum quarto πολιτείαν πρὸς ὑπόθεσιν vocauit Aristoteles) aliter quam eæ quæ reuera sunt, considerandæ videatur. Exemplum, scilicet, quod animo sequare, re autem nemo expresserit. Vnde & ipse Plato, quoties inusitatum aliquid & quod cum communi sensu pugnat, traditurus est in ea, πόλεως παράδειγμα, id est, exemplum ciuitatis, se delineare ait. Idem ait, se τῷ λόγῳ ποιεῖν τὴν πόλιν. hoc est, vt Minucius interpretatur, *sermone & exempli gratia*, ciuitatem condere. Vnde & eam λογοθεώρητον Tullius vocauit. & ipse rursus Plato lib. De Rep. IV. ait se μυθολογεῖν τὴν πόλιν. hoc est, *fabuloſe, & poëtarum more*, aut, *sermonis gratia ac disputandi, Remp. formare*. Idem lib. IX. λόγῳ κτίζω, hoc est, *sermone, aut in exemplum propositam*, vocat. Et hoc est quod ab antiquis Ecclesiæ doctoribus, Clemente, Theodoreto, Ambrosio, Nazianzeno, aliis, Platoni objicitur: quod sermone fecerit Rempubl. quæ reuera existere non possit. τὸ, λόγῳ

uandum esse, vt ab aliis Rebusp. ea separetur. VI. *Vt alterâ quoque ejus Resp. examinetur.* VII. *Totius operis in partes suas diuisio.* Ita ergo, si Platonem vobis nunc proponerem, primo omnium, quid auctori in iis libris sit propositum, ostenderem. Tum deinde, triplicem scribendi esse formam probarem. Aliam, qualem in Comœdiis videmus & Dialogis, qui personis distinguuntur: aliam, quæ sine vlla personarum varietate, aliquid simpliciter persequitur, quemadmodum historici: aliam, quæ mixta ex his duabus. qua autorem illum in Republica esse vsum. Deinde ipsius scripti quasdam quasi circumstantias considerarem. quam materiam Platonici dixerunt. In qua vobis dissertatione, ipsos quoque locos (exempli causa, portum Athenienſium, cui Piræo nomen erat, in quo eam disputationem habitam vult Plato) describerem. Tum & de tempore nonnulla adderem. Quale festum fuerit Βενδίδια, qualis Diana, à qua nomen suum festum id accepit, explicarẽ. Sed & de personis aliquid dicendum esset. Ac primũ de suauissimo Socrate, qui Platonis ore ibi loquitur & mente. tum de Cephalo, sene venustissimo, qui in limine ipso introducitur, & de senectute multa mirabiliter philosophatur: mox deinde, vt in comœdia Terentianus Sosia, non amplius apparet. vt & de Thrasymacho, qui ibi injustitiam μάλα τυραννικῶς oppugnat, & reliquis.

Tum vero, alteram Platonis Rempubl. ἐν ἰδέας λόγῳ & exempli gratia proponi, alteram & esse & exhiberi posse. Monerem quoque, quæ & qualis & quo fine instituta prior esset, in qua multa dixit quæ non posse fieri sciebat Plato. Sed & Politicum examinarem. In quo, de definitione, origine & causis, tum de modo πολιτείας, ac præcipue in Regno, egit: & secundam quam De legibus inscripsit. Tum & de Epinomide nonnulla adderem: ipsumque opus in membra diuiderem ac partes. Multa denique amœna ac jucunda, ex occasione eorum quæ dicuntur ab autore, proponerem. In primis autem, de humano animo ejusque tribus partibus dissererem: ad quas mirus auctor, ciuitatem ejusque partes delineauit circumspecte ac descripsit; Pythagoricos, vt sæpe alias, secutus. Aliquid enim temporis in iis olim posuisse me memini. Nunc vero, ad frugalem ac seuerum, & qui tantum docet, Auditores, scriptorem accessimus. In quo ne hæc quidem locum habent, cum in his fere omnibus, dissimilis Platoni sit Aristoteles. Nam & scopus quamquam idem sit, alio tamen modo ad eum Aristoteles deducit. siue opiniones proprias oppugnat, quod ἀπορεῖν, siue proponit, quod λέγειν ab eo dicitur. Et dicendi forma, vt jam diximus, ex persona autoris est, non mixta. & materies quam vocant Platonici, vna cum personis reliquisque

vt

vt nunc loquuntur, circumstantiis Dialogorum tollitur, quas Aristoteles ignorat. Nulla quoque Rerump. hic requiritur diuisio: quia vnicam proponit, operisque, vt res ipsa docet, partes, longe sunt diuersæ. Græci vero Aristotelis interpretes, magno & ingenio & eruditione viri, septem in principiis librorum, vt plurimum præmittunt. Ita vt agant, I. *De scopo.* II. *De vtilitate.* III. *De inscriptionis causa.* IV. *De ordine & loco quem in philosophia obtinent.* V. *An legitimum philosophi sit scriptum.* VI. *De totius operis in partes suas distributione.* VII. *Ad quam philosophiæ pertineat partem.* Ad primum quod attinet, Quemadmodum in libris De moribus propositum est Aristoteli, vt vnum aliquem, duplici virtute, tum ea quæ in moribus tum quæ in mentis agitatione cernitur, efficiat beatum: ita hic, vt totam ciuitatem quæ ex talibus constat ciuibus, ad summum ciuitatis perducat bonum. Nam quemadmodum principio Ethicorum singuli homines, imo singula, quod amplius est, bonum, aliquod appetere dicuntur, & id esse bonum, quod ab omnibus appetitur: ita suum ciuitati toti bonum est propositum. Id quod Plato, re quidem vnum idemque, ciuitatem tamen ipsam si videas, quæ plurimos complectitur, esse angustius fatetur. Secundum est vtilitas. Quæ describi satis exprimique non potest. Neque ego oratorem hic ago, sed simpliciter doceo. Hæc enim

enim est quæ ex hominibus conjugium, ex conjugio familiam, ex familia conuentum, ex conuentu ciuitatem statuit: quam deinde legibus fundat, humano ac diuino jure munit, conseruat, regit, actuetur. quæ principem à populo, populum à principe distinguit: vtrique autem partes suas ac officia, idque quod καθῆκον vocant, cujus ratione vita nostra non vrbs modo continetur, proponit. Cujus dignitatem ac vtilitatem, quia recte veteres intelligebant, ipsum Ius illius partem esse voluerunt, sicut ante Aristoteles postremo Ethicorum capite τῷ νομοθετικῷ τ πολιτικῆς partem fecerat. Non enim hæc de stillicidiis & testamentis, sed de vniuersa Republica agit. Quare qui in nostris Rebuspublicis versantur Iuris consulti, sæpius Politici dicuntur. Tertium est, De inscriptionis causa. De qua priusquam agamus, necessario de aliis ejusdem argumenti Aristotelis libris verbo agendum est. Qui ad hanc ciuilem scientiam spectarent sex potissimum scripsisse Aristoteles notatur libros. Primo, Πολιτικῆς ἀκροάσεως octo. secundo, Πολιτικῶν duos. tertio, Πολιτειῶν siue Rerumpublicarum *centum quinquaginta octo*. quarto, *De Platonis legibus tres*. quinto, *De Platonis Republica duos*. sexto, *Epistolas ad Philippum Politicas*. Ideoque quæri solet, Quinam sint quos habemus, Πολιτικῆς ἀκροάσεως libri? Conuenit numerus. Octo scripsisse notatur:

tatur : totidem ſuperſunt. Quod tamen mihi nunquam potuit probari. Cujus rei rationes nobis ſunt reddendæ. Ariſtotelem inter diſputandum, deambulare vt plurimum ſolere, nemini eſt ignotum. Ita autem tempus ſuum diſtinxiſſe ferunt, vt ſupremo mane, præter familiares, & qui plurimum jam profeciſſent, neminem admitteret (vnde eas diſputationes, ἑωθινὸν περίπατον, i. *deambulationem matutinam*, vocabat) Veſperi autem juuenes quoſcunque ad diſputationes ſuas minus accuratas inuitaret: quas δειλινὸν περίπατον, id eſt, *deambulationem veſpertinam*, dicebat. Alteras, quod vel obſcuræ eſſent magiſque accuratis conſtarent demonſtrationibus, vel quod ſolis eas familiaribus, tanquam quædam committeret arcana, Ἀκροαματικὰς dicebat λόγους. Alteras, quod æque cum omnibus communicaret, λόγους Ἐξωτερικὰς vocabat. At Plutarchus in Alexandro, vt & Gellius lib. xx, cap. iv, eo inclinant, vt quæ ad contemplatiuam facerent philoſophiam, Ἀκροαματικὰ, quæ ad actiuam, Ἐξωτερικὰ vocarit. Quæ res, nec cum ratione, nec cum ipſo mihi quidem Ariſtotele facere vnquam viſa eſt. Nam quos λόγους vocat Ἐξωτερικὰς, alibi, in primo De anima nimirum, τοὺς ἐν κοινῷ λεγομένους λόγους, id eſt, diſputationes, quæ coram omnibus promiſcue habentur, diſerte vocauit. Quare, niſi quod cum omnibus communicare eas ſoleret? Nam quid planius?

planius? Vnde Iohannes Grammaticus τοὺς ἐν κοινῷ λόγους, τοὺς ἀγεφύρους συνουσίας, disputationes non scriptas, quasque ad omnes ventitantes promiscue habebat, Simplicius autem, eas quæ accommodatæ erant auribus promiscuis, interpretatur: ambo autem τοὺς Ἐξωτερικοὺς intelligunt λόγους. Quare si in solis Acroamaticis de contemplatiuis egit, jam doctrina De anima, erit actiua. certe contemplatiua non erit. Nam in Exotericis, ajunt, de actiuis agebat. Quod omnino esse falsum, vel ex ipso Aristotele apparet. Quid quod Ethicorum primo, cap. vlt. se ἐν τοῖς Ἐξωτερικοῖς de anima egisse ait. (λέγεται δὲ καὶ αὐτῆς ἐν τοῖς Ἐξωτερικοῖς λόγοις ἱκανῶς ἔνια.) Quæ verba Andronicus Rhodius, Paraphrastes Philosophi doctissimus, quem nos primi vulgauimus, ita interpretatur: Περὶ ψυχῆς τοίνυν οὐ μόνον ἐν συγγράμμασιν, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ στόματος πρὸς τοὺς ἐντυγχάνοντας ἱκανῶς εἴπομέν ἔνια. Hoc est, *De anima, non solum in scriptis, sed & voce viua coram omnibus abunde quædam diximus.* Vt opponat Scripta, καὶ τοὺς Ἐξωτερικοὺς λόγους. Cum reliqui interpretes, ad Dialogica, Historica, Epistolica, & alia planiora Philosophi scripta, hoc referant. Et Galenus, in fragmento libelli, cui De substantia naturalium facultatum, titulum imposuit, quum alia promiscuæ scripsisset multitudini, auscultationes suas, hoc est, τοὺς Ἀκροαματικοὺς λόγους, cum amicis ac sodalibus

dalibus communicasse ait. tum autem vniuscujusq; sectæ arcana, Ἀκροάματα, ab antiquis, non ab Aristotele tantum, sed & a Platone, olim dicta, certissimum videtur. Plato, quæ de primo Deo sentiret, quem ὑπερτέλειον Platonici vocare solent, efferre in vulgus, nefas putabat: vnde & cum paucis hæc communicabat. Atque hinc ipse loco in Timæo notissimo, Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τόνδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα, εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Itaque quæ de Deo, amicis clam tradebat (qualia nonnulla extant in Epistolis, cum de vno agit Deo) Ἀκροάματα & Ἀκροάσεις Πλάτωνος περὶ θεοῦ καὶ περὶ ἀγαθοῦ, à Platonicis vocantur. Alcinous XVI. cap. τὸ μὲν δὴ πρωτεῖον καὶ μέγιστον ἀγαθὸν, ὅτε εὑρεῖν ἤθελε εἶναι ῥᾴδιον, οὔτε εὑρόντας ἀσφαλὲς εἰς πάντας ἐκφέρειν. πάνυ γοῦν ὀλίγοις τῶν γνωρίμων καὶ τοῖς προκεκριμένοις τὰ περὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἀκροάσεως μετέδωκε. Iam hoc nomen non contemplatiuæ tantum, sed actiuæ etiam philosophiæ ab Aristotele impositum fuisse, Laërtius ostendit. qui Acroamaticos Politicos adducit: quod ex ipso Aristotele & veteribus nonnullis potest probari. Nemo tamen melius discrimen hoc quam Strabo docuit, qui de libris Aristotelis & hac diuisione, cum agit, notat eos qui secuti Theophrastum sunt, τὰς κυρίας τοῦ φιλοσόφου δόξας, & hypotheses illius, ignorasse. ideoque in genere καὶ θεωρικῶς de rebus disputasse, quia nullos

nullos præter Exotericos habebant. Σωσίβη ἢ τοῖς ἐκ τῶν περιπάτων, τοῖς μὲν πάλαι τοῖς μὴ Θεόφραστον ὅλως σὺν ἔχουσι τὰ βιβλία, πολλῷ ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχόν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσις ληκυθίζειν, &c. Hic si τὸ πραγματικὸν sumas, sicut alibi à Dionysio Rhetore Halicarnassensi sumitur, qui τὸ θεωρητικὸν τὸ πραγματικὸν opponit, sola Acroamatica sequetur πρακτικὰ fuisse. Si paulo aliter, vt θεωρητικὰ opponas & πραγματικὰ, tamen quod volumus efficitur: etiam Acroamaticos Politicos fuisse, & in illis, non quemadmodum in scholis θεωρητικῶς, vt quid sit Respublica in genere, sed accommodatius ad vsum, de Reipublicæ arcanis fuisse disputatum. Quos ille libros cum edidisset, ea quæ nunc extat apud Gellium epistola, ab Alexandro est reprehensus. Volebat enim soli ea sibi Rex seruari. Cui Aristoteles, Esse edita, nec tamen edita, respondet: cum à nemine qui non ante instructus a præceptore esset, recte intelligerentur. Quam autem friuolum cum aliis existimare, Alexandrum de Physicis aut de Metaphysicis intellexisse? qui nihil minus quam ad regni ejus conseruationem, aut omnino quicquam Rege dignum spectabant? Quare nihil potuit excogitari ineptius. Et tamen, alterum Simplicio; alterum, vt alios omittam, placuit Plutarcho. Quid ad Alexandrum enim, si de primis naturalium corporum princi-

principiis seorsim ab antiquis Aristoteles sentiret, & hæc postea vulgaret? aut si quæ de ente, ejus partibus, affectionibus ac causis disputa[vi]it, ea cum aliis communicaret? Nos ergo ita judicamus. Alios Politicos fuisse, quos Ἀκροαματικοὺς dicebat: quibus imperii arcana, in Philippi gratiam potissimum & Alexandri, fuerat complexus. alios fuisse Ἐξωτερικοὺς Politicos: quos ab omnibus & legi & intelligi volebat. Quales sunt isti. In quibus generalia diuinitus & è singularibus collecta, deduxit. Nam quod numerus Laërtii non conuenit; conueniet si Græcæ literæ, quæ numerum designat, τ̃ præmittatur. quod sine dubio, vt solet, à librariis omissum est. Ita duodecim libri erunt, qui jam sunt duo. Tot autem hos fuisse quos in fine mutilos habemus, plane verisimile est. Nam & de virtute mulierum, & de seruis, se acturum, institutionem item optimæ Reipublicæ per omnes deducturum se ætates promiserat, quæ jam non præstitit. Istos igitur Politicorum libros, qui secundum in catalogo illius tenent locum, hos existimo. Nemo autem nescit, modis duobus vsurpari a Philosopho Politicen. Primo generaliter pro ea disciplina, quæ actiuas sub se reliquas complectitur: quales sunt Ethica, Oeconomica, Rhetorica, quæ illi subseruiunt, sicut militari arti artes subseruiunt minores. Quo sensu Ethicorum primo πολιτικὴ &

κυριωτάτη, καὶ τὰς ἄλλας περιέχουσα, id est, principalis, maxime propria, reliquasque sub se comprehendens, Politice vocatur. Quemadmodum à Platone in Theage, Phædro, Gorgia, in lib. de Republica ac Legibus, in Apologia item vsurpatur. Secundo, pro tertia philosophiæ parte quæ Actiua dicitur. Et sic proprie jam sumitur. Sequitur IV, De eo quem in philosophia obtinet ordine: hoc est, quonam loco post reliquas tradenda sit philosophiæ partes. Porro summi viri, qui philosophum interpretati sunt olim, cum de scriptis præceptoris sui agunt, quorum pleraque ad nos non peruenerunt, alia Ὑπομνηματικὰ, alia Συντάγματικὰ, fuisse notant. Quæ prioris autem essent generis, non magnæ fuisse rei, neque de vna aliqua egisse disciplina, cum in vsum proprium memoriæque causa à Philosopho conscripta essent. Contra vero, longe accuratius ac diligentia majori, quæ Ὑπομνηματικὰ dicebant, scripta fuisse obseruant. Quæ duûm rursus generum fecêre. Quod in aliis, personis vteretur, vt Plato: in aliis ipse, & ex persona sua, cuncta scriberet. cujus generis sunt ista quæ supersunt. Priora Διαλογικὰ, posteriora Αὐτοπροσώπα vocarunt. Ita nobilissimi Dialogi Eudemi sæpe fit mentio: in quo Platonis in Phædone de anima opinionem refutauerat. Cujus, cum alii, tum Philoponus, ad primum

primum De anima, ni fallor, meminit. Quæ omnia perſpicua, & ad vſum omnium accommodata videntur. Poſteriora autem ratione argumenti ita diuiſêre: vt quæcunque ab eo ſcripta extant, aut Inſtrumentalia, aut Actiua, aut Contemplatiua dicantur. Quippe quæ, aut ad demonſtrationem & illius rationes perducunt: aut virtutibus emendant mores: aut de forma ciuitatis ejuſque gubernandi ratione agunt: aut ſcientiam per naturalia, ad ea quæ ſunt ſupra naturam, promouent. Quorum altera Phyſice, altera Metaphyſice, ſiue libri De prima ſapientia nos docent. Primo autem loco, Inſtrumentales tradebant diſciplinas. quod ſine earum cognitione, in Contemplatiuis veritatem à mendacio, in Actiuis bonum à malo, diſtingui non poſſe exiſtimarent. Alii à Moralibus, Pythagoricorum more, initium ſumebant: qui libellos quoſdam vniuerſæ præmittebant philoſophiæ. quæ κατηχήσεις dicebantur. Qui tamen quantum inter vtriuſque philoſophiam intereſſet, parum perſpexerant. Pythagorica enim iſta, nihil aliud quam prima viuendi, & quidem, teſte Iamblicho, ἀναπόδικτα continebant præcepta. non autem, quod in Ethicis Philoſophi Politiciſque videmus, accuratis, quatenus materia id patitur, demonſtrationibus ac diuiſionibus conſtabant. Quare primo ab Inſtrumentalibus plerique, quas nunc Dialecticas dicunt,

ad Ethicas; mox ad Contemplatiuas pergebant. Alii Contemplatiuas illis præmittebant. Quibus primo Ethicorum fauet ipse. cum non modo eos qui ætate, verum & qui moribus sunt iuuenes, excludit.. Veniamus nunc ad quintum, Sintne Aristotelis hi libri. Quod in scriptis maximi Philosophorum veteres vt explorarent, quatuor potissimum spectabant. Primo, *An eadem Philosophi quæ in reliquis dicendi esset ratio.* Secundo, *Vtrum ejus de quo ageretur libri in alius exprimeretur nomen, eiusque meminisset ipse.* Tertio, *An in eo alii Aristotelei adducerentur libri.* Quarto, *An pro tali eum habuissent veteres.* De primo non est dubitandum. Plane idem qui in reliquis character: eadem dicendi forma quæ in cæteris. Videtis illud breue ac concisum, illud σωεγραμμένον, ἐνοερὸν, καὶ γοργὸν, quod in ejus scriptis doctissimi interpretes notarunt: ὡς δ' ὀλίγων πολλάκις συλλαβῶν παραδιδόναι ὅσα οὐκ αὖ τις ἐν πολλαῖς φιλόδοις ἐδίδαξε, ait Simplicius. Vt omittam cætera: primum lib. primi caput si extaret tantum, quis non Aristotelem agnosceret? Ecce tibi statim in principio habes καινὸν ἀξίωμα: à quo more solito hoc scriptum inchoauit: Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν κοινωνίαν τινὰ οὖσαν. Et paulo post statim τὴν ὑφηγημένης μεθόδου, id est, vsitatæ sibi methodi meminit. quæ Compositiua est, & qua primo libro vsus est: alterius tamen non oblitus: cum de fine, quemadmodũ in Ethicorum libris,

libris, ſtatim monet. De ſecundo autem non eſt dubium. Nam cum Ariſtoteles lib. Metaphyſicorum primo, Ethicos Nichomacheos, cum quibus hi cohærent, agnouerit pro ſuis, non minus hos agnoſcere videtur. Quid quod & in fine Ethicorum, hujus operis & methodum propoſuit & argumentum. quod profecto nunc eodem quo promiſit ordine perſequitur. Quod ad quartum: meminit & Ethicorum, & quorundam aliorum operum ſuorum, in hoc opere philoſophus. Quod ad poſtremum, & Ammonius, & ex antiquis alii, eos Ariſtoteli aſſcribunt. Sequitur, quod ſextum erat, vt in ſuas ipſum opus diuidatur, partes. Quarum præcipuæ ſunt quinque. Primo enim de prima ciuitatis parte, quæ eſt domeſtica ſocietas, hic agitur: cujus gratia de modis acquirendi neceſſaria, de imperio mariti in vxorem, patris in liberos, de ſeruorum item agitur officio. Secundo, quemadmodum in libris De anima, priuſquam ad illius formam, quam nobiliſſima ibi voce ἐντελέχειαν vocauit, perueniat, veterum de ea opiniones hiſtorice proponit: ita nunc, priuſquam ad ipſam ciuitatis accedat formam, quod in tertio facturus eſt, de quibuſdam ciuitatibus ab aliis deſcriptis, qualis Platonis, Lycurgi, Minois & Carthaginienſium, Phaleæ item ac Hippodami, deque Legiſlatoribus nonnullis agit. Tertio de ipſa ciuitatis

forma, Quarto de cauſis conſeruandæ aut euertendæ ciuitatis, Quinto de educatione puerorum & adoleſcentium ad viceſimum vſque ætatis annum, differit. Reſtat vltimum, Ad quam philoſophiæ partem referendi ſint hi libri. De quo ſatis ſupra.

Nunc, quo pacto ſecundus Politicorum cohæreat cum primo, videamus. Dixerat initio primi, Ciuitatem omnem communionem eſſe, hoc eſt, a fine ſcientiæ & a definitionis genere initium fecerat. quod cum familia aliiſque minoribus ſocietatibus, de quibus toto egit libro, communę eſſe ciuitati, oſtenderat. Iam ad genus illud intermiſſum redit, de quo illi cum Platone conueniebat: quippe qui ciuitatem omnem eſſe κοινωνίαν in Rep. probauerat: quemadmodũ in Politico, ciuilem ſcientiam, ἀγελαιοτροφικὴν, κοινοτροφικὴν, & οἰκονομικὴν, eſſe dixerat. In quo vtrique conuenit. In reliquis non item. Primo, qualis illa eſſe debeat Communio. Secundo, an omnia vt volebat Plato, an quædam, communia eſſe debeant in ciuitate. De qua quæſtione tribus diſputat capitibus. Qua occaſione, a Republica Platonis, ad alias delabitur. Libro tertio in viam redit iterum. vt poſt examinatum genus, id diſponat, & per differentias certaſque notas, quod poſt Deum immortalem vnius eſt philoſophi, τὸ εἰδοποιὸν inueniat: quod ἄπτροφεγγίζεσθαι μίαν ἰδέαν, &, ἄπτροσημαίνεσθαι εἶδος, Plato diuinitus dixit,

dixit, & hoc vnum in his libris egit Aristoteles.

Hanc autem in docendo sequemur rationem. Primo interpretationem nostram cum hac quam excudi curauimus, contendemus: vt appareat, quamuis non sit contemnenda, infirita tamen esse, quæ obscure partim, partim perperam sunt reddita. Secũdo, argumenta maximi autoris συλλογιστικῶς, cum disputat, docendi causa proponemus. Postremo, mentem Philosophi ac verba, partim rationibus, partim, si necesse fuerit, exemplis illustrabimus. Cras, volente Deo, de Platonica communitate, in genere; tum de liberorum ac vxorum, postremo & bonorum, disputabimus cum Aristotele.

Amice Lector, Adiunximus Epistolam, quam olim ad Amplissimum virum Georgium Richterum, Consiliarium nunc Norib ergensem, scripsimus: olim a Nobilissimo Amplissimoque viro Iano Rutgersio, memoriæ incomparabilis, in Varijs Lectionibus editam. in qua Aristotelis, quæ eodem libro extat, de seruis, quos natura esse & nasci ait, sententia, cum Iurisconss. de seruis, qui eos fieri aiunt, conciliatur.

DAN. HEINSIVS
GEORG. RICHTERO. S.

QÆsiuisti nuper ex me, eruditissime Richtere, quomodo a Iurisconsultis, Contra naturam esse, seruitus dicatur: cum Philosophus Politicorum primo, Seruos nasci & na-

tura esse dicat. Cujus rationibus (vt est natura quidam quasi genius & idea rationis Aristotelis) ita cõmoueri te memini, vt illi subscribendum putares. Ad hanc ego quæstionem, toties & voce & scriptis ab omnibus vexatam, vt respondeam quemadmodum oportet, vtriusque prius institutum, tum Philosophi tum Iuris consultorum, erit expendendum. Vt intelligatur, quomodo, tam hic quam illi, seruum considerent & seruitutem. Quia multis est persuasum, simpliciter pugnare id quod dicitur ab Aristotele, cum eo quod veriſſime est dictum a consultis legum. Alii autẽ ita frigide conciliant vtrosque, vt Neronis thermas celebrare videantur. Nostro autem tempore, vllum ægre aut Politicum reperias aut Iuris peritum, *Cui non dictus Hylas puer*: hoc est, qui non quæstionem istam attigerit, sine vllo, quantum ego quidem judicare possum, successu. quanuis non sine animis & contentionibus q;. Quare quia difficultas potissima in mente est Philosophi, eam primo ostendemus, ac deinde eum Iustiniano & reliquis conciliabimus. Aristoteles quemadmodum in libris Politicorum, agit de Republica, ita libro omnium primo, quia methodo procedit ibi analytica, de ciuitate tantũ, deque partibus illius agit. Partes ciuitatis, quod ad materiam (nam de forma quæ est Respublica libro primo non agit.) sunt hæ: Seruus, Dominus, Maritus, Fœmina,

Pater,

Pater, Liberi. Ex quibus totidem imperia nascuntur. Herile, Nuptiale, & Patrium. quæ primo statim capite, aduersus Platonem, ostendit, a Politico, Regio, & aliis, specie differre. Hoc vt probet, id quod fieri in physicis consueuit (vbi nisi res ex naturæ initiis compositæ in partes diuidantur minimas, eæque partes considerentur, quam vim habeant intelligi non potest) composita, vt ejus vtar verbis, vsq; ad ea quæ jam amplius composita non sunt, diuidit secatque. Et in primis ipsa elementa, siue partes illas, tum per se consideratas, tum collatas inter se, a natura esse docet. Per se, exempli grâtia, fœminam natura, seruum natura esse: collatas inter se, vt si ea jungas, quæ disiungi in familia non possunt; fœminam cum mare, seruum cum domino. Nam vt a natura est fœmina, & qualitatibus a mare separata est fœmina, ita & natura est seruus, & a domino separatus qualitatibus est seruus. Collatas inter se: vt si ea jungas, quæ conjungi in familia oportet: fœminam cum mare, seruum cum domino. Nam vt a natura est fœmina, ita a natura est quod fœmina conjungitur cum mare: & vt a natura est seruus, ex opinione Aristotelis, quam explicabimus, ita a natura, quæ nihil frustra agit, hoc quoque est, quod seruus conjungitur cũ domino. Rursus quemadmodum a natura est, quod quæ propria sunt fœminæ, mas appetat: ita a natura est, quod

quæ propria sunt serui, qui ad seruiendum a natura factus est, requirat dominus. Talis autem seruus est, de quo primo libro agit Aristoteles. Ad conjunctionem illam spectat illud axioma, ὅτι δὴ ἀνάγκη πρῶτον συνδυάζεσθαι τὰς ἀπ' ἀλλήλων μὴ δυναμένας εἶναι. id est, *primo conjungendos esse, qui non possunt a se mutuo disiungi.* Ad partes ergo singulas quod attinet, ipsumque totum, cujus causa partes sunt, & quod esse prius dicitur quam partes (quemadmodum ciuitas prius esse dicitur quam domus, domus quam seruus aut fœmina: quia toto sublato, tolluntur partes, partibus quibusdam sublatis, non tollitur totum) singula eorum esse à natura docet Aristoteles. Ac de ciuitate quidem, *Omnis*, inquit, *natura est ciuitas.* De seruo aliquoties in primis sex capitibus, *Aliquem natura esse servum.* Et hæc de singulis. Quæ cum iterum conjungit, hanc conjunctionem esse a natura probat. Idque in societate prima, quæ à natura est: familia nimirum. Quæ societas, ad maximam societatem hac conjunctione sensim nos deducit; quæ & ipsa à natura est. Ciuitatem nempe. Dicit ergo, fœminæ & maris, procreationis ergo; domini & serui, conseruationis siue vtilitatis caussa, esse. Quare, vt cætera intelligamus, videamus, quid in primo vocet Aristoteles, natura esse. Natura ab eo dicitur nonnumquam, naturalis impetus & inclinatio, aut ὁρμή. Sicut Græci

omnia

omnia felicius. Ita accipitur ſecundo capite, cum dicitur, conjunctionem fœminæ & maris, à natura eſſe. Huic præelectio opponitur ab ipſo. Negar ergo, hanc conjunctionem eſſe a præelectione, ſed à naturali impetu, qui non tantum homini, ſed & reliquis communis eſt animalibus. Imo & plantis. Vt nimirum mas & fœmina mutuo ſe appetant, ſuique ſimile deſiderent relinquere, ut ipſe ait. Ita ſervi quoque & domini, eſſe à natura videtur conjunctio. Videmus enim, cætera quoque animalia, (præſertim quæ ἀγελαῖα ab Ariſtotele dicuntur, & ſocietatem imitantur humanam, ſicur dicis cauſa, apes,) & vtilitatis ſuæ & conſeruationis habere rationem. ideoque, ſi quæ valent corpore, infirmioribus ſuccurrere: ſollertiora ingenio, ſtupidioribus. Imo quæ ſtupidiora ſunt non poſſe conſeruari, niſi alieno ingenio vtantur. Videtur igitur & illud eſſe à natura, vt cum alii ſint corpore robuſti, tardi ingenio, qui robuſtiori ſunt corpore, ab iis gubernari conſeruarique deſiderent, qui ingenio & ratione valent. Sicut iis ipſis, quod præclare à Philoſopho notatur, ſeruit corpus. Contra, ex naturæ conſtitutione, qui ingenio & ratione valent, operam expetunt eorum, qui robuſto ſunt corpore. Ad miniſteria videlicet. Manus ergo domini eſt ſeruus. Seruus natura (hoc eſt qui ad miniſteria eſt natus) domino ſubjicitur, quemadmodum

& cor-

& corpus à natura, quæ nil fruſtra agit, rationi. Atque hæc eſt cauſa, quare ſexto capite, vbi vtitur hoc ſimili, ſeruum partem eſſe dicat domini. Seruum item eſſe domino, quod animæ eſt corpus: inſtrumentum nempe neceſſarium. Sicut, inſtrumentum animatum, ſeruus, ab eodem illo noſtro non minus eleganter dicitur. Aliter ab Ariſtotele natura finis dicitur. quemadmodum & finis rei alicujus & perfectio, natura. Ita accipi naturam capite ſecundo docet, vbi ait, Ἡ γὰρ φύσις τέλος ἐστί. Quo axiomate demonſtrat, ciuitatem à natura eſſe, quia reliquæ ſocietates quæ minores ſunt & hanc conſtituunt, ſunt à natura. Cui germanum illud axioma, quod ibidem extat, Ὅτι οὐδὲν μάτην ἡ φύσις ποιεῖ. Vnde & probat, Siquidem natura nihil agit fruſtra, ſed & ſingulorum ſingulos vult eſſe fines, ſingula non multis vſibus & finibus, verum vni à natura deſtinari in familia. Quo & ſpectat illud eruditum, Οὐδὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτο, οἷον χαλκῆ τυποι τὴν Δελφικὴν μάχαιραν, πενιχρῶς· ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν. Hoc eſt, *Nihil ſiquidem ſic efficit natura, quemadmodum ferrarii Delphicam conficiunt macharam; parce ac reſtricte: verum vnum cauſa vnius.* Fœminam & marem, procreationis; dominum & ſeruum, mutuæ vtilitatis cauſa. Siue ergo ſeruum conſideres per ſe, talem eſſe apparet à natura. Nam ad miniſterium & operas corporis naſcuntur quidam. Quales totæ

ſæpe

sæpe nationes sunt. Vt Dai, Syri, alii: à quibus, seruis quoque nomina indebant antiqui. Nam sicut pater familias, singula instrumenta singulis destinat vsibus, cum ea curat fieri: ita singulis natura in familia destinauit hominem. Hunc ad procreationem, illum ad vtilitatem & naturæ vsum. Et vtrumque est à natura. Quod non tantum in familia, habere locum, sed in multis quoque aliis, inductione longa quinto capite probatur. Ita enim anima corpori, intellectus illi parti imperat quæ paret perturbationibus: ita animalia mansueta, feris & agrestibus: ita vir fœminæ. respectu nempe ipsius rationis, quæ vbique ad imperandum suo quasi jure constituta est. Quare? quia melioris in deterius imperium est naturale. Sicut ergo naturale est & vtile, vt anima corpori, ratio imperet lubidini: ita naturale est & vtile, vt qui ratione excellit, illi imperet qui nulla vtitur, aut admodum pusilla. Quemadmodum, si seruum conjungas cum domino, discrimen vtriusque esse à natura videbis. Nam vt omnia instrumenta fiunt causa domini, ita seruus ejus causa nascitur tantum. Et vt singula instrumenta, singulis sunt destinata vsibus (culter enim acutus est vt scindat, harpago incuruus, vt apprehendat) ita seruus manibus & pedibus totoque corpore, à natura sic factus est, vt seruiat. Tardo autem ingenio: vt alterius ingenio regatur. Iam si instrumenti essentia

essentia est vsus, & qui sequitur hanc actio, & si vsus iste est à natura: sequitur & seruum nasci seruum, & hoc ipsum esse à natura. Neque aliter loquimur. Dicimus enim, hunc ad seruitutem nasci, illum ad imperium. Præterea: seruum hunc natum, ut coquat: illum vt currat: illum vt bajulet. Nemo autem dicet, talem natum esse vt imperet. Atque hoc est, quod quinto capite a Philosopho dicitur, Corporibus naturam seruos distinxisse & dominos. Et ibidem, Multo magis distinxisse ingenio. Sicut hominem & belluam. Nemo enim dicet, equum aut bouem esse natum vt imperet homini, verum vt seruiat. Natura enim illis tale corpus dedit: tale autem homini ingenium. Vnde bos & equus, quia ratione destituti, corpore autem plus quam homo possunt, serui loco sunt hominibus qui seruo carent, ait Aristoteles. Quare & qui tantum cedunt reliquis ingenio, quantum bos aut equus homini, tantum corporis vi superant, quantum ista hominem, seruos à natura factos esse dicit Aristoteles. Quare? Omnia definiuntur facultate (inquit idem Aristoteles) & actu; siue, naturali potentia & actu. Ita auis à natura facultatem accipit volandi, piscis natandi, homo ratione utendi. Et, in domo, dominus imperandi, seruus seruiendi. Eodemque modo in Republica. Talis erat ille Pelopidas Plutarchi, quem

quem ad imperandum fuisse comparatum a natura, idem ait: aut potius, natum fuisse imperatorem. facultate scilicet, non actu. Apud eundem, Themistocles hoc vno fere argumento à suspicione defectionis ad Persas se purgat, quod non ignoraret ad imperandum esse se natum. Idem, Philopœmenem non semel, natum fuisse ad imperandum profitetur: atque hanc fuisse causam, cur Megalopolitani eum sequerentur: *quia scilicet ad imperandum iis natus videretur*. Quod profecto multum, imo plus quam dici potest, valet apud omnes. Nulla res tam violenter mouet nos in scena, quam cum Hecubas, Andromachas, & omnes illas Τρωάδας ἐλκεσιπέπλους, verba pristinæ fortunæ loqui audimus. Nam quid aliud, quam naturæ vim fieri queruntur, idque à fortuna: de cujus insolentia, immanitate, ac vi, ad spectatores prouocant. Talis erat, & ante omnes quidem, Iason ille, cujus libro tertio Philosophus meminit. qui se esurire ajebat, cum non imperaret. Ex hac facultate naturali, siue forma, quam in seruo esse ait Aristoteles (vnde & natura esse seruum ait) formæ operatio, id est, actus seruiendi aut imperandi, nascitur. Ex hoc actu de forma judicamus. Et cum operationem intuemur, hunc aut illum, hujus aut illius, dicimus habere facultatem: hoc est, natum esse dominum aut seruum. Ita Plato III. De Leg. aurum, impe-

imperantium animis in prima generatione admixtum fuisse ait: cum cæteri, aut æs tantum aut ferrum acceperint. Ita Stoici dicebant, pro defectu rationis, Omnes stultos esse seruos. Ex operatione enim judicabant de potentia & facultate. Tale nihil imperator, titulo De jure Personarum: tale nihil Iuris consulti titulo De statu hominum concludunt aut statuunt. Rursus Aristoteles, eum esse suum ait qui est ratione præditus, vt imperare sibi possit, & se ipse conseruare: alterius, qui ratione regitur & conseruatur. ejus nempe cui paret. Eodem modo, seruum esse dicit, qui, licet homo nascitur, non suus nascitur, sed ejus cui paret: siue, non suus, sed alterius. Sic enim prope ad verbum. Ita & cum ait: quinto capite, natura esse seruum, qui alterius potest esse. Talis enim nisi seruit, interit aut ægre conseruatur. Sicut asinis & bobus, homini parere & ab eo regi, tam est salutare, quam cum hominis vtilitate est conjunctum, opera illorum vti. Et hæc est communis illa vtilitas, quam ponit Aristoteles. Nam duobus quidem hisce fundamentis tota nititur Philosophi sententia. Primo, Quod naturæ conuenit cujusque, naturale cuique dicitur. Secundo, Quæ ad commodum naturæ aut vtilitatem pertinent cujusque, cuique naturalia dicuntur. Etenim alterius natura sunt, quæ sua esse non possunt. Atque hoc ipsum à Platone

tone quoque dicitur. à quo illud Stoici, vt reliqua, sumpserunt. Et nos vulgo, ebrium aut furiosum, dicimus non esse suum. Sicut hominem vxorium, non suum sed vxoris esse dicimus. Ita quoque seruus, qui vel nihil vel pusillum à natura rationis impetrauit, est alterius non suus. & natura quidem, non lege. Atque hæc quidem capite secundo, tertio, quarto, & quinto. Sexto, cum alia tractantur, tum diuisio seruorum ponitur. Alium natura esse, alium lege. Hinc jam quæstio oritur, An qui lege seruit, jure quoque seruiat: quod pleroſque affirmare, neque ab opinione ista dimoueri posse, ait Aristoteles. Pro affirmante ponitur, Legem esse jus aliquod. Contra, Nihil quod est violentum, esse justum. Iterum pro affirmante, Licitam vim esse quæ virtute constat: talem autem esse bellicam. Ergo, talem seruitutem esse justam. Contra opponuntur, tum alia tum illud, Qualis causa, talis est effectus. Fieri autem potest, vt injusta belli sit causa. Talis ergo erit quoque hæc seruitus. Potest quoque fieri, vt seruitute sit indignus, dignus libertate, qui in seruitutem sic redigitur. prudens nempe vir aut sapiens. Talis autem erit indignus qui seruiat. Huic tandem argumento Aristoteles respondet, qui ostendit, eos qui hoc dicunt, nihil aliud adferre, nisi quod jam dictum à se esset: Alium natura nasci seruum, alium vero nasci liberum.

rum. ideoque amicitia potius quam vi, dominum conjungi & seruum. Atque ita concluditur hæc disputatio. Quid autem tale dicitur in jure? Ait imperator, Libertatem esse naturalem. Institut. De Iure Person. & Florent. ff. De Statu Hominum. Vnde ea definitio, in qua hoc dicitur, desumpta est. Idem ait Aristoteles. Hominem, nimirum, qua est homo, esse liberum. Quia τὸ τί ἐστιν ἀνθρώπῳ εἶναι hominis, quod norunt philosophi, in ratione est: in qua ratione, libertatis notam ponit Aristoteles. Imo ait ille, Hominem, quo magis est homo, eo magis esse liberum: & quo minus, eo magis esse seruum. Est autem homo, ea parte homo, in qua dominatur ratio. Quæ dominatur in homine: qui nimirum verus & absolutus sit homo. Nam qui talis non est, non ad seruum abit tantum, sed & ad belluam. Quis autem eas negat inseruire hominibus? Et idcirco à natura factas: imo tales nasci? Idem ait, Seruos nasci. Et hoc ajunt pugnare, cum eo quod dicitur, *l. Quod attinet. ff.* De Reg. Iur. *Quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.* Et à Iustiniano Institut. De jure naturali: *Et ciuili jure & naturali omnes homines initio liberi nascebantur.* Quod omnino nusquam, vt opinor, Aristoteles negauit. Nam quis nescit, aliud naturæ jus esse, vt accipitur ab Vlpiano, aliud naturam, vt accipitur ab Aristotele? Ius naturale dicitur ab

Vlpia-

Vlpiano, lex quæ cum homine cæteris est animalibus communis, vt Plutarchus illud vocat. Quemadmodum non tantum homines, sed aues quoque & pisces, libertate ista naturali fruuntur: quasi ex naturæ lege. At Aristoteli, natura, est facultas naturalis: ex qua actus postea extunditur. Et hac Aristoteles definit seruitutem. Quid igitur in mentem venit Vasquio, Iurisconsulto, cum impietatis Aristotelem accusat, qui natura, hoc est, facultate naturali, inter se distinguit homines? Cum præsertim mentem Aristotelis aut non inspexerit, aut scopum ejus non expenderit. Quod subindicat vel ipse, *l.* 1. *Contr. c.* 10. *n.* 3. Vbi seruitutem introductam ab Aristotele concedit, negat tamen seruitutem esse, quia in inuitos non cadit. Quasi aut de jure, aut de vi, aut de inuito agat Aristoteles. Equidem quod auis apta ad volandum nascitur, & hoc ei a natura est proprium, non est naturale jus, sed naturalis potius facultas. idque sane sua sponte non inuita facit. Aristoteles non negat, homines æquales esse jure naturali, sed æquales esse naturali facultate, siue naturali potentia: & idcirco, actu in familia atque operatione plurimum differre. Ideo cum dicit, Seruum aliquem natura nasci: hoc vult, Aliquem natura magis aptum ad seruitutem nasci. Id vero est, quod Græci dicerent, δηλικώτερον φύσει ἢ νὰ γίνεσθαι ἢ εἶναι. Exemplo mentem Aristote-

lis, si placet, illustremus. Ait alibi, Naturam voluisse, vt Barbari seruirent Græcis, quia Græci à natura liberi nascuntur, serui autem Barbari. Idque ex Euripide, qui dixerat, (Ἔφυς Βαρβάρων μὲν Ἕλλωνας ἄρχειν εἰκὸς, ἐκ δὲ βαρ- Μήτηρ Ἑλλήνων· τὸ μὲν γὰρ δοῦλον, οἱ δ' ἐλεύθεροι. Quod de Asiaticis Agesilaus, de Ionibus pronunciabat Callicratidas: de Syris Cicero & Iulianus. Quis existimabit ergo, eam esse mentem Aristotelis, vt neget quod ab Vlpiano dicitur, *Iure naturali neminem seruire?* Siquidem ipse opponit id quod vi fit & quod jure, idque in hac quæstione. Vt cum ait sexto capite, Iis qui in seruitutem rediguntur, si præsertim nati sint ad libertatem, vim inferri. Ex quo manifestum est, hoc eum velle: Græcos propter naturales facultates comparatos esse ad libertatem, Barbaros ad seruitutem. Quia, quod Sallustius præclare, animi imperio, corporis seruitio magis vtimur. Qui ingenio excellit, sicut Græci, nascitur ad imperandum: qui corpore, vt Barbari, idoneus ad seruitutem. Quot nascuntur baiuli, qui corpore stupenda faciunt: quot illustres animæ, quarum omnis vis in parte præstantissima consistit? Vtri ad imperium nascuntur? Vtri facultatem seruiendi a natura habent? Tales erant serui Scytharum, de quibus Herodotus: qui cum bellum dominis inferrent, flagro monebantur cui rei essent nati. Sed illustrius exemplum libro decimo

mo & octauo Iustini habes, de Stratone. Qui cum solus inter seruos viueret ingenuus, solus omnes tanquam Deus quidam inter homines, solertia excedebat. Quid quod idem Aristoteles agnoscit seruum lege, siue δοῦλον νόμῳ, de quo agunt legum consulti: & ab eo separat τὸν φύσει, hoc est, qui natura seruus est: quem solum considerat Philosophus? Statim enim IV cap. initio: διχῶς γὰρ λέγεται τὸ δοῦλόν καὶ ὁ δοῦλος· ἔστι γάρ τις ὁ νόμον δοῦλος καὶ δουλεία. De altero autem agit passim. Nouit ergo & jus gentium, quod ὁμολογίαν ibidem vocat. Nouit & famulum qui jure seruus sit. sed alium considerat. Atqui dicat aliquis, Quid, an non diserte ait imperator, *Libertatem esse facultatem naturalem*: sicut in eadem definitione Florentinus? Ita sane: sed non eo sensu, quo ab Aristotele facultas vsurpatur, a qua vt a forma omnis actus prodit: sed pro libera potentia, aut potestate. Sicut alias in legibus non semel. Sed in viam redeamus: hoc est, titulum De jure personarum videamus: de quo agitur potissimum. Longe aliter personas in hoc titulo considerat Iustinianus quam Philosophus. Personæ, de quibus libro primo agit Aristoteles, non sunt pars Reipublicæ, de qua etiam primario, vt supra dicebamus, ibi non agitur: sed societatis primæ, e qua constituitur Respublica, materies. Quæ non est pars quidditatis proprie, vt loquuntur vulgo barbarorum

filii. Adde quod nec jus earum respicit, sed opus; siue operationem, cui quisque nascitur idoneus. Idque totum nititur hoc axiomate, *Natura ciuitatem esse.* Quod vt probet, *ἀναλυτικῶς καὶ εἰσαγωγικῶς* ab homine incipit, quem natura esse ait animal politicum. Hoc est, societati natum. Iam, cum in duobus, *τοῖς τε ἄρχουσι καὶ ἀρχομένοις*, societas consistat: hoc quoque a natura esse probat. Idque primo in familia. In qua alii sic a natura comparati sunt, vt imperare possint: alii sic comparati sunt, vt debeant seruire & velint. At Iustinianus de personis instituti sui causa agit. Sicut personarum causa, totum jus est constitutum: siquidem & *ff.* De Statu Hominum, *Hominum causa omne jus constitutum esse*, dicitur. Et earum causa, etiam de rebus agitur & actionibus. Ideoque seruitutem non considerat, vt ministerium: neque dominium, vt imperium. quod ab Aristotele est factum. Sed considerat jus illud quod in seruitute & in libertate est. In quo jure rursus non consideratur serui qualitas, natura, aut proprietas: non consideratur serui officium, vt in familia, actus aut operatio: sed conditio & status. Hoc apparet satis ex v. lib. 1. Pandect. tit. e quo iste qui de jure personarum, quod ad definitionem seruitutis, etymologiam attinet & modum, est desumptus. qui inscribitur, De Stat. Hom. Agit ergo Aristoteles de qualitate serui, qua est seruus: Florentinus,

Cajus,

Cajus, Marcianus, Vlpianus, Imperator, de conditione ſerui, ſeu de ſtatu. Apparet hoc ex definitione ſeruitutis, in qua *conſtitutio* vocatur. *Seruitus eſt conſtitutio.* Atqui qualitas, de qua jam agimus, & quo intendit Ariſtoteles, non conſtituitur: ſed contra, innaſcitur. Quippe vt in oculo facultas naturalis ad videndum; ſic in famulo, vt eum Ariſtoteles conſiderat, facultas naturalis eſt ad ſerviendum. Eam conſtitutionem contra naturam eſſe dicunt. Item ſervum, qui natura liber eſt, cõſtitutione iſta juris gentium (quæ ſunt verba Florentini, *ff.* De ſtatu Hominum) *alieno contra naturam ſubjici dominio.* Quod ex origine ipſa vocum, & quam vocant veritate, probat. *Servi ex eo* inquit, *appellati ſunt, quod imperatores*, &c. Et, *Mancipia vero dicta, quod ab hoſtibus manu capiantur.* qui à Græcis vulgo δορύκλητοι vocantur: neque quicquam faciunt ad ſervum naturalem Ariſtotelis. Apparet ex diviſione ſervi & liberorum. Vterque enim negat, ſervum dividi. Et Iuſtinianus quidem: *in ſervorum conditione nulla eſt differentia.* Marcianus: *& ſervorum quidem una eſt conditio.* Negat uterque ſervos dividi. Quomodo? quod nimirum ad conditionem, quod ad ſtatum. Ex quo ſatis planum eſt quod dicebamus. Nam quis neget, ſeruos facultate diuidi? Alius enim naſcitur, vt currat: alius, vt bajulet: alius, aliud vt agat. Neq; minus actu differunt & opere. Alii enim coquunt, alii pinſunt, alii

verrunt, alii aliud agunt. Et hoc est quod Aristoteles: ἐστὶ γὰρ ἕτερα ἑτέρων, τὰ μὲν ἐνδεέστερα ἔργα, τοῖς δὲ ἀναγκαιότερα. Hoc est: *alia aliorum seruorum sunt opera. nonnulla magis necessaria, nonnulla magis honesta.* Quod & hoc vulgato probat versiculo:

Δοῦλος μὲν δοῦλα, δεσπότης δὲ δεσπότα.

Et in Paradoxis Tullius: *Sed vt in familia qui tergent, qui pinsunt, qui verrunt, qui spargunt; non honestissimum locum seruitutis tenent: sic in ciuitate qui se istarum rerum cupiditatibus dederunt; ipsius ciuitatis locum pene infimum obtinent.* Et paulo ante: *Atque vt in magna familia, sunt alii lautiores, vt sibi videntur, sed tamen serui; Atrienses ac Topiarii,* &c. Ita Athenæus notat, quosdam ex Romanis, decem, alios viginti seruorum habuisse millia. Alios nimirum Balneatores, alios Nomenclatores, alios Offarios, alios Structores, alios Prægustatores, alios Ostiarios, alios Cursores, alios Lecticarios, alios Arcarios, & similes. Quid? an non Columella, in singulis villarum operis, singularem animi ac corporis requirit habitum? In magistris pecorum, sedulitatem ac frugalitatem: in bubulco, præter mentis indolem, vocis vastitatem pariter & corporis. Iam proceritatem in aratore, cum ob causas alias, tum, *vt arando*, inquit, *stiuæ pene rectus innitatur.* Contra vero in vinea, *non altos, verum lacertosos*, sicut ipse loquitur, *& latos*, exigit. Atqui, vt sedulitatem in pastore ac frugalitatem cura aliquis fortasse efficiat ac educatio-

catione: ita vastitatem bubulci, aratoris altitudinem, vineatoris latitudinem, nemo efficit, sed à natura accipit,& pro singulorum naturali aut potentia aut corporis habitu, singulis admouet operibus; eodem omnes jure & conditione, non eodem modo a natura comparatos. Alius ergo est conditione seruus, de quo Imperator: hoc est, factus jure gentium, quem non minus Aristoteles agnoscit. alius natura, de quo Aristoteles. Qui nec jus in libertate spectat nec in seruitute, sed in homine & familia (quæ prima est societas) potentias ad imperandum aut ad seruiendum naturales. Sicut & easdem locum in Republica habere ostendit. In qua alii ad parendum, alii ad seruiendum nascuntur. hoc est, magis à natura sunt idonei. Iam quod attinet ad seruos quos considerat Iustinianus,ii ratione τῶν κατὰ π, opponuntur liberis (quod ex titulis De Iure Personarum, & De Statu Hominum, apparet.) Aristotelis contra, opponuntur dominis. Nam quem vocat liberum Philosophus; cum se explicat, ἄρχοντα vocat: sicut famulum, ἀρχόμενον. Quod vbique in hac disputatione apparet. Et hoc sane ratio familiæ requirit. In qua seruus illi non opponitur qui statu liber est, verum illi qui imperat. Atque hoc sensu,fœminas & liberos seruire quodam modo, dicit Aristoteles. Ideoque imperium in domo, Regium appellat & Monarchicum,

chicum. quia penes vnum ſumma eſt poteſtas. Iam cum Ariſtoteles, vt ante diximus, ſexto capite, ſeruum diuidat, in ſeruum lege & natura: quod ad ſeruum lege, de hoc diſputant Iuriſconſulti. At quem ſeruum natura vocat, de hoc nihil tradunt Iuriſconſulti. Quia totum hoc philoſophi eſt. quærere nimirum, quis natura ſit ſeruus. hoc eſt, proprie ad ſeruiendum idoneus. Præterea, cum quæſtionem tractat, quæ ex ipſa hac diuiſione naſcitur; prudentiſſime eam tractat: nec, ſi recte ejus mens intelligatur, quam jam ſupra fuſe expoſui, cum Iuriſconſultis pugnat. Quærit enim, An qui lege eſt ſeruus, hoc eſt, qui in bello capitur, ſeruus quoque jure ſit & merito: non, An talis ſeruitus ſit naturalis. quod Iuſtinianus negat (qui natura ait omnes eſſe liberos) vt & Vlpianus, qui æquales omnes ait eſſe jure naturali. Hoc autem ipſe negat Ariſtoteles. qui bis libro primo, eos qui ſunt lege ſerui, βιαθέντας, hoc eſt, coactos, ait vivere. Tandem autem ſic concludit, vt ad primam illam ſuam dilabatur ὑπόθεσιν: Neminem magis naturaliter ſervire, quam qui natus eſt ad ſeruiendum: hoc eſt, qualitates à natura ſeruo proprias accepit. Quæ definiuntur a Philoſopho, negliguntur a Iuriſconſulto. qui de jure tantum agit: primum naturali, quo cenſentur omnes liberi: tum autem gentium, quo conſtituuntur quidàm ſerui. Quibus Marcianus

nus addit jus ciuile. ff. De Stat. Hom. l. v. Ius autem illud Iurisconsultus accipit ἐξ ὑποθέσεως, vt justum: neque injuria seruire quenquam putat (nisi si quis a latronibus sit captus, & hoc etiam improprie loquendo: quia nec de eo disputatur.) Aristoteles hoc jus ad suam exigit hypothesin, quæ erat, *Aliquem ad seruitutem, aliquem ad imperandum nasci*: siue, *Nasci seruum, nasci dominum*: vel, *Natura seruum esse & dominum*. Ait enim ista lege fieri interdum, vt qui natus sit ad imperandum, seruiat. Exempli gratia: Cum Cæsar Iulius Dictator, captus fuit a piratis; pone a Scythis fuisse captum: an quis dubitabit, nisi plane stolidus ac demens, Cæsarem ad libertatem, istos Barbaros ad seruitutem potius fuisse natos: atque ita vim naturæ fieri, quæ nihil frustra agit? Vt Platonem, vt Diogenem, vt Epictetum, alioſque veterum omittam, quos injusta atque violenta seruitus oppressit, cum ad libertatem essent nati, quot præclari hac ætate viri ad triremes, & seruitium, a Turca sunt damnati? Vt infelix Magius, vir magnus & excelsi animi, qui in seruitutem ab eodem hoste primum est redactus: mox excoriatus. Quare non pauci quoque ex recentioribus, inter quos Bodinus, qui libenter bellum Aristoteli indicit, hoc concedunt. Concludamus. Omnes naturali jure esse liberos, vult Vlpianus. Aristoteles hoc nusquam negat. Homines differre

ferre qualitatibus, & hoc a natura in ſocietate humana fieri, quæ nihil fruſtra agit, ait Ariſtoteles. Nuſquam hoc Iuriſconſultus negat. Nam negaret, Paridem & Herculem, Alexandrum & Sardanapalum, qualitatibus differre: aut, vt accedamus propius, ſeruum ſtolidiſſimum & ſollertiſſimum dominum. Ait Imperator, Iure naturali omnes naſci liberos: cum hoc autem jure conſtitutionem juris gentium pugnare, quæ captiuitates introduxit. Ariſtoteles de jure naturali hic non agit; interim captiuitatem, quæ conditionem mutat jure gentium, pugnare cum naturæ facultatibus oſtendit. Vt ſi Hercules ſeruiat: Soſia & Dauus imperent; aut hominem natura liberum captiuitate premant. Seruitutem proprie eſſe contra naturam, Iuriſconſulti dicunt. Seruitutem ſæpe eſſe contra naturam, hoc eſt, contra inſtitutum naturæ & finem, ait Ariſtoteles. Ariſtoteles, ſeruum ait naſci: hoc eſt, idoneum ad ſeruiendum. Hoc ne quærit quidem Iuriſconſultus. Qui oſtendit, jus quod domino competit in Seruum, a natura non eſſe. Idque apparet ex titulo, De his qui ſui vel alieni ſunt juris. Quæ inſcriptio excludit omnes facultates, quas Philoſophus conſiderat, negligit Iuriſconſultus. Qui de jure, de conditione, ac de ſtatu cum agat, omnes qui non tali ratione ſerui ſunt, excludit. At Philoſophus, eos quoque qui conditione ſui ſunt,

conſi-

consideret. Quales sunt quos ὑπηρέτας vocat, qui nihil vltra operam obstringunt. Sicut libro tertio Politicorum. Vbi eos quoque, quos χερνήτας dicit, hoc est, quos nunc Operarios vocamus, inter seruos ponit. Seruum nasci etiam Iurisconsultus ait. Instit. De Iure Personarum. Hoc non vno loco ait Aristoteles. Pro Iustiniano respondet Marcianus *ff.* De Statu Hominum: id naturali jure fieri. Pro Aristotele respondet ipse Aristoteles: qui se ait intelligere, τὸν ἄξιον δουλεύειν. hoc est, *eum qui seruire dignus sit.* Ille autem est, qui corpore & animo ad seruitutem comparatus est. Sicut pluribus ostendit quinto capite. Imperator ait, nullam esse differentiam seruorum. Verum addit, in conditione: quod & Marcianus addit. Igitur excludit, cum hoc dicit, facultates naturales & officia seruorum. quæ œcónomus considerat; ipsi quoque Iurisconsulti, aliis in locis passim agnoscunt. Ita habes in Digestis, *Atrienses*, siue, *Atriarios*, vt eos vocat Vlp. *ff.* Nautæ, Caupones, Stabularii. Ita *Dispensatores*, *Insularios*, *Villicos*, & alios, apud Alphenum *l. in lege censoria. ff.* De Verb. Sig. Ita *Topiarios* & *Saltuarios* apud eundem *l. cum quæreretur. ff.* De Legat. & Fideic. Vbi & eosdem, conditione, re, vsu, ac ministeriis distinguit. Ait enim, *Topiarium ornandi, Saltuarium autem tuendi & custodiendi fundi magis quam colendi, paratum esse.* Ita *Notarios*, apud Paulum

l. Lu-

l. Lucius Titius. ff. De milit. testa. Ita *Diatarios* non semel. vt & alios non paucos passim. Vt *Aquarios, Supellecticarios, Nomenclatores, Fornicatores, Mulliones*, similesque sine modo. Quorum nemo est, qui negat, alios natura ab aliis differre: siue, potentia ad obeundum munus suum, hunc aut illum, magis a natura esse instructum. Sicut Aristoteles diserte ait, magnam esse differentiam seruorum in familia. Sed ad actum & officia seruorum respicit, quæ a natura oriuntur. Atque hoc iterum confirmat illud quod jam dixi, de seruis, qui potentia & actu tales sunt, agere Aristotelem. De quibus proprie & per se non loquuntur Iurisconsulti. Itaque, quemadmodum ad Iurisconsultorum seruos, non pertinent leges, quod ab illis dicitur: ita Aristotelis seruus non pertinet ad leges. Cæterum, si illud quod de seruis dicitur ab Aristotele in familia, extra eam ad Remp. referas; tum demum esse oraculum fateberis. Nihil enim mutat magis & mutauit semper Retumpublicarum formas, quam diuersæ, vt sic dicam, qualitates. quas contrarias nonnunquam a natura accepere qui in iis imperant & parent. Sed de eo alias. Est enim prorsus admiranda consideratio, vt omnia in Aristotele. Quem qui non legerunt aut intelligunt; frustra ad eximiam atque excellentem vllo in genere scientiarum, eruditionem, meo quidem judicio, contendunt.

dunt, Imponamus aliquando finem disputationi. Sicut jure gentium, ea, de qua loquitur Iurisconsultus, introducta est seruitus: ita rursus jure eodem soluitur hæc seruitus. Manumissione, inquam. quam a jure gentium esse ortam, sicut seruitutem, Iustinianus ait. Atqui seruus Aristotelis, quemadmodum non fit hoc jure, ita neque hoc jure manumittitur. Vertigo quippe vnica, Quiritem non facit. At in seruo, qui natura talis est, nihil tale locum habet. Ideoque nec Vindicta, nec Epistola, nec Testamentum, neque Codicilli, neque Ecclesia, hanc libertatem confert. Nullos enim vnquam libertinos habuit Natura. Neque gentium jus aut ciuile, Dauum vnquam fecerit ex Oedipo: aut, vt ille qui ad seruitutem natus est (quod fieri quotidie videmus) ad hanc ipsam non sit aptus: vel ad imperandum fiat subito idoneus. Manet ergo, Alium natura esse seruum; alium fortuna & lege. Negat Philistio, natura vnquam fuisse seruum cum Iurisconsultis: sed eundem intelligit, quem illi.

Φύσει γὰρ οὐδεὶς δοῦλος ἐγχωρήσῃ ποτέ·
Ἡ δ' αὖ τύχη τὸ σῶμα καταδουλώσατο.

An idcirco pugnat hoc cum mente Aristotelis? An idcirco locum nullum habet ille Euripidis?

τὸν νοῦν γὰρ ἐλεύθερον
Τὸν σὸν δέ:

hoc

hoc est, qui ad libertatem natus est, cum sit seruus statu? Adde, quod jus illud, de quo loquitur Iustinianus, ante annos 400. fere apud Christianos defecit: quæ ab Aristotele tractantur, nostris moribus & consuetudine, etiam nunc locum habent. Natura enim non mutatur. Vt nec illud, quod ab ea initium atque originem trahit. Hæc ergo obiter ad quæstionem: ad quam ita subito respondi, vt vix relegendi spacium concederetur. Tu illorum vicem mecum dole, qui quæcunque non intelligunt in Aristotele, traducunt: ne exceptis quidem illis quæ communis sensus probat & Natura dictat. cujus ille vnicus sacerdos ac consultus fuit. Vides autem quam nil juri scripto derogauerit. Vale, præstantissime ac doctissime Richtere. Lugd. Bat.

De Libello L. Annæi Senecæ in Claudium, sive Claudii Apocolocynthosi, & præsertim de inscriptionis causa, Dissertatio. Cuius supra post Orationem XVIII *fit mentio.*

SCriptum esse L. Annæi Senecæ Philosophi, multa sunt quæ euincunt. Vt Dionis autoritatem prætermittam, dicendi genus plane idem, breue, acutum, colis circumscriptum; temporis illius auribus, vt Tacitus loquitur, accomodatum, & quod multa a declamatoribus trahit. Regnat tamen id quod in antiquis Comicis, ac præsertim Aristophane, tan-

tantopere mirati sunt Critici, τὸ ἄθικλον, & pungendi quædam quasi dexteritas. Tum inuenias nonnulla quæ alibi quoq; apud Senecam legas. quale est illud: *Si me Hercules a Saturno petisset hoc beneficium, cujus mensem toto anno celebrauit, non tulisset.* Decembrem enim intelligit. quem nihil agendo celebrabant Romani, & in quem Saturnalia incidebant. Eodem enim modo Epist. XVIII. *December est mensis, cum maxime ciuitas desudat. Ius luxuriæ publicæ datum est: ingenti apparatu sonant omnia: tanquam aliquid inter Saturnalia interst & dies rerum agendarum. Adeo nihil interest, vt non videatur mihi errasse qui dixit: olim mensem Decembrem fuisse, nunc annum.* Et fortasse ipse autor est quem celat. Familiam vero statim, occulte, quamuis in principio, prodit. *Quid actum sit in cœlo ante diem tertium Eid. Octob. Asinio Marcello, Acilio Auiola Coss. anno nouo, initio sæculi felicissimi, volo memoriæ prodere.* locus festiuissimus. Pro eo enim quod dicendum erat, *Asinio Marcello, Acilio Auiola Coss. anno vrbis conditæ* DCCCVII, dixit, *anno nouo initio sæculi felicissimi.* Stoici magnum annum statuebant, quem diuerso modo definiebant. Ejus autem finem & quasi terminum, Anastasin, siue, Rerum omniũ euersionem, ponebant. quam facete tribuit Claudio, & cum ejus morte annũ Magnum claudit. Hanc cum anno nouo, sæculi alterius initio, sequebatur Apocatastasis: siue, Rerum omniũ redintegratio. quam Neroni tribuit. Multa enim hic sunt

ηλακατευλικά. Iam ad argumenti occasionem veniamus.

Tiberium Claudium Drusum, omnium principum Romanorum jam inde ab adolescentia, fuisse stupidissimum, omnes consentiunt. Quod vitium ἀναισθησίαν Græci, *stupiditatem* Romani; eius autem species, modo *secordiam*, modo *stultitiam*, modo *obliuionem*, modo *inconsiderantiam*, modo *rerum ac sermonis negligentiam*, vt accuratissimus loquendi Tranquillus innuit, vocare solent. Prout diuersa illius sunt effecta. Ita mater Antonia, *si quem secordia argueret*, teste eodem, *stultiorem ajebat filio suo Claudio*. At Tranquillus ipse: *Inter cætera in eo mirati sunt homines, & obliuionem & inconsiderantiam*. Ac deinde, tanquam patrio diffideret sermoni; *vel vt Græce*, inquit, *dicam* μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν. Idem: *Sermonis vero, rerumque tantam sæpe negligentiam ostendit, vt nec quis, nec inter quos, quoue tempore ac loco verba faceret, scire ac cogitare existimaretur*. Genus lepide descripsit Comicus Milite.

Herus meus elephanti corio circumtectus est non suo,
Neque habet plus sapientiæ quam lapis.

Priore versu τῷ ἀναισθησίαν, altero, τῷ ἠλιθιότητα expressit. quas Aristoteles quoque alibi, quanquam paulo aliter, conjunxit. Alia autem est ἀναισθησία, cujus maximus Philosophorum, Nicomachiorum libro secundo, capite

pite ſecundo, item ſecundo, capite ſeptimo, item tertio, capite vndecimo; & Magnorum primo, capite viceſimo ſecundo, item tertio, capite ſecundo, meminit non ſemel. Ejus vitium, qui voluptates omnes auerſatur, neque vllas ſentit. Quem modo ἐλλείποντα περὶ τὰς ἡδονὰς, ἢ ἧττον ἢ δεῖ χαίροντα, interdum ἀκινήτως ἔχοντα πρὸς τὰς ἡδονὰς, interdum ἄτως ἔχοντα, ὥστε καὶ ἐλλείπειν ὧν ἀνάγκη ἡσυνωνεῖν ὡς ὄπτι τὸ πολὺ πάντας καὶ χαίρειν, &, quia vnam vocem non inueniebat magis commodam, docendi gratia, ἀναίσθητον vocauit. Nec alium deſcripſit Tullius pro Cœlio. *Quamobrem, ſi quem forte inueneritis, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore vllo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuauitatem.* Talem Ariſtoteles ἄγροικον vno verbo dixit. Latine *agreſtem* dixeris. quanquam non proprie. Ita enim eum alibi vocarat qui in jocis deficit: ſicut βωμολόχον qui excedit. Eum item qui in ira modum non ſeruat. Quare, docendi cauſa, a ſpecie ad genus, vocabulum traduxit: ſicut patres familias vnum ſæpe inſtrumentum diuerſis vſibus accommodant. Ita *intemperanti* oppoſuit *agreſtem*. Eſt ergo vitium ἕξις ἤθους. Et quanquam idem Ariſtoteles in Magnis obſeruat, tales ſæpe a Comicis in ſcenam produci ſolere, tamen non eſt vitium ridiculum, ideoque nec commodum Satyræ argumentum. Tantum abeſt, vt hoc ſibi Seneca elegerit. Ta-

lem enim ἀγροικίαν & ἀναισθησίαν omnes odimus. Et idcirco idem Cicero, postquam hominem agrestem loco jam adducto descripsit, addit deinde: *huic homini ego fortasse, & pauci, Deos propitios, plerique autem iratos putabunt.* Imitatus Aristotelem qui dixerat, ἢ θεὸν, ἢ πόρρω ἀνθρώπου τὸ τοιοῦτον εἶναι. *aut Deum esse, aut longe ab homine abesse talem.* Talis est Demea apud venustissimum autorem. In quo hanc ἀναισθησίαν, sive *acerbitatem*, quemadmodum vrbane dixisse eam Tullius videtur, lepide depingit.

Ego ille agrestis, sanus, tristis, truculentus, tenax.

Statim autem odium conjungit, vt est artifex diuinus.

Nunc exacta aetate hoc fructi pro labore ab his fero;

Odium.

Ideoque idem Cicero, patrem ejusmodi, *illepidum in liberos parentem*, alibi vocauit. Alia est ἀναισθησία, seu stupiditas, quæ in eodem Demea à Syro diuinitus illuditur: quod eorum nihil quæ a Ctesiphonte palam gererentur, aduerteret. Quæ est illa, quam & in sene altero Chremete notat Menedemus.

Ego me non tam astutum neque ita perspicacem esse, id scio.

Sed hic adjutor meus, & monitor, & praemonstrator Chremes,

Hoc mihi praestat. in me quidvis harum rerum conuenit,

Qua

Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus.

In illum nihil potest: nam exsuperat ejus stultitia hæc omnia.

Talem apud Plautum Mostellaria Simonem facete circumducit Tranio. Neq; paucos alios subinde serui. Talem intelligit Catullus, *Mule nihil sentis.* hoc est ad verbū, ἀναισθήτεις. Et hæc sane est quæ proprie ἀναισθησία dicitur. Altera, docendi tantum causa, vt jam dicebamus, in defectu nominis, plerunque cum præfatione a doctore magno vsurpatur. Nam cum paucas à Platone & aliis philosophis vitiorum ac virtutum accepisset appellationes, ipse plurimas finxisset, quibusdā bis aut sæpius coactus fuit vti. Quæ illi sane venia debetur. Est enim species translationis. Et a se mutuatur, quæ ab aliis accipere non poterat. Neq; hoc dissimulat. Hinc capite septimo Nicomachiorum secundi, ὁ δὲ πάσας φεύγων (n. ἡδονὰς) ἀναίσθητός τις. Ibi enim τὸ τὶς, est Iurisconsultorum *quasi.* Vt cum *quasi contractum* dicunt. *Qui omnes,* inquit, *voluptates fugit, est agrestis quasi.* Et eodem capite, vt locos alios omittam, nomen dari negauerat. *Qui in voluptatibns excedunt,* inquit, ἄσωτοι, *hoc est, intemperantes, dicuntur, Excessus autem intemperantia. Qui autem deficiant in voluptatibus, sunt pauci. Quare nec nomen inuenere.* Tandem addidit, ἔστωσαν δὲ ἀναίσθητοι. hoc est, *sint tamen,* id est, *dicantur nunc tamen stupidi.* At vero,

altera, de qua nunc agimus, non ad mores, sed ad rationem spectat. neque ἕξ ἤθους, sed τῆς Διανοίας est. qualem Augustus intellexit, cum ἐς τὸ ψυχῆς ἀργότητα βεβλάφθαι, Tranquillo teste, dixit Claudium. Non enim paucioribus defectum hunc ridiculum notare magnus princeps potuit. quem Theophrastus βραδυτῆτα ψυχῆς ἐν λόγοις & ἐν ἔργοις, *tarditatem animi in factis ac dictis definit.* Et deinde addit characteres, qui omnino Claudio conueniunt. *Si quis*, inquit, *illi qui sit talis, nuncium adferat, obiisse ex amicis aliquem: ibi ille vultu tristi lachrymas effundet*, &, *Quod felix sit ac faustum, respondebit.* De hoc autem Tranquillus, *Occisa Messalina, paulo postquam in triclinio decubuit, cur domina non veniret, inquisiuit.* Et recte *inconsiderantiam* vocat. Quam magis tamen habes in sequenti. *Ducturus contra fas Agrippinam vxorem, non cessauit omni ratione, filiam & alumnam, & in gremio suo natam atque educatam, prædicare.* Mera quippe ἀπροσεξία καὶ ἀβλεψία, aut *negligentia*, vt loquitur Tranquillus, *rerum*, & *incogitantia*, notatur. Nam μετεωρίας, quam Suetonius vocat, & stoliditatis, quæ sunt ejus species, εἰωθισμὸς habes passim. Vt cum inter alia edicta duo proponit. Quorum altero monet, VT PROVENTV VINEARVM VBERI, BENE PICARENTVR DOLIA: altero, NIHIL ÆQVE FACERE AD VIPERÆ MORSVM, QVAM TAXI ARBORIS SVCCVM.

Et

Et cum ex tabella pronunciat, SECVNDVM EOS SE SENTIRE, QVI PROPOSVISSENT VERA. Neque ſtupor hic opponitur ἀνηλγησίᾳ, ſiue *intemperantiæ*, vt ſuperior: ſumma enim fuit in Claudio. Quippe cum intemperantia, teſte Philoſopho, circa eas occupetur voluptates quæ in tactu potiſſimum conſiſtunt & guſtu, vtræque tribuuntur Claudio, vt & vtriuſque exceſſus. *Cibi*, inquit Tranquillus, *vinique, quocunque & tempore & loco appetentiſſimus.* Et paulo poſt: *nec temere vnquam triclinio exceſſit, niſi diſtentus ac madens.* quas Eudemiis οἰνοφλυγίας καὶ πολυφαγίας vocat Philoſophus. Quod ad alteras, idem *mulieroſum* fuiſſe notat. Quare, hæc ſtupiditas, vt dixi, ſiue ἀναισθησίᾳ, non opponitur τῇ ἀσωλίᾳ, ſeu intemperantiæ, neque ignorantiæ. eruditus enim fuit Claudius: neque induſtriæ. laborioſus enim fuit. ſed prudentiæ: in qua requiruntur, teſte Ariſtotele, *reminiſcentia, experientia, & ſagacitas*, cum quibus omnes ſtupiditatis ſpecies, ſed præcipue, cum hac quidem *incogitantia*, cum illis autem pugnat, quam Claudio non ſemel tribuit Tranquillus, *obliuio.* Ipſam autem prudentiam, *prouidentiam* nonnunquam vocant veteres. Ideoque Nero, Senecæ inſtinctu, in Laudatione Claudii pro populo, cum traducere ſtupiditatem ejus vellet, a prouidentia ac ſapientia, eum, Tacito teſte, commendauit. *Poſtquam ad prouidentiam ſapientiamque flexit,*

nemo risu temperare. Quare *obliuio* quam vocat Tranquillus, in Claudio, non erat λήθη, vt in illo

Orbilius vbinam est litterarum obliuio?

Nemo enim, proprie memoriam in eo desiderauit. Erat enim μνημονικὸς Claudius, sed non ἀναμνήσικός. hoc est, memoria valebat, non reminiscentia. Tenebat enim omnes prope Homeri versus. Memoria autem sæpe est in tardissimis ingeniis. At sine reminiscentia nemo prudens esse potest. Aliud enim colligendum est ex alio : ideoque quasi syllogismus quidam est reminiscentia: quemadmodum instar inductionis est experientia. Vtrumque autem in consiliis requiritur. In iis autẽ cernitur prudentia. Ergo *obliuio* in Suetonio non opponitur simpliciter τῇ μνήμῃ. quanquam hanc quoque in prudentia requirit autor libri De virtutibus & vitiis, quem nonnulli Aristoteli asscribunt. Sicut idem inter imprudentiæ defectus, τῷ ἀμνημοσύνῳ ponit : quam *obliuionem* dixit Tranquillus. Ob hæc omnia, nemo unquam benignior ridendi materia ab ineunte ætate fuit Claudio, aut magis aulicorum expositus ludibriis, vt multis docet Tranquillus. qui dormienti ac stertendi soccos fuisse inductos nonnunquam notat, vt repente expergefactus, faciem sibi confricaret. Item, cum post cœnam obdormisceret, palmularum ossibus petitum. Quæ sunt Satyræ scurrarum.

rum. Somnus autem quasi ἀναισθησίας est imago. Est enim vinculum quasi, ejus partis a qua sensus oriuntur: ἔστι αἰσθητικὸν μορίον οἷον δεσμός τις ἡ ἀκινησία, ait Philosophus. Ideoque dormitantes, quasi vinctos ac constrictos, si præsertim se moueant ac jactent, ridemus. Tum e mente sua quasi egrediuntur. Ideo ridicule agunt, cum præsertim vigilare incipiunt. quod ἔκνοιαν in dormientibus vrbane dixit admodum, supremus sapientiæ magister. Sed ad hæc in Claudio non pauca accedebant, quæ festiuis hominibus ridendi argumentum suppeditarent. Inter alia, vt noster loquitur, *vox rauca, & intricata, & qualis esse belluis marinis solet.* Cui cum ira accedebat, etiam magis ridiculum efficiebat, & vt minus intelligi posset. Accedebat constitutio morbosa, hemiplexia nimirum: quæ vt mentem turbat, sic in corpore τὴν κίνησιν τὴν περιφερικὴν non parum tardat. Vnde ridicula capitis trepidatio, quam sæpe admodum festiue tangit Seneca. Quemadmodum in illis: *Nunciatur Ioui veniisse quendam bonæ staturæ, bene canum, nescio quid illum minari: assidue enim caput mouere, pedem dextrum trahere.* Vnde & solutio manus, quam non minus facete illudit. Accedebant & ingurgitationes crebræ, & sagina corporis: quo nihil magis diuinæ partem auræ obfuscat, & stuporem inducit. Vt res non ad ἀποθέωσιν, sed ad ἀποθηρίωσιν in Claudio spectaret. Vnde illud diui-

num: *Est aliquid in eo Stoici Dei jam video. nec cor nec caput habet.* Accedebant multa alia: inprimis ructus, & ex illa parte sonitus obsceni, qua facilius loquebatur: quorum licentiam in conuiuiis publice se indulturum promittebat. aliaque id genus, plane belluina. Quare nulla vnquam res magis ridicula Rom. Pop. euenit, quam cum in Deorum referretur numerum homo, *stupidus, secors, stultus, inconsiderans, obliuiosus, & fatuus:* quem parentes ipsi, *hominem, non absolutum a natura, sed tantum inchoatum*, dictitabant: vt Tranquillus notat. Præsertim cum jam omnibus liceret judicare, neque quicquam magis Principi placeret. Nihil enim gratius Neroni erat. qui occasione qualibet de stoliditate Claudii agebat. Senéca ergo, & inviſus pridem illi, & ab eo in exilium eiectus, cum deberet Deo ἀποθέωσιν, stolido ἀποκολοκύνθωσιν, voce leuiter detorta conscripsit. Duo autem agit. Nam & Claudii stupiditatem & religionem stultam Romanorum, ac præsertim morem Consecrationis, siue ἀποθεῶν, ab Augusto introductum, lepide sugillat. Nunc quo pacto index, siue inscriptio, conueniat subiecto, videamus.

Primo omnium libellum hunc festiviſſimum edidit Beatus Rhenanus cum inscriptione tali: *Ludus L. Annæi Senecæ de morte Claudii.* Sane παχυμερῶς & parum accurate. Non enim tam est de morte Claudii, quam de iis quæ

quæ mortem ejus secuta sunt. hoc est, de Consecratione, & quæ post Consecrationem euenerunt. Qua occasione de toto homine ejusque moribus ac vita agit. Primus autem summus vir Hadrianus Iunius, lib. Adimaduersionum I. cap. XVII, hanc quam nunc habemus, ex Dionis abbreuiatore Xiphilino, autori reddidit. Apud quem ita legitur: Συνέθηκε μὲν δὴ καὶ Σενέκας σύγγραμμα, ἀποκολοκυνθώσιν αὐτὸ, ὥσπερ ἵνα ἀποθανάτωσιν, ὀνομάσας, Hoc est, *Composuit & Seneca libellum, cui Apocolocynthosis, alludendo ad vocem* ἀποθανάτωσιν, id est, *Consecrationem, fecit titulum.* Cum autem plerique vellent, boleto, quæ est fungi species, veneno illito, ab Agrippina Claudium fuisse sublatum, ab eo desumptam esse inscriptionem, omnes quoque voluerunt. Quare interpres Xiphilini hunc in modum reddidit superiora: *Scripsit enim & Seneca librum, quem Apocolocynthosin, quasi immortalitatem esu boleti partam, nominauit.* Iunius vero sic notat: *Apocolocynthosin autem nominauit Seneca. eo quod Claudius medicato boleto, quasi pharmaco purgatorio, quod olim frequens e cocolynthide concinnabatur (quam agrestem cucurbitam vocare licet) periit.* Mira res. Si interpreti credimus, boletus est cucurbita. quæ a Græcis κολοκύθη, vel κολόκυντα, vel, sine aspiratione, κολοκύτη dicitur. Attici enim, teste Athenæo, sine aspiratione, sicut reliqui cum aspiratione, scribebant. Et tamen

men hæc communis est doctorum opinio, a boleto esse inscriptum libellum. Iam autem Iunio, primum medico, deinde viro tanto, quam multa illo indigna exciderunt? Cui in hoc tamen conuenit cum reliquis, quod nimirum a boleto quo sublatus est Claudius, petendam esse inscriptionem existimat. Primo autem ait Claudium, boleto medicato, quasi purgatorio sublatum esse pharmaco. Dii vestram fidem! Nam vt reliqua omittam, quis scripsit vnquam, Claudio venenum medicinæ loco esse datum, aut medicinam potius veneni loco? Habes apud Suetonium, Agrippinam boletum medicatum obtulisse Claudio. qui vtramque de causa mortis ejus refert opinionem. *Quidam tradunt epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotum spadonem prægustatorem, alii domestico conuiuio per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum auido ciborum talium obtulerat.* Vbi quis non videt, *boletum medicatum* dici, non qui vsum medicinæ haberet, aut cum medicina aliqua conjunctum, sed veneno illitum? sicut Tacitus *vim medicaminis* eodem in loco *vim veneni* dixit. *Infusum delectabili cibo boletorum venenum: nec vim medicaminis statim intellectam; socordiane Claudii an vinolentia?* Ipse mentis suæ optimus interpres. Idque Græcorum more, quo nihil vsitatius Romanis. Saltem Nonium suum consuluisset vir maximus; qui, *medicinam*, inquit, *dicimus & venenum,*

num, tractum a Græcis, qui venenum pharmacum appellant. Accius Phœnissa: *Sterilem illius opera medicinam autumant.* Et tamen hanc interpretationem suam Iunius iterum ad Senecæ libellum repetit: ait enim se jam olim annotasse, *quod huic titulum libello dederit autor, a præcipui vsus purgante medicamine colocynthide: cujus prope nulla inter dejectoria medicamenta compositio est expers apud veteres medicos.* Ergo medicamen illud putat colocynthidem fuisse, & ab ea sic inscriptum esse libellum. Occasionem tamen inscriptionis fuisse boletum, colocynthide, vt loquitur vir magnus, medicatum. Verum, ne absurditatem jam superiorem vrgeam, quis vnquam legit, veneni loco dari colocynthidem? Nam si quantitate exitium affert, hoc cum omnibus remediis commune habet. Iam autem colocynthidem dejicere aluum subito & vehementer, ait Iunius. Ideoque adhibitam. Atqui, venenum Claudio oblatum omnes testantur. Quid autem Agrippinæ aut quicunque e medio sublatum vellet Claudium, expediebat minus, quam vt ei post venenum dejiceretur aluus? Imo quærerem ex ipso, si supereſſet, Iunio, in homine cui propinatum esset venenum, si emeticis non esset locus, & jam ad inferiora peruenisset malum, quid optari magis quam spontanea solutio alui posset? Ergo, vt est in historia, cum illi sponte solueretur aluus, trepidabat Agrippina ac venenum

num repetebat, ne cum fecibus videlicet ejiceretur id quod hauserat. Quanquam sine dubio ab immodica voratione boletorum ista alui dejectio. Fungos enim esse ἀφαχωρητικοὺς antiqui docent. Sed, vt cætera concedam, nondum assequor quo pacto a boleto inscriptionem deducat, quia colocynthides in purgatoriis non raro adhibentur. Manifeste enim ait, a boleto medicato Apocolocynthosin inscriptam, quia purgatoria non raro e colocynthidibus concinnabantur. cum boletus & colocynthis, nihil habeant commune, nisi quod in eadem terra, sub eodem cœlo, nascuntur. Sed hoc, nisi fallor, voluit: Claudius boleto medicato, hoc est, medicamine, purgante vehementer ac dejiciente aluum, extinctus est. Tale autem est colocynthis. Hinc ergo est inscriptio. Primum de medicamento, error est, vt dixi. tum de colocynthide veneni loco adhibita, plurimas absurditates habet quas ostendi. Sed quandoquidem cum homine, si quisquam alius, Græcarum literarum perito, mihi res est, quomodo a κολοκυνθὶς, κολοκυνθῶν, ac non potius κολοκυνθίζων fiet? Colocynthis autem quantum in medicina differat a colocyntha, quis est qui ignorat? Hoc decepit eruditos viros. Claudium boleto sublatum fuisse, in historia ejus legerant, Neronem boletos, facete cibum Deorum dixisse, quia illis ad τὴν ἀποθέωσιν Claudius peruenerat, legerant:

rant: ibidem Senecam in hanc ἀποθέωσιν scripsisse librum, cui Apocolocynthosin inscriptionem fecisset legerant. Hanc inscriptionem a boletis deducendam putarunt. Hoc vt facerent, omne acumen suum & ingenii acetum in consilium adhibuerunt. Porro certissimum est, Agrippinam summi ingenii fœminam, cum boletos Claudio offerret, ad ancipitem fungorum naturam respexisse. Vt si subito extingueretur, nulla de veneno esset suspicio, præter illud quo incautos ipsi tollunt & qui nesciunt dijudicare. Neque aliud volebat Plinius, cum libro XXII, capite XXII, ista notauit: *Inter ea quæ temere manduntur, boletos merito posuerim, optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio principi, per hanc occasionem a conjuge Agrippina dato: quo facto illa terris venenum alterum, sibi quidem ante omnes, Neronem suum dedit.* Locus est planus. Nam quod dixit Galenus, *a boletis solis neminem sublatum vnquam esse*, recte est intelligendum. *Soli* enim, est, *per se*. Sicut Plinius *per se, optimum cibum esse*, ait: cum tamen facile venenum contrahant: semper autem aliqua noceant. Vnde & Seneca, *voluptuarium venenum* boletos vocauit, & ostendit, quamuis mortem non continuo inferant, semper tamen valetudini obesse. præsertim si minus coquantur. Quod non paucis imposuisse notant veteres. Apicius: *Quin etiam ipsi quoque boleti, nisi exqui-*

exquisitissime elixi edantur, præsens discrimen sapiusculè inferunt. Quemadmodum & Ægineta, qui ἀνεφθοτέρους, id est, *minus elixos*, ait cum periculo edi. Iam ad veram inscriptionis causam veniamus. Primo autem more Aristotelis dubitabimus: deinde certum quid, & de quo dubitandum non est, adferemus.

Antiquos, vt & nonnunquam nostros, in curandis phreneticis & qui motæ mentis essent, cucurbitulas adhibuisse, notissimum est. Medica cucurbitula est instrumentum, a cucurbitæ forma sic dictum, ex stanno, ære, vel cornu, aut simili materia, quod cuti imponitur, & igne, stuppa, aut lino in ea accenso, efficitur vt ei adhæreſcat. Atque ita, si concisa sit cutis, sanguinem; si integra, spiritum, teste Celso, educit. Hæc cucurbita, phreneticorum capiti imposita, quemadmodum Galenus libro De methodo medendi obseruat, vt plurimum conducit. & Aretæus in phrenitide suadet aliquoties. Celsus libro III. cap. XVIII. De phrenitide, *Neque alienum est, si neque sanguis ante missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso cucurbitulam admouere.* Talem cucurbitam intelligit Satyricus, cum de stolido homine & Claudii simillimo,

Iamdudum caput hoc ventosa cucurbita quærit.

Cum ergo Claudius, stolidus ac pro insano esset, neque longe a phrenetico abesset, quid potuit festiuius, quam quod ei more medicorum Sene-

Seneca cucurbitam imponit, &, concisa quasi cute, hanc Satyram admouet, quod *cucurbitare* veteres dicebant! Verum hæc obstant. Primo vox Ἀποκολοκύθωσις, sicut Ἀποθέωσις, mutationem καὶ ἐπεροίωσιν denotat, quod & compositionis ratio & verbi terminatio euincit. Secundo, si de medica cucurbita locutus esset, ϛικύαν vel συκίαν, non κολόκυνθαν, dixisset. Quemadmodum Galenus Περὶ βδελλῶν, ἀνπαπάσεως, ϛικυίκς, ἐγχαραξέξεως, καὶ καταχασμῷ, librum suum inscripsit. Ita Hippocrates ante eum. Et ϛικύλω Aretæus: qui passim ea voce vtitur. Vt cum in phrenitide suadet ϛικύλω κατὰ τῆς κορυφῆς περισκάλφειν. & vbi de lethargo agit, Σικύη ἤκιστα χρέεται, ἢν ὑπὸ φρένιτιδος ἔωσι. & ita semper. Vnde verbum ipsum ϛικυάζειν non ϛικυᾶν, aut κολοκυνθᾶν. Latinis *cucurbitare*. Glossarium vetus, *cucurbita* κολόκυνθα. *cucurbitat* σικυάζει. Et Σικύα, *cucurbita*. nimirum medica. ϛικυάζω *cucurbito*. qua de re & summus medicus Ælius Euerardus Vorstius nos monuit. Quanquam sunt, qui κολοκύνθιλλα, αἱ τὰ διαπλικῆς σικύας, notauerint: verum ex recentioribus. Ergo a ϛικυάζειν dixisset Σικυασμὸν, atque ita inscripsisset hunc: librum inscriptione inuenusta, cum præsertim ad τὴν Ἀποθέωσιν alluderet. Nunc hoc agamus.

Duo Senecæ proposita fuerunt, sicut ante dicebamus. Primo, vt Claudii, deinde, vt Po-

puli Romani ἀναισθησίαν rideret. Alterius, quod talis esset, alterius, quod quem in Deorum numerum referret, potius in fungos quam in Deos esset referendus. Quemadmodum Latini stupidos & fatuos vulgo dicunt fungos, ita Græci κολοκύνθας. In cucurbita, sive colocyntha, duo sunt, quæ ἀναισθησίαν notant & stupiditati respondent. Primũ tota est caput. caput autẽ æquo majus, ἀναισθησίας est indicium in homine; quod & physiognomi notarunt. Aristoteles: οἱ τὴν κεφαλὴν μεγάλην ἔχοντες, ἀναίσθητοι. ἀναφέρεται δὲ τὸ ὄνος. *qui magnum*, inquit, *habent caput, sunt stupidi. refertur ad asinos.* Polemo: κεφαλὴ πάνυ μεγάλη, δυσαίσθητον καὶ σφόδρα ἀμαθῆ ἄνδρα δηλοῖ, Id est, *caput valde magnum, hominem qui nihil prope sentit & ingenii obtusi notat.* Vnde Hermippus Comicus de stolido, κεφαλὴν ἔχει ὅσην κολοκύνθη. *caput quantum cucurbita habet.* Et Seneca mira festiuitate, Claudii caput pro ipso posuit,

Quæ patria quæ gens mobile eduxit caput?

Alterum est, quod cucurbita, humida, & sine vlla euidenti saporis qualitate est. quod ἄποιον a medicis vocatur. Hanc ἀποιότητα in cibis *fatuitatem* dicunt Latini. Epigrammatarius:

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam sæpe petet vina piperque coquus!

Conciliabat enim illis id quod non habebant, τὴν τῆς γεύσεως ποιότητα. Quemadmodum in co-

condiendis colocynthis, piper, cuminum, rutam, acetum, aliaque id genus conciliando adhibebant sapori. Et hoc ipsum medici præscribunt. non tantum vt sapiant in fatuitate ista, sed ne noceant propter aquosam qualitatem. Vt Aëtius, qui origanum, & alia, amara, salsa, acida, acria, & sapori facientia, addi vult cucurbitæ, ne fastidium & nauseam excitet edentibus. Χαίρει δὲ εἰκότως ὀρίγανῳ ἡ λυομένη. ἁλὶ γὰρ καὶ ἐν αὐτῇ ὑδαλώδη ποιότητα· πάνυ δὲ ὅσα τοιαῦτα, ῥιμέσιν, ἢ ὀξέσιν, ἢ αὐστηροῖς, ἢ ἁλυκοῖς ἀναμίγνυσθαι δεῖται χυμοῖς. εἰ μέλλοι μήτε ἀηδῶς ληφθήσεσθαι, μήτε ναυπώδη ἐργάσασθαι τὸν λαβόντα. quemadmodum & boleti hodie a nostris epulonibus, postquam elixati sunt, cum condimento ex suo sibi jure & pane tosto, multo cum aceto, piperis item, gingiberis, ac caryophyllorum aromaticorum polline, eduntur. Tam delectat eos gustus quem non habent: sicut in cucurbita. Vnde quidam ex antiquis medicis, congelatam aquam, eam dixere. Vt vt sit, cibus est fatuus & qui nihil sapit. Ideoque ἀπὸ κολοκυνθίου ἀναφέρεται ἀναισθησία, diceret Philosophus. Iam ἀποκολοκυνθοῦν, ita dicitur, vt ἀποθεοῦν. & ab eo lepide detortũ. In Apotheosi fit mutatio. Homo conuertitur in Deum. Vnde & Naso Transformationes suas Apotheosi concludit. Quare & festiue tangitur a Seneca, cum inquit, *Censeo vt Claudius ex hac die Deus fiat, ita vt ante*

eum quis optimo jure factus sit. Eamque rem ad μεταμορφώσεις Ouidii adjiciendam. Quibus verbis primo ridet omnes Consecrationes, tanquam fatuas & stultas. Secundo tangit Ouidium, qui ad transformationes fabulosas, Apotheosin adjecerat : Iulii nimirum, vt non minus fabulosam quam reliqua in tali opere. Si extarent vetores autores quos secutus est Ouidius, Nicandri Ἑτεροιούμενα, Corinnæ Ἑτεροῖα, & aliorum scripta, qui in argumento simili luserant, in iis ἀποθεώσεις, ἀποθηριώσεις, ἀποφυτώσεις, ἀποδενδρώσεις, ἀποθεώσεις; & quæ singula exprimerent, ἀπολυκώσεις, ἀπομυρμώσεις, & fortasse ἀποκολοκυνθώσεις; haberemus. Ad inuidiam enim in his vocibus felices sunt Græci. Quanquam ab hortulanis hanc desumptam esse mihi sedet. Sæpe enim in cucurbitas mutantur cucumeres. Quod cum fit, fatuos fieri, & saporem cum qualitate, si quam habent, penitus amittere necesse est. Quod ἀποκολοκυνθώσιν eleganter haud dubio dixerunt. Cum ergo Pop. Rom. vere jam liber & immunis ab omni metu, Claudii Ἀποθέωσιν expectaret, quam inuidiæ vitandæ Agrippina procurabat, Seneca, festiui vir ingenii, ejus Ἀποκολοκυνθώσιν dedit : qua non in Deum, sed in cucurbitam, olus fatuissimum, Claudium mutauit (colocyntha enim, sicut dicebamus, ἄποιον est, & omnino nihil sapit.) More poëtarum, qui naturæ cujusque ratione habita,

bita, in plantas aut animalia, ad quæ maxime accedunt, singulos conuertunt. Sic Narcissus & Hyacinthus pulchri pueri in flores, Midas, homo ἀναίσθητος, mutatur in asinum. Illi simillimus Claudius, in cucurbitam. Quisque εἰς ὃ φύσις αὐτὸν ἀναφέρεται. Lepor inscriptionis est admirabilis: sed quem Græca vox auget. Dixisset eodem sensu ἀποθηρίωσις, sed minori lepore. Tum minus efficaciter. Bellua enim sensum habet & phantasiam. Habet enim τὸ γνωστικόν. At cucurbita, nec sentit nec sensum afficit. Et olera fatuitatem optime exprimunt. vt blitum. Vnde blitææ meretrices Plauto, & Menandro fœminæ, αἱ ἀναισθήτως. Ergo ἀποληκυθώσις, vt ἀποβλίτωσις. Frustra hactenus in causa inscriptionis se torserunt viri eruditi.

Tota Satyra Varroniana est. Versus prosæ orationi immixti. Iambi a cothurno autoris trahunt plurimum. Gemellos esse dicas aut fratres. Antiquis vocibus, quibus ibi serio abstinuit, hic festiue semel dedit locum,

Exprome propere, sede qua genitus cluas.

quod in tragœdiis nunquam feciſſet. Vt discant illi, qui antiqua & noua, vsitata & desita, in scribendo confundunt, quam religiose scripserint veteres, qui hæc risus tantum causa adhibebant. Alias enim dabant operam, vt vniformes essent. Et fortasse versus est poëtæ cujusdam, quem interserit aut salse imitatur.

Sicut passim Aristophanes, & nonnunquam Flaccus. Anapæsti a Satyrico dramate non parum trahunt. Nihil autem illis venustius. tum quia εἴρωνες sunt, & contraria festiue dicunt: tum quia laudant in Claudio quæ nunquam fecit. Quid enim illo lepidius,

Cecidit pulchre cordatus homo?

De eo qui sine corde, hoc est ἀναίσθητον, & sine sensu esset. Centrum enim sensuum in corde, sicut linearum in circulo, plerique ex antiquis ponebant. Tum illud,

Quo non alius fuit in toto
Fortior orbe.

de eo qui vix hostem in acie vidisset vnquam. Et,

Ille citato vincere cursu
Poterat celeres.

de eo qui vix stare posset, & propter lateris alterius hemiplexiam, pedem quoque dextrum traheret. Item,

certaque manu
Tendere neruum.

cum solutam lateris ejusdem manum, vix mouere posset. Illud autem occulte est Satyricum,

& ipsum
Noua Romanæ jura securis
Tremere Oceanum.

in naualem coronam, quam post expeditionem Britannicam, tanquam domito ac subjugato Oceano, in fastigio Palatinæ domus fixe-

fixerat; θεομάχον, & Xerxis æmulus. Illud manifeste & plane mordacissimum:

Quo non alius potuit citius
Discere causas, vna tantum
Parte audita, sæpe & neutra.

Iam in Græcis quæ miscentur, duo agit. Primo Menippum imitatur: cujus tota festiuitas, in parodiis. quæ in verbis sæpe nihil, plurimum in sensu ab autoribus abibant (quale hic est illud festiuissimum de Iano bifronte, quem videre ait, ἅμα πρόσω & ὀπίσω) interdum verbis aliorum prorsus idem significabant. Vt si dicere voluisset, χαῖρε ἡ οἰκία ἡ ἐμή, hoc Euripideis illis expressisset,

Ὦ χαῖρε μέλαθρον, πρόπυλά θ' ἑστίας ἐμῆς,
Ὡς ἄσμυχός σ' ἐσεῖδον ἐς φάος μολών.

aut ab inferis se redire, illis,

Ἥκω νεκρῶν κλεῖθρα & σκότου πύλας
Λιπών, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ὤκισται θεῶν.

Quæ in eo risit admodum facete Lucianus. Secundo, eundem pariter in Claudio notauit morem. qui, ne pro tribunali quidem, teste Tranquillo, Homericis plerunque abstinebat versibus. ac ne tum quidem cum aliter efferre posset quæ vellet. Quod ineptum & putidum, si nec loco fiat suo, & excedat modum. Neque minus interim sæpe tragicorum quoque aut hemistichia adhibebat aut versus. Vnde locus iste in Tranquillo c. XXIV. quem nemo intellexit hactenus. Ait cum Agrippinam su-

ſpectare Claudius inciperet, quod videlicet timeret, ne, quod euênit, Neronem ſuum ad imperium eueheret, ſæpe Britannicum complexum eſſe, ac hortatum, vt creſceret: Græcam præterea addidiſſe vocem, ὁ ἔρως ἐπείγετω. Mira ſunt quæ eruditi hîc excogitarunt, etiam principes in literis viri. Alii legerunt enim, ὁ τρώσας πείσετω. alii, ὁ τρώσας ἰήσεται; ſenſu prorſus nullo. cum ſit ſcribendum, ὁ Νέρων δ' ἐπείγετω. Summa eſt venuſtas. Legerat Claudius in Tragico, ὁ χρόνος δ' ἐπείγετω. Ergo cum videret adoleſcere Neronem, & a matre nihil prætermitti, quo Britannicum præuerteret, complexus filium, monebat, vt creſceret, ac patri ſuccederet: Neronem enim feſtinare. Quod mutatis paulum verbis, ὁ Νέρων δ' ἐπείγετω, dicebat. ſalua priore. ſicut ibi propter conſonantem duplicem, ſic hic propter immutabilem ſequentem. Locus, de quo loquor, is eſt: *Et ſubinde obuium ſibi Britannicum arctius complexus, hortatus eſt vt creſceret, rationemque a ſe omnium factorum acciperet; Græca inſuper voce proſecutus*, ὁ Νέρων δ' ἐπείγετω. Non eſt dubitandum. Videbis in Græcis quoque quædam a mala manu eſſe. Sic cum Seneca ſcripſiſſet, *Ne quis poſt hunc Deus fiat, ex his qui* ἀρότρης καρπὸν ἔδουσι, ſtudioſus aliquis Homeri, ex autore illo addiderat in margine quod idem erat, *aut ex his quos alit* ζείδωρος ἄρουρα. Quod coloniam mutauit, & in textum irrepſit.

pſit. In Deorum conſultatione de recipiendo in eorum numerum hoc monſtro, deſunt non pauca. Libellus enim eſt λαγαρὸς & ventrem trahit.

AMICO LECTORI.

AMice Lector, Quia ſingulas olim Orationes, quæ præſertim majores erant, ſingulis inſcripſeram, ne illis officium aut pereat, aut mihi ratio illius parum conſtet, viſum eſt hic in fine ſingulas quibus olim eas inſcripſi, epiſtolas dare. Eo ordine, quo Orationes ipſas habes, ad quas referuntur.

Illustrissimo Viro Petro Iannino, Equestris dignitatis, Senatus Diuionensis Principi Sereniss. Francorum Regi ab interioribus consiliis, & ejusdem Regis ad Ordines Fœderatæ Belgico-Germaniæ Legato.

Vir Illustrissime,

IOSEPHI SCALIGERI, *viri admirandi, & in quo prope vno hac ætate quantum in reliquis posset natura ostendit, factum diuinitus videtur, vt natales Gallia, sepulchrum sibi vindicaret Batauia. Factum diuinitus videtur, vt cui genti subsidium armorum & auxilium difficillimo sæpe tempore debuimus, eidem literarum splendorem acceptum ferremus. Quibus equidem vel solus ille regni vestri majestatem adæquauit: nostrum vero æuum cuivis inuidendum fecit. Nam vt a Francisco magno incipiamus, sub quo aurea vere ætas apud vos exstitit, qui tot eruditos quot prope homines quotidie videbat; neminem inueniemus tamen, qui cum aliqua in arte excelleret, summa admiratione indignus haberetur: qui cum linguam vnam recte didicisset, viri docti nomen non tueri putaretur. Nemo vero tanta vel discendi audacia vnquam extitit, vt tam multa tentaret: vel felicitate, vt cum simul plurima speraret, plus consequeretur quam optasset. Nemo, qui cum annos ad viuendum paucos a natura accepisset, omne id tempus animo impenderet: qui cum vna aliqua in vrbe natus ac eductus esset, orbis vniuersi ciuis videretur: qui cum linguas infinitas prope intelligeret, omnes instituto suo & accommodaret & res totidem conjungeret. Ac profecto*

fecto ita existimo, quod si vt in fronte oculos, ita in ipso pectore gestarent homines, quibus contemplari animum ejusque ornamenta possent, nullum multis ab hinc saculis (patrem conjungo semper) pulchrius spectaculum, neque dignius ad quod orbis vniuersi nationes concurrerent, hoc viro extitisse. Nam si sæpe funambuli spectandi causa, aut inusitatæ alicujus feræ, vndique aduolare solent homines, neque sumptui laboribusue parcunt, aliquid profecto admiratione dignum esse ostendunt, sed non illud quod mirantur: quia corporis voluptas primas obtinet in nobis, mente autem caligamus. quæ si recte judicaret, solam virtutem ac scientiam admiraretur: ex his voluptatem omnem peteret: ab his nunquam oculos auerteret: earum fructum vsu sibi vindicaret. Nunc cum vanitatis plena sint omnia, sæpe in historiis inuenias, mulum peperisse alibi, alibi bouem voce humana locutum, terra alibi pluisse aut sanguine (& quæ alia historiæ antiquæ, & nonnunquam nostræ, inter prodigia commemorant) quasi minus admiratione dignum esset, hac ætate natum esse in Gallia mortalem, qui paucissima nesciret. Quod & tibi ita visum fuit. Nam cum primum in hanc terram maximis de rebus legatus Roterodami appulisti, in concursu omnium & gratulatione prima, cum e Senatoribus alii alia ostenderent, præter expectationem, Scaligerum extollere cœpisti: quem ereptum esse vobis, merito conquerebaris. Idem cum vix Hagam venisses, plurimi amplissimi ex te viri audiuerunt. Donec vna gratulatum ad te iuimus. Ibi quæ humanitas tua, quod gaudium, quæ bene-

beneuolentia apparuit? Qui sermones vltro habiti citroque? cum & ipse vere literatus esses, neque ille ea nesciret, quibus commendantur qui nihil amplius nouerunt. Quam quidem vtriusque voluptatem sicut morbus alterius abrupit, ita beneuolentiam & humanitatem tuam illustriorem reddidit: liberalitatis autem immortalem occasionem dedit. Vidimus & meminimus, cum neque ille egeret, quod virtute & sapientia abunde diues esset, & in tanta fortunæ prolixitate, multa tibi supereſſent, alterum offerendo, recusando alterum ea quæ præcipua habentur, pulcherrimum vtrinq; certamen certasse. Nemo erat dignior qui daret, nemo qui acciperet. Sed profecto generosa & inuicta indoles, ea stirpe oriunda, quæ tribuere omnia omnibus solebat, nondum cum fortuna animum mutauerat. neque effugere tamen potuit, quin cui muneris gratiam faceret, ejus beneuolentiæ tantundem deberet. Accipe ergo inferias illius viri, cujus laudes optime cepisti: accipe postremum quod Scaligero persoluitur officium: accipe, non magnum quidem munus, sed quod nomini inscriptum tuo, immortale erit. Tua ope Galli, tua Belgæ pacem videmus: tu spirantes adhuc sanguinem ciuilem animos, diuina quadam moderatione temperasti: gladios & arma sola eloquentia prudentiaque fregisti. denique a rege missus qualem Gallia non vidit, in hanc scenam, in tragœdiam hanc plane intricatam, Deus vere e machina venisti. Te historiæ omnes, omnes posteri loquentur: tu ingenia omnium, omnes ingentes ac præclaras animas, æternitati tuæ vectigales habebis; neque majo-

rem

rem famam accipies a quoquam quam dabis. Nos qui & Scaligeri nomine obstricti tibi sumus & nostro, vtriusque hoc tibi persoluimus: in quo vt illius laudes, ita nostram, vt spero, pietatem probabis.

Sereniſſimo Venetiarum Principi, Antonio Priolo, ac ejuſdem Reip. Patribus inuictis.

CVm ad nos allatum esset, Princeps Sereniſsime, & Vos Patres; fœdus cum inuicto Venetorum populo, ab Illustribus ac Præpotentibus Ordinibus, contractum esse; dici equidem non potest, quanta nos voluptas tum incesserit quod gaudium: qui res gestas Sereniſsimæ fortiſsimæque vestræ Reipublicæ, ab ineunte ætate, partim cum ingenti admiratione legimus, partim ipsi quoque celebrauimus: facturi idem porro, quamdiu in his terris erimus, aut illustris aliqua sese offeret occasio. Quæ tum igitur in mentem nobis subito venerunt, cum nonnullis id probari videremus, immortali vestro nomini inscriptum imus. In quo celebrando, quanuis omnium ingenia ætatum, vires suas ac diuinitatem exhausisse videantur; nobis quoque aliquid, pro summo nostro studio, candore, ac obseruantia augusti vestri nominis, dicendum videbatur: ne ignaros nos fuisse laudis vestræ suspicetur aut existimet posteritas. quæ vt inclytæ virtutis vestræ, omnia in sæcula memoriam transmittet; ita eos optime existimabit judicasse, qui vos maxime admirati sunt. Lugd. Bat. Cal. Ian. Ann. cIↃ IↃ cxxi.

Nobi-

Nobiliſſimis Ampliſſimiſque viris, D. Hadriano a Mathenes, Domino in Mathenes & Opmeer. D. Cornelio vander Myle, Principi a Conſiliis, Academiæ Curatoribus: & Ampliſſimis ac Prudentiſſimis viris DD. Conſulibus Leidenſibus, eorum Collegis: Conſultiſſimo item Prudentiſſimoque viro Nicolao Seyſtio, vrbis Syndico, Curatoribus a Secretis.

OFfero vobis, Nobiliſſimi Ampliſſimique viri, aliquot orationes & præfatiunculas, quas in Academia hac veſtra partim habui non ita pridem, partim ſcripſi. Prima proprie eſt veſtra, etſi ſit & mea: ſiquidem illa quæ debentur, ejus eſſe non putamus qui exiſtimatur poſſidere, ſed cui eſt obſtrictus is qui habet. Bibliothecarii munus, quod vbique a præſtantiſſimis adminiſtratur viris, veſtro munere ſum conſecutus: non quod eruditio id noſtra mereatur; ſed quod vobis dignus ideo putarer, ne non ſemper humaniſſimi eſſetis. Gratias ergo vobis egi hactenus, vt gratus viderer, non vt paria cum liberalitate veſtra facerem: cujus magnitudo integra apud vos manet. Alteram Pythiis Pindari præmiſi. In qua obiter oſtendi, aliter in Academiis autores, ac præſertim poëtas, aliter in triuiis docendos eſſe: ne ſordere pergant ſcripta veterum, errore interpretum, non ſuo: quod vbique fieri videmus. Huic fuſiorem prima Pythiorum interpretationem ſubjeci, vt de talibus ſcriptoribus melius ſentire illi diſcant, qui cum eos Græce legere non poſſint, ſatis ſibi facere videntur, ſi contemnant. Tertio, egi de libello, quem nonnulli Ariſtoteli aſſcribunt,

perpe-

perperam, & vt multis ostendi, falso. Puto autem esse esse æquissimum, vt cum omnia quæ toto anno a nobis dicuntur propter sanctiores occupationes audire vobis non liceat, initia saltem & quasi auspicia omnium legatis.

Clarissimo Eximioque Viro, Everardo Vorstio, Illustrissimi ac invictissimi Principis Auriaci Archiatro, ac Medicinæ in Academia Lugduno-Batava Doctori primario.

QVæ diebus his in obitum CLVVERI *nostri, Vir Clarissime, a nobis dicta esse non ignoras, cum editionem aliquot amici flagitarent, non tam ire ad te quam properare sua sponte videbantur. Causas anxie nec quæram, nec in limine ostentabo. Nihil hic de mea obseruantia, quam nosti, nihil de exacta ac diffusa eruditione tua dicam: quæ præcipuam scientiam sic ornat, vt non tam ad vsum, quod plerique spectant, populi commendet, quam ad gloriam, quod paucis curæ est hac tempestate, absoluat. Vt nec illud, quanta nuper dignitate, diligentia ac fide, Magistratum in hoc nostro ordine supremum gesseris. cujus causa grates a priuato non expectas, cum hoc nomen publice sit dispungendum. Ne hoc quidem, quid & quantum ipse tibi debeam ab illo die quo nos magnus Scaliger conjunxit. qui, vt loco filii nos habuit, ita inter amicorum primos, debitum virtuti tuæ locum assignauit. Quod & sæpe alias, dum vixit, & constantia supremæ voluntatis, publice testatus est. De Cluuero nobis sermo est. E quo sæpe audiui, cum desertus hic ab omni sangui-*

ſanguine ac propinquis viueret, in vno prope te ac commendatione tua, apud Nobiliſsimos Ampliſsimoſque Curatores Academiæ ac Ciuitatis Conſules, ſpes fixas habuiſſe. Quam id autem ſerio ac candide ſit a te factum, nemo me, ni fallor, certius teſtari poteſt: cum in re præſenti fuerim non ſemel, nec hic aliena vtar fide. Iam in morbo, quibus verbis, quibus monitis, tum animo tum corpore languentem,

Qua ſolatus es allocutione!

Vt ſupremis tabulis, quæ nunquam fallunt, quantum viuus tibi ac ſuperſtes debuit, tantundem etiam poſt mortem a te expectaret. Quo judicio & nos obſtrinxit. vt quas grates tibi, jam perfunctus vita, agere non poteſt, eas per amicum agat. Qui, vt ſuo nomine majora tibi debet, ita partim ſuo partim alieno, hoc ſupremum pietatis ac officii inſcribit. Vale, Vir Clariſsime, ac nos, vt ſoles, ama.

Nobiliſſimo, Ampliſſimoque viro Iacobo van Dyck Sereniſſimi Suecorum Regis Conſiliario & Legato.

HAbes hic, Vir Nobiliſsime, quæ tanti non erant vt a te legerentur, niſi illis precium feciſſes, audiendo. Teſtari videlicet volebas, veriſsimum videri tibi quicquid de hiſtoria hic diximus: eam prope ſolam, æternitatem principibus conferre, ad quam manu & potentia contendunt. Bella enim fruſtra geri, oppida expugnari, de hoſte triumphari, niſi ſit

sit qui hæc ad posteros transmittat, & perennitatem illis donet qui donare possunt cætera. Hoc videntur optime intellexisse ii ipsi quos hic celebramus, populi Romani principes. qui cum res gessissent maximas, eas ipsas ipsi quoque studiose celebrarunt. Dictatorem Cæsarem, vndecies centena nonaginta duo hominum millia, extra ciuiles motus, confeciſſe legimus. Eandem manum stylo quoque armauit ipse, & quæcunque gesſit, inuidenda cæteris felicitate descripsit. Idem Sylla fecit, idem Hadrianus, idem Antoninus, idem alii non pauci. Cæteri, quæ ipsi præstare non poterant, quanti tamen facerent abunde testati sunt. Ajunt Scipionem, cum sine ambitione vlla res suas in sepulchris suis alii prætereuntibus legendas darent, nihil præter Ennii poëtæ statuam in suo posuisse: quod existimaret, magna quidem esse quæ gesſisset, sed quæ sine alterius ingenio & arte, nunquam ad posteritatē essent peruentura. Quare quemadmodum virtutis suæ inspectorem etiam in bello Ennium perpetuo habebat; ita sine eo per quem semper se victurū esse intelligebat sepeliri noluit. Eandem esse Regis tui mentem nobis persuademus Qui diuinus heros, cum inuictus sit manu, Musas, quæ cum majestate raro hodie concurrunt, non tam amat quam exemplo suo aliis commendat. dignus qui non modo tantus habeatur quanta sunt quæ gesſit, sed qui nunquam ignoretur. Quod a solis literis est exspectandum. A te vnum postulamus, vt hic nihil præter deuotum virtuti tuæ animum agnoscas, quem in opere majori, quod sub prælo jam versatur, tibi consecramus. Tum, si tanti ista tibi non videntur vt cum cura

legas, deberi tamen tibi scias, quia audiuisti. Vale, Vir Nobilissime, & nos ama, qui te colimus.

Clarissimo Consultissimoque viro, Leonardo Casembrotio, Senatori, & maritimi fisci Patrono dignissimo.

REuersus, Vir Clarissime, ab itinere, quod maxima cum voluptate vna nuperrime confecimus, secundum Flori auspicatus sum. Quod priusquam facerem, orationem De initiis imperii Romani habui: in qua primam ejus populi ætatem celebraui. Eram adhuc plenus militaris animi, quem in eo loco hauseram, in quo tot heroum corpora calcaueramus ego & vtrique nostrum conjunctissimus Schadeus noster. Cujus forsitan, vestigia nonnulla & scintillas hic videbis. Ea autem cui potius quam tibi debebatur, cujus multa in me extant merita, quæ cum luculenta sint, majus tamen est nuperrimum. Ostendisti enim quàm & ego & mea tibi curæ essent: homo vere ad humanitatem factus, neque indignus maximo parente. qui vt prudentissime in Republica versatus est, ita Ecclesiæ non raro profuit. Cui tu simillimus, de altera mereri bene nunquam cessas: alterius calamitatem, & quod ab ardore animorum ortum est incendium, sæpissime deploras. non minus hic moderatus, quam ibi circumspectus: in vtroque autem prudens. Vale, Vir Clarissime, & in antecessum hoc, qualecunque est, habe.

Magni-

Magnifico Ampliſſimoque viro, Benjamino Auberio Mauriero, Chriſtianiſſimo Galliarum & Nauarræ Regi a conſiliis, & ad Præpotentes Confœderatarum Belgii Prouinciarum Ordines legato.

NVper cum ad Taciti Annales aliquid dicendum nobis eſſet, effeciſti, vt quæ nemini fortaſſe placitura erant, ea aliquid ſplendoris traherent a loco, in quo nihil tam conſpiciendum erat, quam quod tu adeſſes. Hoc quia optime ſucceſſit nobis, & quia ſpero ea quæ libenter omnes tua cauſa audierunt, libentiſsime lecturos tua cauſa, dedi typographo vt voluiſti, ſine vlla mora, & ambitione, niſi quod tuo ſum abuſus nomine, vt ſic commendarem denuo quod ſcripſi. Magna quidem veſtra eſt dignitas, quæ a Majeſtate multum trahit, quam vos iis, ad quos miſſi eſtis, exhibetis: mihi tamen ille maximus videtur, qui menſuram ſuam totus in ſe habet, & fortunam quantamcunque animo & meritis excedit. Quod ſi cuiquam hodie in Gallia, tibi ſane eſt propoſitum. Literas & ſapientiam, ſic coluiſti olim, vt quicunque a ſummo viuidoque ingenio progreſſus expectari poſsint, eos feceris. Nemo literatus viuit hodie in regno veſtro, quo non vſus ſis familiariter: nulla pars eſt eruditionis, nullus autor, in quo peregrinus ſis: nullus denique amœnitatis genius quem non poſsideas. Vt qui recte te nouerunt, tria maxime diuerſa admirentur: quod in dignitate publica, priuati hominis humanitatem, in moleſtis occupationibus ac curis, ocioſi eruditionem, in aula, ſummum ſapientiæ amorem, con-

junxeris. Quæ non ſemel apud omnes prædicauimus. Nunc cum paulum ocii conceditur, ne hoc tibi pereat, reminiſceris quæ olim didiciſti, & ad illa ſtudia reuerteris, quæ tranquillitatem dare poſſunt animo. quam conferre dignitas & reliqua quæ ſola ſperant homines, non poſſunt. Hoc eſt, cum fortuna antecellas cæteros, mente & inſtituto eam quoque præteris. Eorum plane exemplo qui huc hactenus a Rege veſtro miſſi ſunt: quorum nemo fuit, qui non ad ſupremam eruditionem peruenisſet. Nam vt regnum veſtrum hac ætate palmam ejus omnibus eripuit, & ante omnes eam coluit & propagauit, ita omnium poſtremo retinet, ac ne bellis quibus ciuilibus vt eam eripiant concedit. Accipe igitur, Vir Maxime, a cliente tuo, quod jam tuum eſt: accipe quod voluiſti: lege, ſi ſit tanti, quod jam audiuiſti. Et quandoquidem muneribus, hoſpitio, officiis, comitate omni & beneuolentia, me ſic obſtrictum tibi tenes, vt in nexu adhuc maneam, patere, vt creditorem tam benignum in te habeam, quam patronum hactenus expertus ſum.

Illuſtriſſimo viro, Domino Molino Patricio Veneto.

CVm nuperrime, Illuſtriſſime Heros, excuterem nonnulla, quæ aut dixeram ad Tacitum aut ſcripſeram jam olim, in Orationem quandam incidi, quam cum magno auditorum, etiam ampliſſimorum, ſtudio, a me habitam memineram. Atque eam, cum ſuperioribus non eſſet addita, ſub Illuſtri tuo nomine in

lucem

lucem dedi. Vnde enim magis commendari noſtra, vnde dignitatem ac ſplendorem magis luculentum mutuare poſſunt , quam ab eo , quem illuſtre genus, merita majorum, &, quod omnibus his majus, vobis autem eſt gentile, magnus ac inuictus animus, tum propter libertatis ardens ſtudium ac curam, omnium doctorum, quos Venetia nunc habet aut Patauium, teſtimoniis euectum, ipſa jam in ſinu ſuo fama ac æternitas oſtendit? Quippe qui intellexiſti, reliqua interitura, niſi ad diuinas laudes tuas, illam quoque gentis tuæ cæteris adjungeres, vt omnes ditionis veſtræ Muſas tibi vindicares. Quæ quo minus adulari didicerunt, quod ſeruile ac deforme malum eſt, cum in ipſa libertate natæ ſint, eo magis nomen tuum a ſuſpicione iſta vindicabunt: veras autem laudes in illuſtri loco poſitas, ad poſteros tranſmittent. Ac de me quidem, quantum tibi debeam, non dico. Iuſto enim operi, de quo jam pridem cogitamus , id præſcribi malo. Hoc fatebor interim, e ſcriptis veſtris, quorum partem liberalitati tuæ libentiſſime acceptam fero , ea me hauſiſſe, quæ vix ab antiquitate expectari poterant. ac præcipue æterna fortitudinis exempla ac conſtantiæ. Quæ cum paſſim extent, atque ea vobis debeat terrarum orbis, ego, ſemel in hoc limine, ipſi Deo inter prima, me, tum iſta , tum fauorem tuum , ſine fuco ac fallaciis, debere fateor. Vale Illuſtriſs. Domine , ac magnis illis animabus , Balthaſari Bonifacio , Nicolao Craſſo, Laurentio Pignorio , vt me commendes , peto. Lugd. Bat. Cal. Apr. cIↃ IↃ c xxii.

Ampliſſimo, Conſultiſſimo, Clariſſimoque viro Rocho Honartio, Curiæ ſupremæ aſſeſſori primario, Academiæ Leidenſis Curatori digniſſimo.

IMmenſam C. Cæſaris ideam animo complecti, vix vnius hominis videtur. Qui humanis rebus tantum attulit momenti, vt quæ rerum domina tum maxime eſſe incepit, vni libertatem ſuam manciparet, quia parem quem opponeret non habuit. Cujus magnitudinem fatalem, Ampliſſime Vir, Roche Honarti, quia ex judicio ac ſuaſu, cui omnia deferre merito ſolemus, tuo, nuper in Tranquillo obiter deſcribebamus, aliquid initio dicendum fuit. non de ritibus antiquis quidem, aut Grammaticorum ſacris, quorum explicatione, in ſcriptore nobiliſſimo, nonnulli maxima cum laude jam defuncti ſunt, ſed vt ipſum pariter cum Reipublicæ, quam vt paulatim ita callidiſſime inuaſit, ſtatu ac imagine repræſentarem. Quæ nunc tuo inſcribenda nomini, Vir maxime, exiſtimamus: qui, vt cætera nunc taceam, ab eruditione ſumma ac ingenio, autoritatis plurimum ad ſummam attuliſti dignitatem: dignitate autem & autoritate, non tam vrbem Batauorum primam, quam Batauiam, prouinciarum literis ac armis vniuerſi fere orbis principem, illuſtras. De quo, ſuo, vt ſperamus loco. Me quidem, tanta tui nominis ex merito inceſſit reuerentia ac amor, vt compendioſe omnibus probatum iri me exiſtimem, ſi prius tibi me probaro. Vale, Vir Ampliſſime, ac amore tuo nos dignare, Lugd. Bat. VII Feb.

Am-

Ampliſſimo Clariſſimoque Viro Nicolao Seyſtio, Reipubl. Lugduno-Batauæ Syndico, & Academiæ Curatoribus a ſecretis.

CVM *non raro mecum cogitarem, Nicolae Seiſti, Vir Ampliſſime, quantum pro tuo in me ſtudio, quod ſæpe ſum expertus, deberem tibi, euenit vt in mea ſupellectile ac copiis, nihil quod te dignum eſſet, inuenire poſſem. Quæ res, ſiue a tenuitate mea, ſiue a tua magnitudine originem habuit, diu me ſuſpenſum detinuit. Quippe in te cum intuerer, hominem videbam, ſummæ quidem illum dignitatis, ſed in quo propemodum hoc eſſet minimum, quod in Republica putatur eſſe ſummum. cum virtutis tuæ ac præclaræ indolis capacitas, fortunæ tuæ ſpacium excedant. Quam quemadmodum formaſti ipſe, ſic quotidie non ornas tantum ac intendis, ſed, ſi verum eſt dicendum, jam poſt tergum reliquiſti. Contigit hoc tibi, vt in ea ciuitate locum obtineres, cui libertatis ſuæ magnam partem debet Batauia: quæ inſuperabili virtute, cum funeſto bello omnia arderent, & jam prope ſola ſupereſſet, primo animos deinde portas hoſtibus præcluſit: tam ingenti quidem atque honeſta peruicacia, vt inter famem poſita & ferrum, cum par huic eſſet, illam ſuſtinere diutius non poſſet, mortem intra muros tolerare mallet quam hoſtem: ſucceſſu autem tali, vt non tantum libertatem ſuam conſeruaret, ſed communis quoque conſeruatæ præmium ab vniuerſa patria acciperet; Muſas & æternitatem. In hac ciuitate, quæ Batauiæ totius Academiam, orbis ſeminarium, exter-*

næ pariter ac noſtræ juuentutis florem ac propaginem complecteretur, cum autoritate pari in vtraque ageres, majori tamen prudentia egiſti. Pleriſque raro procedit, vt in vrbe vna rectum curſum teneant, paucioribus, vt magnos ac feroces juuentutis ſpiritus, intra rationis ac officiorum ambitus contineant. Tu hoc hactenus obtinuiſti, vt nec Reipublicæ diſcedat quicquam, & cum ea ita coaleſcat Academia, vt quæ ſemper ornamentum vrbis veſtræ fuit, jam propemodum pars eſſe videatur. Ex quo hoc conſequitur, vt alterius incommoda cum ambarum detrimento ſint conjuncta, & vtilitate vnius vtraque conſiſtat. quemadmodum in corpore nec manus nec pedes, niſi cum grauiſſimo totius dolore, offenduntur. Cujus rei cauſſas eſſe duas ſemper judicaui: ſingularem in te moderationem & benigna quæ ab eo oriuntur conſilia. quæ ad pacem ſemper & tranquillitatem tendunt. Quorum ipſi teſtes quotidiani ſumus. Ad hanc Academiam, quæ tantum tibi debet, nos, cum nihil aliud poſſemus, voluntatem attulimus prolixam: dedimus autem operam, vt in ea pauci nos vixiſſe ignorarent. Quo, vt ſpero, conſecuti ſumus, vt qui eruditionem & ſcientiam in nobis requirerent, conatum tamen & nauatam operam agnoſcerent. quod nec mercenarijs negari ſolet, neque ad inuidiam pertingit: quæ excelſa tantum & ingentia adurit. Quale cum in nobis nihil vnquam fuerit, neque tamen deſint ſycophantæ, credo equidem imagine eorum quæ liuorem in aliis merentur, homines ignauos decipi in nobis, vt, quod canes ſolent, vmbram corporis allatrent.

Con-

Contra quos præclaro semper amuleto fuimus instructi, & quam Regis Pontici non minus efficaci; labore, nempe, & contemptu. Porro cum virtutes, vt oportet, tuas semper æstimarim, & hoc publice testatum vellem, neque nunc offerre tibi possem quantum ipse optarem, scirem autem quantum esset quod deberem; donec aliud liceret, aliquot Orationes ac Præfationes nuper a me habitas, tuo inscribendas nomini putaui. Inter quas præcipue est vna quam ab argumento gratam fore existimabam; quod commendet eam disciplinam, qua nec vlla est augustior, & in qua tu maxime excellis. Vale, literarum Mœcenas.

Clarissimo ac Consultissimo viro, Cornelio Nicolai, in Collegio Rebus maritimis Præfecto, quod Roterodami est, Consiliario dignissimo.

QVæ de Socrate hic nuper diximus, bona fide, vt promisi, ad te mitto, Vir Clarissime. Munusculum, non sane pro amore in te meo, neque re aut mole tanti, nisi inter nos sic conuenisset. Argumentum excusare non audeo: quod ab eo satis commendetur quem suscepit commendandum. Viro, omnium judicio, inter sapientes primo. Non moroso, non inepto, non fastidioso, non putido, qui philosophorum morbus olim fuit, quos famæ negociatores *antiquissimus Ecclesiæ vocauit doctor: sed urbano, eleganti ac festiuo. Qualem eum Plato ac Xenophon depingunt. Apud quos cum disputat, ludit: cum deci-*


image
not
available

ad te mitto: qui a prima ætate felicissime inchoatus, cum judicio incrementum, robur cum annis accepit. Sed præcipue ab officiis & humanitate tua. Quæ hic non commemoro. Ne qui magnitudinem eorum cum hac scriptione contendat; mihi operam, tibi fructum periisse judicet. Vale, Amicorum intime, & majora aliquando expecta.

Nobilissimo Amplissimoque viro, D. Cornelio vander Myle, Domino vander Myle, Equiti, &c.

DVm in miserabili Ecclesiæ dissidio, in quo versamur Myli Nobilissime, per vniuersam pene Europam —— vndique totis

Vsque adeo turbatur agris,

libuit ab eruditione & subtilitate, quæ jam tanta est, vt nisi ad simplicitatem & multarum rerum ignorantiam redire malit, quo proficiat non habeat, ad infantiam & incunabula Christi, solenni hoc festo, quod ad omnes æque Christianos pertinet, secedere aliquantum, & diuinum incarnationis sacrum, ea parte contemplari, qua ab homine cognosci potest. Erant eo tempore plena controuersiarum omnia. Iudæi quippe in partes ac familias, non secus ac philosophi diuersas jam secesserant. Nam Gorthenos, Sebuæos, Essenos ac Dositheos (qui Samaritani omnes erant) vt omittam: Scribæ, Pharisæi, Sadducæi, Hemero baptistæ, Esseni, Nazaræi ac Herodiani, omnia contentionibus miscebant. Qui cum omnes Abrahami essent posteri, & promissionem illi factam, soli sibi vindicarent,

rent, rebus aliis intenti de promißione non raro cogitabant. Ita quem venturum ſemper exſpectarant, venientem ſuſtulerunt. Mihi crede, quicquid fere eſt de quo diſputatur hodie, plus eſt quam quod ad ſalutem ſatis eſt: plus quam quod ad pacem & concordiam requiritur. Vnica eſt Chriſti teſſera, PAX ET AMOR. Ex hoc, *inquit*, homines cognoſcent meos vos eſſe, ſi vos diligatis mutuo. *Hanc in Domini natiuitate Angeli annunciant. Hanc in prima concione Chriſtus quam in monte habuit, tantopere commendat.* Beati, *inquit*, pacis autores. *Hanc poſtremis verbis in ardenti illa & cœleſti, quam ad Patrem habuit, precatione, ſuis poſtulat concedi. Poſt quæ verba, nihil docuit. Vtinam qui minutatim ventilamus cætera, poſtrema Seruatoris noſtri verba, vita tantum exprimamus! Bene & Eccleſiæ & Reipublicæ conſultum ſit. Nunc ex quæſtione quæſtio, ex controuerſia naſcitur controuerſia. Quæ dum Academiarum ſeptis continentur, facile contemnas: in incautam plebem vbi prorupere, Reipublicæ momenta ſecum trahunt. Nam de quibus eruditi vere tantum judicare poſſunt, qui non deſunt jam vtrinque, ſummi viri ac eximii, de iis judicare volunt qui non poſſunt. Hinc liberiora de ſuperioribus judicia. Quæ ſi non coerceantur, ſequitur contemptus. dum diſſentientes, quiſque nulla eruditionis ratione habita, profanos eſſe, primum ſibi, mox & aliis perſuadet. Aliter diuini illi Patres, quorum lectione oblectari vehementer me confiteor. Vbique in ijs pietatem, vbique jejunia, vbique eleemoſynas, vbique ſanctas meditationes, commendari videas. Vbiq;*

hoc

hoc ipsi profitentur. Dicendi porro genus breue ac constrictum, sed quod sensibus abundet, placuit hic nobis. quo tantopere Ambrosius & Augustinus, tum doctissimus Theologorum Gregorius, est delectatus. Si qui sunt qui soli eruditionem sacram sibi vindicant, ab iis petimus, vt pietatem saltem omnium communem esse patiantur. Nihil enim hic a me est dictum quam quod Christiani omnes profitemur. Tibi autem quicquid hujus est, putaui inscribendum: vel quod plura nemini mortalium, vt alibi dicetur, me debere existimem: vel quod suasu tuo & autoritate, hoc a me est factum: vel quod pietatem, quam hic solam sum secutus, nemini quam tibi magis esse cordi, sæpe intellexerim.

Nobilissimo & Amplissimo Viro, Adriano de Maenes, Domino in Matenes, & Opmeer, Academiæ Curatori, &c.

IEsum Christum nuper in præsepi pro nobis repositum exhibui, qualis fuit, postquam integra diuinitate & illæsa, carnem nostram pra amore ineffabili assumpsit, & in terram nostra causa descendit. Nunc eundem exhibeo, qualem ipse se exhibuit in cruce, cum, diuinitate iterum illæsa, quicquid nostra causa induit, morti subjecit: vt pro nobis passus, quicquid pati solus homo debuit, sustinere autem nullus homo potuit, justitiæ diuinæ satisfaceret, patri autem suo illam in nobis redderet imaginem, quam instinctu Diaboli amiseramus. Hæc qui aliter quam summa cum humilitate ac reuerētia considerat, indignus mihi prorsus hoc beneficio vide-

videtur. Et tamen ne hic quidem nihil voluit licere ſibi curioſitas humana. quæ vbique ingenio indulget: vbique cum jactura pietatis, eruditionem ſuam profitetur. Parum ſcilicet putamus eſſe hoc quod Deo ſatis fuit, quod ſufficere ad ſcientiam, ſufficere ad ſalutem voluit: Ieſum Chriſtum pro peccatis noſtris eſſe mortuum. niſi ad modum quoque & id genus alia deueniatur. Qui profecto mihi hoc videntur agere quod milites Romani, moriente Domino. qui, dum Sancti, mater ſcilicet, Iohannes, & alii, in abominabili hoc caſu, ſtant ad crucem & dolore crudeliſſimo non tantum externantur, ludunt aleam & veſtimenta partiuntur, quaſi eares ad ſe non pertineret. Ita agitur nobiſcum. Dum Dominus patitur, argumentamur: dum in crucem tollitur, diſputamus: dum moritur, veſtimenta ejus & poſſeſſionem maxime propriam, hoc eſt Eccleſiam, diuidimus. Hæc dum cogito, ſicut nuper, ita nunc ad pietatem me conuerto. Homiliam enim De cruento Chriſti ſacrificio in cruce, ſine oſtentatione vlla, ſine anxio, quod paginam vtramque nunc plerumque facit, ordine ac diſpoſitione ſcripſi: & vt Sancti illi patres ſolent, κρυπτικῶς & ἀκριβοδήλως. niſi ſi quid oratorum conſuetudini conceſſimus. Eam autem tibi, Nobiliſsime Virorum, conſecramus: ſiue ex promiſſo, ſiue ex merito. Luculenta tua prorſus in me extant beneficia. Non commemorabo hic, quanto ad me audiendum ſtudio huc veneris, non commemorabo alia, quibus me obſtrictum ac deuinctum tibi habes: majora enim ſunt quæ omnes publice debemus tibi, & quæ Academia agnoſcit.

quæ

quæ nunc summo Dei beneficio, tum Theologorum moderatione ac prudentia, placida tranquillitate fruitur. Quod in primis curæ vobis esse, certo scimus. Persuadent hoc nobis admirandæ plane ac eximiæ virtutes, quæ in vobis ad exemplum vsque elucent: Incredibilis humanitas, morum amabilitas, & quod vt præcipuum, ita in nobilitate est rarissimum; pietatis amor sinceriſsimus. Quæ non potest esse in quoquam sine pacis ac concordiæ amore. Vale Nobiliſsime Virorum, & amare nos perge.

Nobiliſſimis, Ampliſſimiſque viris, Academiæ Curatoribus, & Vrbis Leidenſis Conſulibus.

ORatiunculam, quam his diebus habui, ad vos, Viri Ampliſsimi, hic adfero. Cujus, niſi fallor, saltem vobis argumentum placebit. Vel quod non sit alienum ab hoc munere in quo verſor, vel quod ea ſtudia commendet, quæ ab omnibus probantur: quæ juuentuti viam præeunt ad veram eruditionem: veſtro autem tot jam annos patrocinio nituntur in hac vrbe. Quæ cum animo inuicto hoſtem repreſsiſſet, ſedes Muſarum esse meruit, qua via jam ad immortalitatem peruenit. Cujus magna pars his literis debetur. Quas vos cum tantopere fouetis, idem quod tot ſummi principes Europæ præſtatis. Quorum quidam hodie, nonnulli olim, hoc egerunt, ne collapſis iſtis, rurſus in barbariem iretur, cujus noctē ſummi viri vix jam depulerunt. & quæ vereor ne rurſus inſtet. Eraſmum olim veſtrum, principem eorum, per contemptum barbari

poëtam

poëtam vocabant. Ille reſpondebat, longe ſe ab iſta laude abeſſe : pluris enim vnum tolerabilem poetam, quam vel decem philoſophaſtros eſſe. Idem ſeptem Græciæ philoſophis euênit : quos indocti, quod arcana ſapientiæ hoc modo concepiſſent , poetas tum dicebant. Sane eodem jam relabimur. Quicquid ignoratur , nunc poeſis ; quicquid miſeri non didicerunt, nunc grammatica vocatur. Verſum vnum toto vitæ tempore ſcripſiſſe , crimen nulla eruditione expiandum putatur. Infelix eloquentia non prodeſt : non antiquitatis cura : non hiſtoria aut ſapientia : non Græcorum diſciplinæ : vnde cuncta a peritis hujus linguæ hauriuntur. Fœnum eſſe oportet cui hoc ſucceſſerit , aut fame ſaginari. Credite hæc iudicia non minimi momenti eſſe. Sicut gracculi cum ſtrepunt, pluuia de cœlo exſpectatur : ita iſta mortem literarum nunciant. Aliter vos iudicatis , & tot annos iudicaſtis. Quare vt libenter , ita iure noſtra vobis conſecramus. In primis autem iſta , quæ ad ſtudium illorum iuuentutem accendunt. Ab illis hoc peto , vt labori potius noſtro inuideant quam veſtro favori. Quod eſt proprium virtutis certamen , & inprimis vobis gratum. Ne, dum eruditionem veram accuſant, vel iudicio veſtro , vel ſuis viribus diffidere videantur. Valete Ampliſſimi Viri.

Magni-

Magnificis Ampliſſimis Nobiliſſimiſque viris, Præſidi, reliquiſque Supremi Senatus Aſſeſſoribus.

NObiliſſimi Ampliſſimique Viri. Nunquam futurum arbitrabar, vt quod Iano Douſæ perſoluerem, alienæ potius autoritati quam pietati meæ darem. Cum enim publice in Academia laudandum eſſet funus publicum; viſum eſt Senatui ad partes nos vocare. Fruſtra tamen. Videbam enim vel inuidiam ætatis meæ vel ſcientiæ. Quæ cum aliquid pro ſe potuerint, neceſſitate dicendi exſolutus, ſcribendi immunitatem nondum impetraui. Quam equidem debere cuiquam nolui, cum priuata merita illius viri paululum a publicis deducerem, Douſamq; ea parte cogitarem, qua inprimis meus fuit. qui neminem aut arctius complexus eſt, aut benignius habuit. Cujus rei quamvis ne nunc quidem cauſſam inuenire poſſum; fructum tamen diu eſt cum agnoſco. Quis autem hæc ſcrutetur, quis eruat, quæ a naturæ benignitate ſunt? Sicut herbæ quædam ſine ſemine proueniunt: ita amor judicium non ſemper ſequitur, ſed & præcedit. Quædam ergo de ingenio illius & ſcientia, plura de moribus & innocentia hic diximus: quæ ſola pars calumniæ nunc patet. Eruditionem viri nemo, dignitatem nemo mouet, neque aliud in Douſa reprehenditur quã id quod culpa caret. Multa quæ de generis ſplendore addi poterant, ab aliis jam occupata, prætermiſimus. Et ita homo fuit, vt hæc aliena ſciret, virtutemque ſine dote in manum conuenire vellet. Vobis, Patres Magnifici, hæc nuncupare viſum eſt, qui ejuſdem dignitatis, vel ſocii fuiſtis

vel hæredes eſtis: quorum Ampliſſimus ordo tres ſummos Curatores Academiæ dedit. Idque potiſſimum, vt quos Douſa integritatis ſuæ admiratores habuit, eoſdem nunc patronos habeat. Quemadmodum autem vitis non aſſurgit niſi per vlmum ſerpat: ita præcipuæ virtutes hodie ſine robuſto præſidio ſe non tuentur. Quod ab autoritate veſtra ſperamus, qui non aliam ingreſſi eſtis viam, ſed diuerſam. In quibus ciuilem illam prudentiam mitiore literarum cultu temperatam cum intuemur, libenter fortiora ſolatia admittimus, & in maximo luctu cogitamus, Magiſtratus noſtros mortales eſſe, adminiſtrationem æternam. Valete.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo viro Iacobo Auguſto Thuano, Regio in Sanctiore Conſiſtorio Conſiliario, & in Ampliſſima Parienſi Curia Præſidi.

ACcepi munus quod ad me miſiſti, vir Ampliſſime; Hiſtoriam dico tuam. in qua reliqua omnia qui abunde laudauerit, multo tamen plura de inuicta illa tua libertate animi dicenda relinquet. Quæ tanti apud me eſt, vt de cæteris parcius loqui ſoleam: ne aliquid in tam perfecto opere pluris feciſſe videar quam quod in eo eſt præcipuum. Hoc vt intelligeres, munuſculum tibi reddo. quod ſine vllo Rhetorico colore ἐκ ἁπλῆς λογικῆς λογύθης, *tam facile ſe tibi ſolo argumento probare poterit, quam quibuſdam etiam cum his diſplicebit. Niſi quod metuam, ne audaciam meam potius apud te accuſes quam conatum abſoluas.*

uas. Et profecto totum quod hic fecimus, nisi quatenus pietas in nobis vocari potest, mera confidentia est. Sed quemadmodum qui ipsas virtutes commendant, solo probitatis nomine veniam impetrare solent, quamuis multa prætermittant: ita me oportet, qui de illo viro sum locutus, quem non dicam infinita scire, sed quo nemo vnquam pauciora ignorauit. Sæpe autem audiui ex amicis tuis, nullius te lubentius quam illius meminisse. Et in historia, cum judicium tuum obiter de homine tulisses, dolebas te de amico plura dicere non posse. Quare, quod tibi in tam relligioso scripto integrum non erat, nobis in diuerso nemo non nisi improbus concedet. Quod quidem offerre tibi volui: vel quod similia his dicturus videbare: vel quod gratissima tibi hæc futura esse, ne e scriptis quidem tuis dubitare poteram.

Amplissimis, Nobilissimisque viris, D.D. Georgio Michaeli Lingelshemio, D. D. Iohanni Gernando. Ser. Palatini Electoris Consiliariis digniss. ad Illustriss. Principem Mauritium Legatis.

NObilissimi Viri. Ego vero eadem opera & amici & meam fidem apud vos libero. Venit ad nos die hesterno clarissimus collega noster Baudius, cui paulo vehementius, vt ipse ajebat, id injunxeratis, vt Theocritum cum auspicarer, certiores vos facerem. Ibi ego, partim angustia temporis, partim, quæ mea est simplicitas, verecundia impulsus, vt qui minime

παῤῥησιαστὴς *sim, praterea neque tantis viris facile satisfacturum me arbitrarer, hoc officio supersedi. Igitur quos auditores deprecatus sum, ad lectionem nunc inuito. Orationem nostram vobis offero, neque id sine suasu & autoritate magni Scaligeri, cui quidem vos deferre noui omnia. Porro cum in Germania, quicunque laurum, apud nos, quisquis paulo plus reliquis insaniæ est consecutus, poëta dici velit; non absre me facturum existimaui, si diuinæ scientiæ, quæ sæculi vitio opprimitur, dignitatem vindicarem. Quod cum exemplo quotidie præstet Grotius noster, ὁ θαυμάσιος; nos id verbis conati sumus. ne Batauia nostra saltem, quod olim poëtæ munus fuerit, ignorasse videatur. Valete Amplißimi Viri.*

Amplissimis, Nobilissimisque viris, Iano Dousæ, Domino in Noortvvijck, & Cornelio Neostadio, Domino in Sevenhove, Academiæ Curatoribus, & D. Nicolao Seystio, iisdem a Secretis.

VIri Amplißimi. Ingenui animi esse existimaui semper, vt cui satisfacere nequeas, ei te plurimum tamen debere agnoscas. Vestra autem ea in me beneficia publice priuatimque extiterunt hactenus, vt quanuis omnem mihi satisfaciendi spem præripiant; voluntatem tamen relinquant. De qua vt nunc saltem constet omnibus, ἐνέχυρον *hoc vobis, tanquam creditoribus meis, offero: Declamatiunculam nostram in Illustri vestra Academia nuper habitam: vt tantisper saltem velle me sciatis, donec potero quod volo. Cujus rei*

rei major jam quoque quam antehac ſpes oblata eſt: poſtquam autoritate veſtra & prudentiſsimi Senatûs hujus vrbis factum eſt, vt in celeberrima hac Academia ad publicum docendi munus admiſſus ſim. Itaque vt poſthac dignum quid vobis, dignum veſtris beneficiis referre poſsim, id quoque a beneficio veſtro expectandum erit: quibus me & Muſas meas committo. Vos autem Deo immortali. Valete.

FINIS.

In ineptissimum quendam pædagogum, qui soli sibi eloquentiam vindicare solet.

INepte, vecors, impudens magistelle,
Dictator imperite pubis indoctæ,
Cui dexteram armat quotquot occidunt soles
Immane sceptrum: non Vlyssicum sceptrum,
Nec quale quondam Tethyos puer magnæ
Iurasse fertur, contumeliis fractus:
Sed expedita, sed superba, sed longa
Minaxque ferula: cui modestiæ custos
Et prima nutrix virgidemia accedit;
Terror iuuentæ, clunium fatigatrix:
Quid in disertos probra dirigis vates,
Viroſque damnas pædagogico fastu
Quos fama cœlo consecrauit & virtus,
Laudemque solus eloquentiæ poscis?
Pone hanc, inepte noctuine, personam,
Omitte curam. non capit decus tantum
Vmbra atque puluis. Pectus intrat augustum,
Sublime, pulchrum, dissimillimum vestro,
Herous ardor. qui scientiis pastus,
Et educatus fruge plurima rerum,
Oratione mascula, ignea, audaci,
Et promiconda sensuum profundorum,
Torrente quouis concitatior fertur:
Sententiasque vibrat impetu ingenti;
Non saltitantes histrionis in morem,
Verniliterque putidas, meras febres:
Sed indices vigoris, ingeni testes,

Queis

Queis versat animos audientium & pectus.
Balliſta qualis aut molaris immenſa
Vi tortus, altas pulſat vrbium turres.
Seu copioſus fuſiorque delectat
Et Tullianus ſermo: ſeu magis ſtrictus,
Monſtrans lacertos, inſtar Herculis nudi.
Seu Socrateo melle depluit totus,
Lenis, venuſtus, Attico madens ſucco:
Seu cum Quirites æmulatur intonſos,
Et ſe Camillis omnibus parem præſtat,
Reſtricta, caſta, dictionis auguſtæ,
Non delicata, nec procax, nec inſulſa,
Nec impedita, ſed ſeuera majeſtas.
At tu imperitos, vel, miſer, capillatos,
Iejunitate dictionis oblecta.
Cujus, ſupina, mollis, oſcitans, fracta,
Elumbis, inficeta, vix humi repens,
Strigans ſubinde, vixque anhelitum ducens,
Equi labantis inſtar, aut bouis feßi,
Vix inchoato qui fatiſcit in cliuo,
Poſtquam in ſoporem collocauit aſtanteis
Oratio, non deficit, ſed expirat.



LECTO-

LECTORI DE MENDIS OPERARVM.

ORationes pleraſque, ſed obiter, percurrimus, quæque in iis menda obſeruauimus, hic annotamus. cætera vt eodem modo emendes, præſertim ſi quod in Diſſertationibus ac Præfationibus, commiſſum ſit, quas vt perlegeremus tempus non permiſit, quiſquis es, te rogo.

In diſtinctionibus alibi non ſemel peccatum quiuis deprehendet. quod ſemel monemus. 21. comma ante *inhiberet.* 55. *alibi aut.* 72. *Sine opes* deleto *enim.* 123. *perferre.* 125. interrog. poſt *Auditores.* 131. *videritis.* 135. *conuerteret.* 163. *Ille quidem multo.* 167. *cum*, & *eam.* 169. *Rege Epi.* 172. *complectebatur.* 173. duplex punctum poſt *jacit.* 181. *domabat.* 184. *fieri.* 197. *quorundam.* 214. *Repub.* 132. parentheſ. nota poſt *tangebat.* 237. *occupauit.* 241. *circumſcripſerint.* 247. *conſiſterent.* ibid. *& infor.* 286. *ipſius Dei caligantes.* 287. *quod ſeueram.* 289. *laborant.* 290. *ſenſerit, vrbano.* 292. *poſsunt.* 313. *notam.* 331. *ille.* 333. *autem, dicet, dubitaui.* 338. *vt non putem.* 342. *recte judicare.* 358. *cum jamdiu.* 360. *piſtill. tundunt.* 363. *qui animos human.* 422. *plerunque mutuabant.* 424. *& ad nos perv.* 433. *rapit ac deſigit.* 438. *diriperetque, in templum.* 443. *animis vid.* ibid. *quot.* 445. *diſtinguit.* 467. *judicet.* Cætera non annotauimus.



Digitized by Google